
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
5
B
16

ARISTOTELIS ARS RHETORICA AB ANTONIO RICCOBONO RHODIGINO I. C. HVMANITATEM in Patauino Gymnasio profitente latine conuersa.

Eiusdem Riccoboni explicationum liber, quo Aristotelis loca obscuriora declarantur, & Rhetorica praxis explicatur in orationib. Ciceronis pro Marcello, & pro Milone, ac oratione Demosthenis ad epistolam Philippi ab eodem latina facta.

ARISTOTELIS ARS POETICA ab eodem in latinam linguam versa.

Cum eiusdem de re Comica disputatione.

CVM PRIVILEGIO.








VENETIIS, Apud Paulum Meiettum, Bibliopolam Patauinum, 1579.

ILLVSTRISS. VIRO, STEPHANO BATOREO TRANSSYLVANO patrono suo,



Antonius Riccobonus Rhodiginus felicitatem dicit.



MNIBVS notissimum, atq. exploratissimum est, uir Illustrissime, inter magna hominum nobiliū decora, & ornamenta nihil illustrius esse, quàm litterarum studium; quæ quidem eis suadent laudem, & honestatem, eorum animos reddunt omni uirtute fulgentes, eosdem inflammant ad Reip. commodum, dignitatemq; tuendam, atque augendam, multaq; ipsis exempla proponunt ad intuendum, & imitandum in omni genere uirtutis. Id honestissimum studium in clarissima natione uestra cum antea flagrans fuit, tum eo maxime tem



pore exardescere uisum est, cum Stephanus Batoreus, patruus tuus, admirabili ingenio, ac sapientia praeditus, maximo omnium applausu factus est Transsyluaniae Princeps; qui in principatu suo nihil antiquius habuit, quàm ut homines doctrina praestantes maximis praemijs afficeret, & beneficentia sua prope singulari ad litterarum laudem omnes incitaret, studiaq; omnia optimarum artium foueret, custodiret, atque amplificaret. Nimirum intellexit sapientissimus uir, prudentiam assiduis litterarum studijs partam in Rep. instar oculorum omnia prospicere, quae pertinere ad eius incolumitatem uideantur; ut quantum litterati homines adiuuantur, tantum adiumenti importari Reip. existimetur. Hinc effectum est, ut plurimi Transsyluani, quos si enumerare omnes uellem, non breuem epistolam scribere, sed longam historiam contexere necesse haberem, maximam sibi doctrinae gloriã cõparauerint, & in dies maiorẽ propter amplissima praemia ipsis proposita comparaturi esse iudicentur.

dicentur. Qua fama celebritate cum is, cuius res gestas uniuersus terrarum orbis admiratur, maximus uir, patruus tuus, declaratus esset Poloniæ Rex, in ipso belli ardore, quod necessario gerendum fuit ad illud Regnum incolume conseruandum, litterarum non oblitus, mandauit, ut præexcellentissimi ex omni terrarũ parte Doctores maximis præmijs Cracouiam inuitarentur: suamq́; in humaniores litteras propensionem ostendit ex eo, quòd longe maiora Doctorib. humanitatem profitentibus, quàm ceteris omnibus stipendia per nuntios suos proponere uisus est. Neque uero si alios semper, quos regendos accepit, ad præclara litterarum studia maxime incitauit, ullo unquam tempore defuit nobilissimis propinquis suis; ut inter ceteros tibi maximi Herois Andreæ fratris sui filio, quem ille tamquàm filium singulariter amans post mortem charissimi fratris in hoc clarissimo Gymnasio uoluit erudiri omnibus optimis artibus, quibus nobilium ingenia iuuenum solent informari, uten-

tem duce, & socio studiorum tuorum Volfango Kouaciocio, uiro eruditissimo, ac eloquentissimo, quo neminem uidi unquam diligentiorem, magis solicitum, laboriosiorem, maxime uero, ubi de tuis commodis, atque utilitatibus ageretur. Noui equidem eum tum sapientiæ, tum eloquentiæ studiosissimum, atque in philosophiæ studio ad omnem excellentiam progressum, litterisq; græcis, & latinis, atque adeo etiam ijs, quas sibi Hetrusci uendicant, doctissimum, & in recta scribendi ratione adeo præstãtem, ut non solum ijs, qui praua barbarie omnia infuscant, longe anteferendus, sed æquandus etiam ijs, qui purius, & elegantius scribunt, meo quidem iudicio uideatur: at in maximis eius ornamentis semper posui, quòd mira morum suauitate amplitudini tuæ profuerit; quæ fuit caussa, cur illustriss. domus tua eius honori mirabiliter fauerit, eumq; serenissimus Poloniæ Rex patruus tuus ab illustrissimo Transsyluaniæ Principe propter excellẽtem præstantiam suam accitũ

ad

ad celsam, in qua nunc ipse fulget, Magni, vt appellant, Cancellarij dignitatem miserit; cuius amantissimis, fidelissimisq; consilijs cum pareres, dici non potest, quas faces in animis omnium accenderes ad te amandum, atq. obseruandum, quam occasionem omnib. præberes tui amplissimi nominis prædicandi, quæ præsidia tibi parares ad maximas res obeundas. Tu præter litterarum studia, in quibus mihi & publice, & priuatim operam dabas, Patritiorum Venetorum, atque adeo etiam aliorũ nobiliorum iuuenum, qui in hoc Gymnasio erant, consuetudinem cum maxima tua laude, & mansuetudinis, benignitatis, omniumq; uirtutum admiratione sequutus es, ac eam humanitatem & morum facilitatem adhibuisti ad Doctores, quos audiebas, cohonestandos, ut non solum publicos, & priuatos eorum labores præsentiæ tuæ auctoritate, tamquàm numine aliquo honorares, sed illorum etiam nobilissimorum iuuenum, quibuscum uersabaris, amorem eis benignissime concilia-

res. Quæ maxima benignitas tua effecit, ut, cum summus tibi usus esset cum Iacobo Boncompagno, uiro illustrissimo, atque excellentissimo, Patauij tunc optimas artes studiosissime persequente, & ad rerum magnarum administrationem, quo diuinitus uocabatur, aditum sibi parante, me eius amplitudini tradideris complectendum, eiq; aucto suprema sanctissimi parentis dignitate non uulgariter commendaueris. Quamobrem me omnia tibi debere profiteor, quæ à gratissimo proficisci animo posſint; cumq; tua explendi multo maxima in me merita mihi facultas non detur: tamen cum eum esse ingratum existimem, qui eò nihil reddat, quia minimum posſit, posteaquàm artem Rhetoricam Aristotelis latine conuerti, eamq; edere decreui, tuo præclarissimo nomini ipsam esse consecrandam censeo, tibiq; memoriam renouandam eorum, quæ sæpe à me audiuisti. Non enim uereor, quin tibi grata futura sint, quæ philosophus omnium grauissimus Aristoteles scripsit de ratione dicendi, maxi-

me

me uero in ea lingua, qua potissimum dele ctaris; quem scriptorem prope diuinum nulla alia de caussa multis parum cognitũ, nisi quòd obscure conuersus uideatur, & si alij eruditissimi uiri interpretati sunt: tamen mihi quoque interpretandum esse existimaui, ut eius doctrinam sane egregiam, & singularem auditoribus meis clariorem redderem, ac interpretandi munus, quod uix in breue illud curriculum cadit, quo publice disputamus, hoc modo sane illustriore, & ad iuuenum studia accommodatiore obirem. Itaque conatus sum omnium quàm facillime tres Aristotelis libros interpretari; & maioris facilitatis caussa eorum particulas, quasi stellas quasdam huius magni cœli, quo eloquentiæ uniuersitas continetur, dinumerare; ac integro etiam explicationum libro obscuriora loca declarare. Quæ omnia quoniam tibi gratissima futura esse intelligo, tamquàm maximo eloquẽtiæ patrono; idcirco ad te mitto, & in tuo præclarissimo nomine edo, ut cognoscas me tuis officijs in perpetuũ obstrictum, quacũ

que

que possum, omnia ad tuam amplitudinem colendam efficere, maiora sine dubio, & quæ potero, & cum potero effecturum, ut nec tuæ obliuisci benignitatis, nec ea, quæ à tua possunt benignitate proficisci, negligere unquam uidear. Vale Patauij kal. Mart. MDLXXIX.

ARGVMENTVM ARTIS RHETORICAE ARISTOTELIS.



CVM ars Rhetorica tres in primis oratoris partes exornet, inuentionem, quæ fidem complectitur, elocutionem, & partium dispositionem; cumque inuentionis ratio triplex artificium comprehendat, demonstrationis, morum, affectuum; & cum demonstratio oratoria sit enthymema, & exemplum, ac ducatur partim à propositionibus, quæ vniuscuiusque generis propriæ sunt, partim à communibus, partim à locis Topicis: progressus est Aristoteles à magis proprijs ad communiora; & idcirco tradita definitione Rhetoricæ, diuisa fide, & enthymemate, ac exemplo mire exornato, libro primo enumerauit propositiones singulorum generum proprias, quas ipse appellauit formas, quibus aliquid probari possit in genere deliberatiuo esse utile, uel perniciosum; in demõstratiuo honestum, vel turpe; in iudiciali iu-

iustum, uel iniustum. Libro autem secundo complexus est tum communia generibus caussarum, tum communia omnibus. Communia generibus caussarum sunt mores, affectus, propositiones quædam, ut eius, quod fieri, uel non fieri potest, futuri, uel non futuri, facti, uel non facti, magni, vel parui, quæ omnia caussarum generibus videntur conuenire. Communes omnibus sunt loci Topici, qui præter genera caussarum omnibus quæstionibus conueniunt. Nec tractauit coniunctim de propositionibus proprijs, & communibus: quia uoluit magis propria à minus propriis distinguere; & iudicauit mores, & affectus esse magis proprios caussarum, vbi maxime animi conciliantur, & concitantur, quàm locos Topicos, qui ualent ad quamlibet quæstionem pertractandam. Ac prius egit de moribus; & affectibus, quàm de propositionibus, quæ sunt caussarum generibus communes, quia in ratione demonstrationis hæ uidebantur coniũgendæ cum locis Topicis, cum quibus maximam habent affinitatem. Quamquam nos facilitatis caussa in nostro explicationum libro totam demonstrationem oratoriam unum in locum conduximus. Duę

igi-

igitur sunt partes libri secundi, vna de magis propriis, altera de communioribus; & ob id post tractationem morū, affectuum, & propositionum caussis communium, antequàm agatur de locis, legitur in hunc modum; Reliquum est exponere fidem omnibus communnem, quoniam dictum est de propria. Et scripsit primum de moribus oratoris: inde de affectibus: præterea de moribus auditorum: quia affectus etiam considerantur tamquàm mores, quatenus scilicet ad eos accommodatur oratio, cum affectus proprie dicantur in Rhetorica, quatenus in animis auditorum excitantur, uel tranquillantur. Quamobrem seruiunt & pro moribus, & pro affectibus, & ideo interiecti sunt inter primam, & secundam partem moratæ orationis. Itaque primum præcepit tres mores in oratore exprimendos esse, prudentiam, probitatem, beneuolentiam: deinde multa tradidit de affectibus, & quidem mirabili quodam ordine, ut de vnoquoque affectu post eius definitionem facile intelligatur, qui, erga quos, & quasobres afficiantur, ac quo modo quisque affectus excitetur: præterea docuit ad quattuor morū genera, qui spectari in auditoribus solent, orationem

accom-

accommodãdam esse, affectuu m, habituũ, ætatum, fortunę; quæ est secun da ratio moratæ orationis. Nam tercia pertinet ad elocutionem, de qua Aristoteles libro tertio, & nos coniunctim cum alijs partibus, ut institutum nostrum retineremus seruãdæ facilitatis. Addidit Aristoteles propositiones caussarum generibus communes. Et in ultima parte libri secundi locos exemplorum, & enthymematum. Atque hęc est prima pars Rhetoricæ & ordine, & dignitate, nempe de rebus. secunda est de uerbis, & continet omnem elocutionis rationem, in qua considerantur tum uerba simplicia, tum coniuncta. & in simplicibus tum propria, & immutata, & domestica, tum trãslata, tum epitheta, tum diminutiua, tum frigida, tum imagines. & in coniunctis tum elocutio emendata, tum tumida, tum decora, tum numerosa, tum fusa, & uersa, tum urbana, tum conueniens. Quemadmodum autẽ prima pars Rhetoricæ est de rebus, & secũda de uerbis: sic tertia est de partib. orationis, & earum dispositione. de qua Arist. tradidit demõstratiua procemia duci à laude, uituperatione, suasione, dissuasione, ijs, quæ referuntur ad auditorem; iudicialium unũ munus esse proprium indicare rem, cuius


gratia

gràtia oratio instituta est, alia esse cōmunia,& medicamenta ducta ab Oratore, ab aduersario,ab auditore,à re ipsa; deliberatiua sumi ab obiectione criminis,à depulsione,ab amplificatione,à diminutione,ab ornatu. Sic narrationes conuenire generi demonstratiuo non continenter, sed in partibus; iudiciali continenter; deliberatiuo nullo modo, nisi assumptas. sic fidei demōstratiuæ esse propriam amplificationem; deliberatiuæ exemplum; iudicialis enthymema. sic perorationis munus esse, ut bene constituat auditorem, ut amplificet, ut concitet, ut memoriam renouet. Atq; hæc omnia libro tertio, cuius prima pars est de elocutione: secūda de partiū dispositione.





VM hæc noſtra conuerſio in multis diſcrepet ab aliorum cõuerſionib. & ĩdicare omnia longiſſimũ ſit: operę pretium eſſe duximus, pauca quædam notarę, ex quib. duci argumentum de ceteris omnibus poſſit; & reliqua diligẽtiæ ueſtræ relinquere, qui faci le poteritis, quid profecerimus iudicare, ſi hanc ipſam conuerſionem cum aliis confer re uo-



lueritis. Nulli certe labori, ut
uobis utiles essemus, peperci
mus; & maiora in dies conabi
mur, vt studia uestra, quantum
possumus, adiuuemus. īterim
aliquorum locorum, ratio-
nem accipite.





ARISTOTELIS artis rhetoricæ] omisimus illud, quod non nulli addiderunt, AD THEODECTEM, propterea ꝙ in hoc ipso opere citantur libri Theodectij. nam libro tertio sic legitur; Principia vero periodorum ferme in Theodectijs enumerata sunt. vnde optimi interpretes collegerunt, Theodectios ab his diuersos fuisse. Quamquam non defuerunt, qui interpretati sunt Theodectios nō ad Theodectē, sed Theodectis, quemadmodum Cicero, Nicomachia non ad Nicomachum, sed Nicomachi, quòd patri potuerit similis esse filius; vt repugnare nō videatur hos libros esse ad Theodectē, & in ipsis citari Theodectios, id est Theodectis. Id quod nos à veritate alienum esse arbitramur, non minus, quàm id, quod scripsit Cicero de Nicomachijs; vt quemadmodum certissimum est, contra quàm sensit Cicero, libros Nicomachios esse ad Nicomachum, & non Nicomachi, quòd in eis Aristoteles citet alia sua opera, de quibus non dubitatur: sic Theodectios intelligendos esse ad Theodectem sine vlla dubitatione existimemus. pag. 1. pag. 169.

Rhetorica conuenientiam habet cum Dialectica] De hoc principio vide quid scripserimus in libro explicationum nostrarum. pag. 122.

Alij consuetudine, & habitu] In quibusdam libris legitur, καὶ ἀπὸ ἕξεως. quæ lectio nobis placuit. pag. 1.

Exiguam ipsarum particulam] legitur αὐτῆς, & αὐτοῦ, & αὐτῶν. Nos vltimam lectionem sequuti sumus, vt illa vox referatur ad artes orationum. pag. 2.

Fides enim sola] putamus minus latine exprimi probationes per fides, in quibus sonare nerui

ſolent,quàm per fidem,cum recte dicamus facere fidem, & non fides pro perſuadere argumentis. Iam,cum de probatione, non de lyra agatur,tam etſi vox græca pluralis ſit, non videmus tamen, cur per vocem ſingularem declarari non poſſit; quemadmodum è conuerſo,vbi agitur de morata oratione,pro ſingulari græca dicimus latine mores, vt linguæ ſeruemus proprietatem. Vbique igitur loco pluralis vocis fidem poſuimus.

pag.3. Cum eadem ſit uia, & ratio in deliberatiuis] περὶ τὰ δημηγορικὰ conuertimus in deliberatiuis facilitatis cauſſa.

Quòd cõmunior ſit] legimus, ὅτι κοινότερον.

pag.7. Qui ponunt in arte probitatem eius, qui dicit, quaſi mores nihil conferant ad id,quod fidem facit. Sed potentiſſimam propemodum, vt ita dicã, fidem continent]legitur, τιθέασι, & οὐ τιθέασι, primam lectionem vetus tranſlatio ſequuta eſt, & nos quoque ſequuti ſumus. Verum, ſiue cum negatione, ſiue ſine negatione legatur, intelligendum eſt, non nullos aut non poſuiſſe in arte dicentis probitatem, cuius probitatis opinio oratione parta ſit: aut poſuiſſe in arte dicentis probitatem, cuius probitatis opinio oratione parta non ſit.legitur etiam ὡς οὐδὲν συμβαλλομένου, & συμβαλλόμενον & συμβαλλομένην. Nos cum Victorio primam lectionem ſequuti ſumus, vt reprehendantur magiſtri illi,qui ita ponebant in arte probitatem dicentis, vt niſi, qui diceret, probus eſſet,nihil valere ad perſuadendum moratam orationem arbitrarentur,quam tamen Ariſtoteles dicit potentiſſimam propemodum fidem cõtinere. Vltimam lectionem vetus tranſlatio expreſſit, & M. Antonius Muretus lib. 1. variarum lectionum probauit. Nos vt non deſpicimus cum Victorio,

ſic

ſic non tam facilem arbitramur, quam putat Muretus, vt aliqui ponant in arte rem illam, quę nihil conferat ad finem artis, & probitas, quæ poteſt intelligi opinione hominum anticipata, ac ſine oratione, ſit idem, ac mores, qui ſine dubio hoc in loco oratione expreſſi intelliguntur.

Fides vero illa, quæ demonſtrat, aut apparet demonſtrare, quemadmodum in Dialecticis eſt aut inductio, aut ſyllogiſmus, aut qui apparet ſyllogiſmus: ſic etiam in Rhetoricis. Nam exemplum quidem eſt inductio, enthymema vero ſyllogiſmus. Ac enthymema quidem] Nihil immutauimus, vt veterem lectionem, & tranſlationem ſequeremur, etiam ſi Muretus legat in hunc modum; Fides vero illa, quæ demonſtrat, aut apparet demonſtrare, ſicut in Dialecticis, vna quidem inductio eſt, altera vero ſyllogiſmus. Ac enthymema quidem: putat enim cetera eſſe inculcata, quæ nobis viſa non ſunt relinquenda, cum ſententiam Ariſtotelis apertius declarent. pag. 8.

Alterum vero vt vniuerſale ad id, quod ſingulariter ſe habet, quemadmodum ſiquis diceret ſignum eſſe hunc hominem febri laborare, quia frequenter anhelet] Hoc ſignum non appellauimus tertium, vt quidam fecerunt; quòd viderimus non fuiſſe ita appellatum ab Ariſtotele, & animaduerterimus eſſe potius ſecundum, cum alterum ſit vt ſingulare ad vniuerſale: alterum vt vniuerſale ad ſingulare. Neque ex ſuperioribus tecmerij exemplis vllam dubitationem cepimus; quæ tantum afferuntur ad declarandum primum genus ſignorum innominatorum, vt intelligatur, quomodo differant huiuſmodi ſigna ab illis, quæ ſolui non poſſunt. Quæ exempla, ſi liceret, libenter transferrem in priorem tecme pag. 12.

rij tractationem,vt magis distinguereiur disputā di genus quodammodo perplexum, quo primum explicatur tecmeriū, deinde suis exemplis decla ratur signum innominatum singulare,inde tradū tur exempla tecmerij,postremo exprimitur signū innominatum vniuersale.

pag.13. Et qui magis ea attingunt secundum modum, non decenter recedunt à se ipsis] Hic hellenismū expressimus,vt nihil immutaremus; & cū in qui busdam libris legatur, οὐ δεόντως, huiusmodi le ctionem sequuti sumus.

pag.16. Ac primum quidem sumere oportet, cuiusmo di in bonis, aut malis is, qui deliberat,versetur] conuertimus, Qui deliberat, & non Qui suadet, quòd Aristoteles non solum significet eum, qui suadet, sed etiam eum, qui dissuadet; etiam si caussa deliberatiua apud Quinctilianū suasoria, & apud Ciceronem suasio appelletur à principa li parte,vt etiā demōstratiua dicitur exornatio.

pag.24. Nam qui expers morbi nō sit,neque robustus, non erit perturbationis expers. Et qui non sit in dolens,vitam non producet. Neque sine fortu na poterit durare] Victorius legit, οὔτ᾽ ἂν εὐτυχὴς neque prospera fortuna vtens, & interpreta tur sic;Nisi enim morbo uacet,ac vires etiam,quā tæ in ea ætate optari possunt,adsint, non erit ex pers molestiarum,neque dolorum, nec uitam pro ducere poterit. nec vllo modo secundam fortunā retinere. Christoph. Rufus ita corrigendū putat, οὔτ᾽ ἂν μὴ εὐτυχὴς διαμείνῃ.Muretus li.7. varia rū lectionum delet illud οὔτ᾽,& legit ἄνευ τύχης sine fortuna in hunc sensum; Nam expers morbi non existens neque robustus, non erit sine mole stia. Neque indolens, & longęuus sine fortuna constiterit, quam lectionem etiam alij sequuti

sunt

ſunt. Nos nihil delemus,& hunc ſenſum colligimus;In bona ſenectute requirũtur tum corporis, tum fortunæ bona. Nam ſine corporis virtutibus ſanitate, & robore non habebit indolentiam,quæ eſt prima proprietas bonæ ſenectutis; & ſi non ſit indolens, non habebit longæuitatem,quę eſt ſecũda proprietas. præterea ſine bonis fortunæ carebit longæuitate. Ergo requiruntur vtraque bona.

His autem poſitis,neceſſe eſt, vt & ſumptiones bonorum bonæ ſint, & depoſitiones malorum:cõſequitur enim illud,ut non habeamus malum ſimul:hoc autem,ut habeamus bonũ poſterius; & pro minore bono maioris ſumptiones] Legimus ſumptiones,& non ſumptio: facilis enim eſt mutatio in voce græca additione vnius litteræ;& tollitur perturbatum loquendi genus; Neceſſe eſt bonas eſſe,& adeptiones bonorum,& depulſiones malorum,& pro minore bono maioris adeptio. *pag.26.*

Vt autem de ſingulis dicam,neceſſe eſt, vt hæc bona ſint; felicitas, quia per ſe electione digna eſt, & ſibi ſufficiens,& propter ipſam multa eligimus;iuſtitia,fortitudo,temperantia, magnanimitas,magnificẽtia,& alij eiuſmodi habitus] Fugimus helleniſmum illum; Neceſſe eſt bona eſſe hæc,felicitas, iuſtitia, fortitudo, & quæ ſequuntur.

Et, ſi maximum ſuperat maximum,etiam genera ſuperant genera, & ſi quæcunque genera ſuperant genera,etiam maximum ſuperat maximum] Conuertimus ἀυτὰ genera facilitatis cauſſa. Intelligi.n.genera conſtat ex illis verbis,quæ paullo infra leguntur,ἀνάλογον γὰρ ἔχουσιν αἱ ὑπεροχαὶ τῶν γενῶν, καὶ τῶν μεγίστων ἐν ἀυτοῖς,vbi τῶν γενῶν ualet Ipſorum,& ἐν ἀυτοῖς.in generib. Ipſa *pag.30.*

ergo apud Aristotelem sunt genera, etiam si hoc in loco aliter accipiantur, ac in Dialectica. Quæ caussa fuit, cur ipsum Aristotelem libro primo Ethicorum faciliorem reddiderimus, conuertendo sic; omnes enim scientiæ boni alicuius appetentes, & inquirentes id, cuius indigent, relinquunt cognitionē generis. Latine enim si legamus ipsius, erit obscurior locus. & infra; Si generale bonum cognorit. non verbum de verbo; Si ipsum bonum.

pag. 38. Necesse est maximas esse virtutes, quæ alijs vtilissimæ sint, siquidem virtus facultas est, quæ beneficia facit. Idcirco iustos, & fortes maxime honorant; horum enim virtus in bello: illorum vero etiam in pace vtilis est. Deinde etiam liberales. Nam effundunt, & de pecunijs non certant] Si legatur liberalitas, & non liberales, videbitur oratio aliquantisper perturbata.

pag. 39. Et quarum rerum pęnæ maiores] Sequuti sumus explicationem Victorij, vt in hac forma loquatur Aristoteles de maiori malo, cum consideret maius modo bonum, modo malum; etiam si despicienda non sit illorum interpretatio, qui ζημίας intelligunt iacturas, vt Philosophus doceat, illa bona esse maiora, quorum iacturæ maiores sunt; & respiciat locum, quem libro tertio Topicorum appellat ἀπὸ τῶν ἀποβολῶν, id est ab abiectionibus, de quo legitur in hanc sententiam; Similiter autem in abiectionibus & in contrarijs. Nam si abiectio, vel contrarium est fuga dignus, ipsum est electione dignius. quod notauit Christophorus Rufus, vir, vt mihi quidem visus est, non minus modestus, quàm doctus in libro, quem inscripsit Antexegemata.

pag. 44. Et in quem primum encomium factum est, vt

in

in Hippolochum] Cum, quis fuerit hic Hippolochus ignoretur, sunt, qui putent legendum esse Antilochum, vt intelligatur is, qui se obiecit in periculum mortis, ut seruaret Nestorem patrem suum; & interfectus est à Memnone filio Auroræ Aethiope, dũ defenderet patrem ab illius fortitudine. quod canit Pindarus in Pythijs.& is, de quo scripsit Xenophon in libello de uenatione in hunc modum; Antilochus pro patre moriens tantum gloriæ consequutus est, vt apud Græcos solus prædicetur patris amator. Nos veterem lectionem immutare ausi non sumus.

Et, si ex ipso copiam non habes, cum alijs debes comparare, ut faciebat Isocrates, cum in forensi caussarum dictione minus versaretur] legitur διὰ τὴν συνήθειαν. & διὰ τὴν ἀσυνήθειαν. Nos vltimam lectionem expressimus; ex qua hunc sensum colligimus, Isocratem comparatione vsum esse, non ex iudicialis dictionis consuetudine, quia caussas in foro non est solitus dicere, etiã si forenses orationes scripserit; sed quia cum consuetudinem non haberet dicendi caussas in foro, commodius exercebat præcepta generis demonstratiui in scriptionibus, cum quibus conuenit genus demonstratiuũ maxime meditatum, & ad scribendum aptissimum, vt tradit Aristoteles libro tertio; & idcirco cum meditate scriberet, vtebatur comparatione propria generis demonstratiui, quæ meditatione aliqua videtur indigere; vt exẽplum eius recte nobis proponat Aristoteles, qui quoniam in forenses contentiones descendere non consuesceret, non solum in exornationibus, verum etiam in quibuslibet scriptionibus excelleret, ubi comparatio fieri commodius potest, quàm cum in foro dicitur, vel derepente, vel

exiguo

exiguo temporis spatio ad cogitandum dato.

pag.45. Lex vero est, una propria: altera communis. Voco propriam, secundum quam scriptam ciuiliter agunt] Existimamus minus idonee legem, & ius ciuile appellari priuatum, quod à iuriscõsultis diuiditur in publicum,& priuatum.

pag.57. Qui parati sunt fortunam belli rursus tentare] Nobis placuit sententia illorum, qui legendum putarunt, οἷοι ἀναμάχεσθαι, et non,ut communiter legitur, οἷον ἀναμάχεσθαι.

pag.79. Et,si non sentiant ipsos indigere] Quidam cõuerterunt, Nos indigere. Nobis placuit illud spectare, vt uerba congruerent voci Irascuntur, ad quam hi loci referuntur.

Quæ enim curamus, ea non latent] Alij; Quos enim curamus, non latent]. Nos genus neutrũ retinuimus propter uocem λανθάνει, quæ quamuis singularis, conuenit cum neutra plurali,non sic cum virili, aut muliebri, vt notissimum est.

pag.81. Caussa uidetur esse, quòd impudentia est manifesta negare] Non nulli loco caussæ conuerterunt signum. Nos exprimendam esse uocem græcam αἴτιον existimauimus.

pag.82. Neque enim fieri potest, ut simul timeant, & irascantur] Alij; Vt simul timeamus, & irascamur.Nos uoluimus ita conuertere, ut uerba congruerent illis uocibus,unde pendent;Lenes esse.

pag.87. Sit ergo metus molestia quædam, & perturbatio ex phantasia futuri mali]Sunt,qui vertunt, ἐκ φαντασίας ex opinione. tamen φαντασία enumeratur inter animi facultates rationis expertes etiam bestijs communes:δόξα uero inter ratione præditas,quæ in solis hominibus reperiuntur.

pag.116. Idcirco explicatum est,& quomodo,& per quæ orationes moratas faciamus] Illud ὥστε conuertimus

mus. Idcirco, & non, ut alij conuerterunt, Quare, propter orationis ἀκολουθίαν.

Omnino enim accusans debet esse melior reo] Alij; Melior esse uult eo, qui accusatur: Nos sequuti sumus facilitatem, cum βούλεται apud Aristotelem idem significet, quod debet. Id quod non intelligere Di. Thomas quibusdam uisus est, cum illum locum Aristotelis in libro secundo Physicorum explicauit, βούλεται γὰρ οὐ πᾶν εἶναι τὸ ἔσχατον τέλος, ἀλλὰ τὸ βέλτιστον. pag. 133.

Constituta autem est ex hoc loco ars Coracis: si enim culpæ non sit obnoxius, quemadmodum si cum debilis existat, de uerberatione arguatur, non est uerisimile, & si sit obnoxius, quemadmodum si cum robustus existat, nec est quidem uerisimile] si uerba contextui græco respondeant, aliquantisper perturbata uidebuntur, nisi aliquid suppleamus, vt quidam interpretes faciunt. pag. 144.

Disceptator putat, si sic solutum sit] Alij; Qui uero iudicat, arbitratur, si eo modo solutum sit. Nos dictionem uero sustulimus propter sermonis ἀκολουθίαν, cum hellenismus patiatur, vt sæpe dictio δὲ abundet. pag. 145.

De exemplis quidem, & sententijs] Alij; Quoniam autem tria sunt, quæ tradere de oratione oportet, de exemplis quidem, & quæ sequuntur. Nos omisimus priora uerba, sequuti sententiam illorum, qui ex principio libri tertij negligentia alicuius librarij huc fuisse transposita obseruarunt. pag. 148.

Nondum autem constat de ipsis ars, quoniam etiam id, quod pertinet ad elocutionem, sero prodiit. Et videtur esse res leuis, si recte existimetur] Nobis placuit ita conuertere, ut quemad- pag. 150.

modum

modum in contextu græco, ſic etiam in latino illud, videtur eſſe res leuis, posſit referri ad artem actorum, de qua agebat Ariſtoteles. quod obſeruatum fuiſſe à doctiſſimo Robortello alibi notauimus.

pag. 452. In nudis autem orationibus multo paucioribus uti licet] Muretus corrigit πολλῷ ἐλάττοσιν. πολλῷ ἐλάττω εἰσιν. quam viri litteratiſſimi correctionem non deſpicimus.

pag. 153. Nam cauent, tanquam ab inſidiatore] Legimus, ut Muretus, pro διαβάλλονται διευλαβοῦνται.

pag. 162. Et Tabulares multifores apertiones] Sic interpretatus eſt Lampridius uir græcis litteris quàm doctisſimus, cuius obſeruationes in artem Rhetoricam ab eius uoce exceptas oſtendit mihi uir optimus, & litteratiſſimus Matthæus Macinus, qui cum mihi propter eius integerrimos mores, ac ſingularem doctrinā ſummus eſt uſus. Itaque ſic dictum eſt à poetis, Tabulares multifores apertiones; cum dicendum eſſet, Multa apertio ianuæ ex tabulis factæ. Victorius tamen putat locum corruptiſſimum eſſe, & ita corrigit, ut legatur non δελτούμεναι δὲ, ſed δέλτου μὲν αἵδε, non πολύθυροι, ſed πολύθρηνοι διαπτυχαὶ, id eſt epiſtolæ (uult.n. epiſtolā appellari δέλτον) hæ luctuoſæ complicationes, uel, ut alij uertunt, Epiſtolæ hæc lectuoſa uolumina. eamque correctionem colligit ex Iphigenia in Tauris. Nos, vt corrigentis ingenium, & ſolertiam maxime laudamus, ſic, cum uetuſtisſima lectio ferri poteſt, nihil immutamus.

pag. 165. Ex rhythmis uero herous grandis, & dictioni accommodatus, & indigens harmoniæ] Verba Ariſtotelis ſunt, καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος.

μενος. Victorius legit ὀυ λεκτικὸς, id est non aptus solutæ orationi, & indigens concentu, id est uacuus à numero, quem libenter recipit soluta oratio. Vincentius Madius in suis in artem Poeticam Aristotelis annotationib. legit, ἀλλὰ λεκτικῆς ἁρμονίας δεόμενος, sed solutę orationis harmonia carens. Maioragius nihil immutat, & hoc modo explicat, ut uterque pes & herous, & iambus appelletur λεκτικὸς, sed diuersa ratione, nempe iambus, quòd passim ab omnibus usurpetur, & in omnium orationem cadat, & quotidiano sermoni simillimus sit: herous, quòd elegantem, & venustam orationem reddat, si cum iambo, reliquisque numeris quadam harmonia temperetur. Illud autem ἁρμονίας δεόμενος ualet apud eum, Qui eget temperatione, & permixtione aliorum numerorum, quoniam per se nimis est elatus, & grandis. Alij interpretantur canorum, & requirentem harmoniam. Nos in tanta interpretum uarietate ad uerba græca interpretationem nostram quàmmaxime potuimus, accommodauimus, & nihil duximus immutandum, sat habentes monere uarias interpretũ lectiones.

Sed hæc pauca sufficiant.

Errata grauiora sic corrigito, in leuioribus iudicium adhibeto.

Pag.6.uerſ.1.munus. 8.16.partim propter ignorantiam, partim propter arrogantiam. 18. 26. ſint.24.5.Qui uero ſtringere,& tenere, luctator. Atqui plaga pellere,pugil.48. 20. expleatur. 51. 26.gaudent 63.35.Semiobolos.134.21. Dodonis. 159.33.ratione. 175.3.pernjones. 186.25. num. 206.31. θεωρεῖν.208.32.definiēdo.210.4.prauos, 216.1.cōius.26.contrarii.219.21.ſophiſticis.220. 25.plana.255.22.Etenim alia eorum ſunt in Rhetorica,ut etiam in Dialectica methodo ſyllogiſmorum, alia in alijs artib.274.28. iudicari. 281. 30.de.302.15.impudentia. 311. 35. Elocutionis. 318.1.defendendos.319.27. proaulium.349.5.Halum.

XVI

ARISTOTELIS ARTIS RHETORICAE, ANTONIO RICCOBONO Interprete,

Liber Primus.



PROOEMIVM.

RHETORICA conuenientiã habet cum Dialectica: ambæ enim in eiusmodi rebus versantur, quæ communiter quodammodo cognoscuntur, & nullius sunt scientiæ definitæ. Quamobrem etiam omnes quodãmodo ambarum participes sunt. Omnes enim quadã tenus & exquirere, & sustinere rationem, & defendere, & accusare conantur.

Rhetorica, & Dialectica similes inter se.

Ac ex imperita quidem hominum multitudine alij temerè hæc faciunt: alij consuetudine, & habitu. Quoniam vero ea vtroque modo fieri contingit; manifestum est etiam licere eadem facere certa via, & ratione: quia contingit caussam intueri, cur finem consequantur tum qui hæc faciunt consuetudine, tum qui casu. Iamuero om-

Rhethorica, & Dialectica artes.

nes confeſſi fuerint huiuſmodi eſſe artis munus.

Rhetorica ab alijs imperfectè tradita.

Ac qui artes quidem orationum ad hoc vſque tempus compoſuerunt, exiguam ipſarum particulam confecerunt.

Fides enim ſola continet id, quod artificioſum eſt: alia vero additamenti ſunt loco. At hi nihil quidem de enthymematibus dicunt, id quod eſt corpus fidei: de ijs vero, quæ ſunt extra rem, tradunt plurima. Criminatio enim, & miſericordia, & ira, & huiuſmodi animi perturbationes, de re non ſunt, ſed ad iudicem referuntur.

Quòd ſi in omnibus iudicijs eueniret, perinde ac etiam nunc in nonnullis ciuitatib. euenit, maxime vero in ijs, quæ bene ſunt inſtitutæ; ad dicendum nihil haberent. omnes enim partim arbitrãtur ſic legibus caueri oportere; partim hoc inſtitutum retinent, & prohibent extra rem dicere, vt etiam in Areopago. Et rectè quidem ſic ſtatuunt: non enim oportet iudicem peruertere, ad iram excitando, vel inuidiam, vel miſericordiam: quia id ſimile eſt, ac ſi quis, qua vſurus eſt regula, eam peruerſam reddat.

Præterea vero apparet, eius, qui controuerſatur, nullum aliud eſſe munus, niſi vt demonſtret rem eſſe, vel non eſſe, vel factam, vel non factam eſſe. At vero, vtrum magna, an parua res ſit, vtrum iuſta, an iniuſta, quæcunque legiſlator nõ diſtinxit ipſum nempe iudicem oportere cognoſcere, & non diſcere ab ijs, qui controuerſantur. Maxime igitur conuenit rectè latas leges, quęcunque poſſunt, omnia ipſas diſtinguere, & quàm pauciſſima ijs, qui iudicant, relinquere. primum, quia facilius eſt vnum habere, & paucos, quàm multos, qui bene exiſtiment, & poſſint legem ferre, ac ius conformare. Deinde quia legum lationes fiũt

ex

ex longi temporis confiderationib. at iudicia derepente; vt difficulter illi, qui iudicant, iustitiæ, & vtilitatis rectam habeant rationem. Atque quod omnium est maximum, quia legislatoris iudiciũ non est de reb. singularibus, nec de pręsentib. sed de futuris, & de vniuersalib. At cõcio, & Iudex de præsentibus, ac definitis iudicant, quibuscum & amor, & odium, & propria vtilitas sæpenumero coniuncta est, vt non amplius possint id, quod verum est, satis perspicere, sed propria iucunditas, aut molestia iudicium obscuret. Igitur de alijs, quemadmodum dicebamus, quàm paucissimis oportet dominum constituere disceptatorem. Verum de re facta, aut non facta, futura, aut non futura, existente, aut nõ existente, omnino disceptatoribus statuendum est. fieri enim non potest, vt hæc legislator prouideat.

Iam si hæc ita se habent, apparet, ea, quæ sunt extra rem, illos præcipere, quicunque in alijs reb. versantur, vt quid habere procemium oporteat, aut narrationem, aut aliarum particularum vnãquamque. Nihil enim in ipsis aliud tradunt, nisi quomodo afficiant disceptatorem. De fide vero artificiosa demonstrant nihil, hoc est, vnde aliquis fieri enthymematicus possit.

Etenim hac ipsa de caussa, cum eadem sit via, & ratio in deliberatiuis, & iudicialibus, sitq; pulchrior, ac ciuilior deliberationis traditio, quàm ea, quæ de contractibus est; de illa quidem nihil dicunt: at de litigando omnes præcepta tradere conantur; quia minus prodest, ea, quæ sunt extra rem, dicere in deliberatiuis; ac minus malitiosa est concio, quàm de iure disceptatio, quòd communior sit. hic enim disceptator de proprijs iudicat, vt nihil aliud opus sit, nisi demonstrare rem

ita se habere, vt is, qui consulit, ait. In iudicialibus vero id non sufficit; sed operæpretium est, auditorem arripere: de alienis enim iudiciũ est; ita vt, dum se ipsos spectant, & ad gratiam audiunt, se dent illis, qui controuersantur, non autem iudicent. Itaque multis in locis, vt prius dicebamus, lex prohibet extra rem dicere. ibi autem ipsi disceptatores hoc custodiunt satis.

Cognoscenda est Dialectica, vt Rhetorica cognoscatur

Quoniam vero apparet, artificiosam methodũ ad fidem pertinere; & fides demonstratio quædam est; (nam tunc maxime fidem habemus, cum demonstratum esse arbitramur) & demonstratio oratoria est enthymema; & hoc, vt simpliciter dicam, ad fidem faciendam potentissimum est; & enthymema est syllogismus quidam; & videre ea, quæ ad syllogismum æque omnem pertinent, Dialecticæ est, vel ipsius vniuersæ, vel partis alicuius: non est dubium, qui maxime hoc potest intuieri, ex quibus & quomodo syllogismus conficiatur, eum etiam maxime enthymematicum fore; cum assumpserit, & in cuiusmodi rebus versentur enthymemata, & quas habeant differentias ad logicos syllogismos. Nam videre verum, & simile vero, ad eandem pertinet facultatem. Simul autem & homines ad verum natura conformati sunt satis, & plerunque veritatem consequuntur. Quamobrem ad probabilia cõijcienda se habere, eius est, qui eodem modo se habet etiam ad veritatem. Apparet igitur alios præcipere, quæ sunt extra rem, & qua de caussa magis deflexerint ad iuris disputationem.

Rhetoricæ vtilitas

Vtilis autem est Rethorica;

1 Propterea quod natura sunt meliora vera, & iusta, quàm contraria. Quare, si, prout conuenit, iudicia non exerceantur, necesse est per ipsa superari,

rari, atque hoc reprehensione dignum est.

2 Præterea vero apud non nullos, nec si exquisitissimam habeamus scientiam, facile est per illā dicendo persuadere. Ad doctrinam enim pertinet oratio, quæ à scientia proficiscitur, id autē præstari non potest: sed ex communibus necesse est duci fidem, & rationem, quemadmodum etiam in Topicis de collocutione cum imperita hominum multitudine dicebamus.

3 Deinde vero oportet contraria persuadere posse, quemadmodum etiam in Syllogismis, non vt vtrunque faciamus (mala enim persuadere non oportet) sed vt ne lateat, quomodo se habet, & vt altero iniuste ipsis rationibus vtente, soluere eas possimus, Ac ex alijs quidem artibus nulla syllogismo contraria concludit. Dialectica vero, & Rhetorica solæ id faciunt. similiter enim sunt ambæ contrariorum. Atqui res subiectæ non similiter se habent: sed veræ, & meliores, vt simpliciter dicam, semper sunt aptiores ad syllogismum, & persuasionem.

4 Ad hæc absurdum est, vt copore quidem turpe sit non posse sibi ipsi opitulari, oratione vero turpe non sit, quæ hominis magis propria est, quàm vsus corporis.

Quòd si obijciatur, valde nociturum esse eum, qui iniuste vtatur huiusmodi rationum facultate; hoc iam commune est aduersus omnia bona præter virtutem, & maxime aduersus vtilissima, vt robur, valetudinem, diuitias, disciplinam militarē. His enim aliquis profuerit maxime, si iuste vtatur, & nocuerit, si iniuste.

Pōt Rhet. in bonam, & malam partem adhiberi, vt omnia bona utilißima.

1 Ac non esse quidem vnius alicuius generis definiti Rhetoricam, sed similem Dialecticæ.

2 Atque esse vtilem apparet.

Colligit Aristoteles quatuor.

3 Neq; vero persuadere esse minus ipsius, sed videre, quæ in quaque re possunt apponi ad persuadendum, quemadmodum etiam in alijs artibus omnibus. Neque enim sanum facere est munus Medicinæ, sed quatenus fieri potest, eatenus perducere. licet enim etiam illos, qui sanitatem recuperare non possunt, tamen bene curare.

4 Ad hæc autem eiusdem esse videre tum appositum ad persuadendum, tum quod videtur appositum; vt etiam in dialectica tum syllogismum, tum qui videtur syllogismus. sophisticus enim æstimatur non ex facultate, sed ex prælectione. In dicendi tamen ratione æque orator censebitur ex scientia, ac ex prælectione. At in differendi arte sophista quidem est ex prælectione: dialecticus vero non ex prelectione, sed facultate.

COMMVNIA QVAEDAM Rhetoricæ.



AMVERO de ipsa methodo conemur dicere, & quomodo, & ex quibus ea, quę proposuerimus, consequi poterimus. Rursus igitur tanquam de integro ordientes, cum definierimus, quid ipsa sit, de reliquis dicamus.

Quid sit Rhetorica.

Sit ergo Rhetorica facultas videndi in quaque re, quod contingit, esse idoneum ad faciendam fidem. Hoc enim nullius alterius artis munus est. Nam ex alijs vnaquæque in re sibi subiecta docendi, & persuadendi exercet facultatem, quemadmodum Medicina in sanabili, & morboso. & Geometria in affectionibus, quæ magnitudinibus accidunt. & Arithmetica in numero. Similiter vero etiam

etiam artes,& scientiæ reliquæ. At Rhetorica de re data,vt ita dicam, videtur id, quod idoneum est ad faciendam fidem posse intueri. Quæ caussa est,cur etiam asseramus,ipsam haudquaquam vim artificiosam habere in genere aliquo proprio definito.

Fides autem vna est non artificiosa:altera artificiosa.Res non artificiosas appello, quæcunque non sunt à nobis excogitatæ, sed ante erant, vt testes, q̃stiones,syngraphę, & eius generis reliquæ. Artificiosas vero, quæcunque fieri potest, vt methodo, & opera nostra comparentur. Quare illis quidem vti oportet: has vero inuenire.

Fides duplex nō artificiosa, artificiosa.

Ac fides illa,quæ ratione excogitatur, triplex est.Nam partim consistit in moribus eius, qui dicit:partim in eo,vt aliquo modo auditor afficiatur: partim in ipsa ratione, propterea quòd aliquid demonstretur,vel demonstrari videatur. Ac propter mores quidem fidem habent,quoties oratio ita prolata sit,vt fide dignum reddat eum, qui dicit.probis enim magis,& celerius credimus, in omnibus quidem rebus simpliciter,sed in ijs præcipue,in quibus certi nihil habetur,verum opinio est dubia. Oportet vero etiam id accidere propter orationem,& non quia anticipatum opinione sit,eum,qui dicit,esse quibusdam moribus præditũ. Neq; enim faciendũ est,vt non nulli faciũt ex dicendi artificibus,qui ponunt in arte probitatem eius,qui dicit,quasi mores nihil cõferant ad id,ꝙ fidẽfacit.Sed potẽtissimã propemodũ, vt ita dicam, fidem continent. Propter auditores autẽ, quoties in affectum ab oratione perducti sint.Nõ enim similiter iudicamus,dum mœremus,& gaudemus,aut amamus,& odio habemus. Qua de re etiam sola conari pręcepta tradere asserimus eos,

Fides artificiosa triplex demonstratio, affectus, mores.

qui nunc de arte conscribunt. Atque hęc quidem singillatim declarabuntur, cum de affectibus dicemus. Propter rationes vero, cum verum, aut id, quod apparet, demonstrauerimus ex ijs, quæ in quaque re sunt idonea ad faciendam fidem.

Quoniam vero fides ex his proficiscitur; apparet tria hæc consequi eius esse, qui possit syllogismo concludere, & qui speculari de moribus ac virtutibus, & tertio loco, qui de affectibus, nempe quid sit vnusquisque ex affectibus, & qualis, & ex quibus excitetur, & quomodo. Quo fit, vt Rhetorica sit tanquàm agnatum quiddam Dialecticæ, & eius, quæ de moribus est, traditionis, quam iustum est appellare Politicam. Quare Rhetorica subit personam Politicę, & qui hāc sibi vendicāt, partim propter ignorantiam partim propter alias caussas humanas. Est enim Dialecticæ particula quędam, & similitudo, quemadmodum etiā exordientes dicebamus. Neutra enim ipsarum est scientia de aliqua re definita quærens, quomodo se habeat: sed ipsæ facultates sunt quædam parandi rationes. Ac de earum quidem facultate, & quomodo ipse se habeant inter se, dictum est propemodum satis. Fides vero illa, quæ demonstrat, aut apparet demonstrare, quemadmodum in Dialecticis est aut inductio, aut syllogismus, aut qui apparet syllogismus: sic etiam in Rhetoricis. Nam exemplum quidem est inductio: enthymema vero syllogismus. Ac enthymema quidem voco oratorium syllogismum. exemplum vero oratoriam inductionem. Omnes autem demōstrando fidem faciunt aut exemplis vtentes, aut enthymematibus, & præter hæc quodammodo nihil habent. Quare, si omnino necesse est, eum, qui demonstrare aliquid velit, syllogismo, aut indu-

Rhetorica tanquā agnatum Dialecticæ, & politicæ.

Demonstratio fit enthymemate, & exemplo.

ctione vti (id quod nobis ex Analyticis manifestũ est) necessario vtrunque illorum cum vtroque horum idem est. Quæ vero sit differentia exempli, & enthymematis, apparet ex Topicis. Ibi enim de syllogismo, & inductione dictum est prius.

Inductio et exemplum quid.

Nempe cum in multis, & similib. demonstratur rem ita se habere, ibi quidem inductionem esse, hic vero exemplum. At, cum quibusdam existentibus aliud quid ex his euenit præter hæc, eò quòd hæc sint, vel in vniuersum, vel plerunque, ibi quidem syllogismum hic vero enthymema vocari.

Syllogismus, & enthymema quid.

Apparet autem speciem Rhetoricæ vtrunque bonum habere. Nam, quemadmodnm in Methodicis dictũ est, sic etiam in his res se habet. Sunt enim aliæ quidem exemplorum plenæ orationes: aliç vero enthymematum; quemadmodum etiam oratores alij quidem exemplis delectantur: alij vero enthymematibus. Et orationes quidem, quæ exemplis constant, non minus valét ad persuadendum: quæ vero enthymematibus magis perturbant. Caussam autem ipsorum, & quomodo vtroque vtendum, dicemus posterius. nunc vero de his ipsis apertius, & distinctius disseramus.

Enthymematis mateeia, itemque exẽpli.

Quoniam enim, quod appositum est ad faciendam fidem alicui appositum est; & vnum quidem statim existit idoneum ad faciendam fidem, ac per se credibile: alterum vero, eo quòd demonstrari eiusmodi argumentis videatur; & nulla ars considerat singulare, vt Medicina, quid Socrati salubri sit, vel Calliæ, sed quid homini sic affecto, vel hominibus sic affectis; (hoc enim artificiosum est; singulare autem infinitum est, atque ad scientiam minime accommodatum) nec Rhetorica quidem singulare probabile intuebitur, vt Socrati,

crati, vel Hippiæ, sed quod hominibus sic affectis, quemadmodum etiam Dialectica. Etenim illa Syllogismo concludit non ex quibuslibet (apparent enim quædam etiam ijs, qui deli rant) sed ipsa quidem ex ijs, quæ indigent ratione: Rhetorica vero ex ijs, quæ in consultationem venire consueuerunt. Est autē munus ipsius & de eiusmodi rebus de quibus consultamus, & artes non habemus; & apud eiusmodi auditores, qui non possunt ex multis contueri, neque longius ratiocinari. Ac consultamus quidem de ijs, quæ videntur posse se vtroque modo habere. De ijs vero, quæ fieri non potest, vt vel facta sint, vel futura sint, vel se habeant aliter, nemo consultat, qui scilicet recte existimet. Nullo enim alio modo, nisi sic, contingit consulere. Contingit autem concludere syllogismo, & colligere, alia quidem ex prius syllogismo conclusis: alia uero ex non conclusis quidem syllogismo, sed indigentibus syllogismo, propterea quòd non sint probabilia. Ac necesse est, illud ad consequendum esse difficile propter longitudinem. nā supponitur disceptator esse simplex: hęc vero minus apposita ad faciendam fidē, propterea quòd sint nec ex confessis, nec ex probabilibus. Quare necessarium est, enthymema esse, vt etiam exemplum, de ijs, quæ ita contingūt, vt sæpe se habeant aliter, exemplum quidem inductionem, enthymema vero syllogismum. Et ex paucis, ac sæpe paucioribus, quàm ex quibus primus syllogismus existit. si quid enim horum notum sit, non oportet dicere. Nā id ipse supplet auditor, quemadmodū cum Dorieus vicerit coronarium certamen; satis est dicere, eum vicisse olympia. esse autem olympia coronarium certamen, non oportet adiungere. nam id omnes cognoscūt.

Forma enthymematis.

Quo-

Quoniam autē necessaria sunt pauca, ex quibus oratorij syllogismi conficiuntur (multa enim, de quibus iudicia, ac deliberationes existunt, contingit etiam aliter se habere; quæ enim agunt, de ijs consultant, & deliberant; quæ vero aguntur, omnia huiusce generis sunt, & nihil horum prope dixerim, est ex necessitate; quæ autem plerumque accidunt, & contingunt, necesse est syllogismo concludi ex ijs, quæ eandem naturam habent, necessaria vero ex necessarijs; id quod manifestum est nobis ex Analyticis) apparet, ex quibus enthymemata ducuntur, alia quidem necessaria futura esse, plurima vero, quæ plerunq; ita se habent. Ex verisimilibus enim, & signis enthymemata ducuntur; vt necesse sit horum vtrumque cum vtroque illorum idem esse. Verisimile enim est, quod fit plerumque, non simpliciter, quemadmodum definiunt nonnulli, sed quod in ijs, quæ aliter se habere contingit, sic se habet ad illud, cui est verisimile, vt vniuersale ad singulare.

Enthymemata ex verisimilibus et signis. Verisimile quid.

Ex signis autem vnum quidem ita se habet, vt singularium aliquid ad vniuersale: alterum vero, vt vniuersalium aliquid ad singulare. Atque ex his quod necessarium est, tecmerium dicitur: at quod necessitatem non habet, caret nomine, quo distingui possit. Ac necessaria quidem voco, ex quibus fit syllogismus. Quamobrem ex signis tecmerium eiusmodi est. Nam, cum contingere non arbitrantur vt id, quod dictum sit, soluatur, tunc putant se afferre tecmerium: tanquàm demonstratum, ac terminatum: quia tecmar, ac terminus idem sunt iuxta antiquam linguam. Est autem ex signis vnum quidem vt singulare ad vniuersale, non secus ac siquis diceret, signum esse sapientes esse iustos, quia Socrates, & sapiens fuit, & iustus.

Signorum species.

Atque

Atque hoc quidem signum est, sed solui potest, etiam si quod dictum est, verum sit: syllogismo enim comprehendi non potest. Hoc aūt necessarium est, vt si quis diceret, aliquē ægrotare, quia febrē habet; aut aliquā peperisse, quia lac habet, quod ex signis solum tecmerium nominatur: solū enim si verum sit, solui non potest. Alterum vero vt vniuersale ad id, quod singulariter se habet, quēadmodum si quis diceret, signum esse aliquem febri laborare, quia frequenter anhelet. Atque hoc solui potest, etiam si verum sit. Contingit enim etiam nō laborantem febri anhelare. Igitur, quid sit verisimile, & quid signum, & tecmerium, & quid inter se differant, adhuc dictum est. Apertius vero etiam de his, & qua de caussa alia syllogismo concludi possint, alia non possint, in Analyticis disputatum est.

Forma exēpli.

Iam diximus exemplum esse inductionem, & cuiusmodi sit inductio. Est autem neque tanquàm pars ad totum, neque tanquàm totum ad partem, neque tamquàm totum ad totum; sed tamquā pars ad partem, simile ad simile, cum ambo quidem eidem generi subijciantur, sed alterum altero notius sit. Exemplum est, quemadmodum Dionysium affectare tyrannidem, cum postulet custodiam, quia Pisistratus prius affectans postulauit custodiam, & cum eam obtinuisset, tyrannidem occupauit. Et Theagenes Megaris. Et alij, quoscunque sciunt, omnes fiunt exemplum Dionysij, quem nondum sciunt ob id postulare. Omnia autem hæc eidem vniuersali subsunt, quod affectans tyrrannidem custodiam petit. Ac vnde quidem ducatur fides, quæ videtur demōstratiua, dictū est.

Enthymematum varietas.

Enthymemata vero valde differunt inter se. idque omnes ferme maxime latet. Quod etiam euenit

nit in dialectica methodo syllogismorũ. Etenim alia eorũ sunt in Rhetorica, vt etiam in dialectica methodo syllogismorum: alia in alijs artibus & facultatibus, quæ partim extant, partim nondum compertę sunt. Quamobrem etiam latent auditores; & qui magis ea attingunt, secundum modũ, non decenter recedunt à se ipsis. Magis autem, quod dicitur, aperietur, si id pluribus fuerit explicatum.

Enthymematum loci, & formæ.

Iam voco dialecticos, & oratorios syllogismos, de quibus dicimus esse locos. Atque hi sunt communiter de rebus iustis, & naturalibus, & de ciuilibus, & de multis, quæ specie inter se differunt; qualis est locus maioris, & minoris: nihil enim magis ex hoc syllogismus colligetur, aut enthymema proferetur, de rebus iustis, quàm naturalibus, aut de quacunque re. Atq; hæc specie inter se differunt. propria vero, quæcunque existunt ex propositionibus vnicuique speciei, aut generi insitis; vt de rebus naturalibus sunt propositiones, ex quibus neque enthymema, neque syllogismus existit de rebus moralibus & de his aliç, ex quibus non existet de rebus naturalibus, idque similiter se habet in omnibus. Atque illa quidem neminem reddent in aliquo genere prudentem, quia nullam certam materiam habent. Hæc vero quò quis meliora eligat, ad propositiones conficiendas, clam efficiet scientiam à Dialectica, & Rhetorica diuersam. Nam, si incidat in alicuius artis principia, non amplius erit Dialectica, & Rhetorica, sed illa ipsa, cuius habeat principia. Sunt autem plurima enthymemata ex his formis ducta, quæ singulares sunt, & propriæ: ex communibus vero pauciora. Quemadmodum igitur etiã in Topicis; sic in his libris distinguẽdæ sunt enthy-

enthymematum,& formæ,& loci. Voco autem formas, propositiones poprias vniuscuiusque generis. At locos, qui sunt communes similiter omniū. Ac prius quidem formas explicemus. Sed primū genera Rhetoricæ assumamus, vt cum ea distinxerimus, quot sint, de his ipsis separatim elemēta, ac propositiones colligamus.

Formæ Rhetoricæ triū generū ex auditorū distinctione.

Iam vero Rhetorica tres formas habet: totidē.n. existunt auditores orationū. Etenim oratio cōstat ex tribus, tū ex eo, qui dicit, tū ex eo, de quo dicit, tū ex eo, ad quē dicit. Ac finis ad hunc ipsum refertur, idest ad auditorē. Necesse aūt est auditorē esse aut auscultatorem, aut disceptatorē. & quidē disceptatorem aut rerū præteritarum, aut futurarum, est vero, qui res futuras discepta., vt concio: qui præteritas, vt iudex: qui facultatē, vt auscultator; ita vt ex necessitate tria sint genera orationū oratoriarū, deliberatiuū, iudiciale, demonstratiuū.

Partes generum.

Ac deliberationis quidem vna pars est suasio: altera dissuasio: semper enim tum qui priuatim deliberant, tum qui publice concionantnr, horum alterum faciunt. Iudicij vero vna pars est accusatio; altera defensio. horum enim alterum eos, qui controuersantur, facere necesse est. At demonstratiui vna pars est laus; altera vituperatio.

Tempora generum.

Tempora etiam vnicuique horum accomodantur; deliberanti quidem futurum: nam de futuris deliberat aut suadens, aut dissuadens. Litiganti vero præteritum. Nam de rebus factis vnus accusat, alter defendit. At demonstratiuo presens quidem maxime proprium est (ex ijs enim, quæ insunt, omnes laudant, aut vituperant) sed assumūt etiam præterita, quæ in memoriam reuocant, & futura, quę coniectant.

Fines generum.

Finis præterea vnicuique horum diuersus est;

&

& cum tria sint genera, tres etiam sunt fines; deliberanti quidem vtile, & perniciosum. Etenim suadens, vt melius suadet: dissuadens, vt peius dissuadet. Alia autem ad hoc simul assumit, vel iustũ vel iniustum, vel honestum, vel turpe. Litigantibus vero iustum, & iniustum, cum alia etiam hi ad hæc simul assumant. At laudãtibus, & vituperantibus honestum, & turpe. Alia autem & hi ad hæc referunt.

Probantur proprij fines

Signum vero est, vnicuique eum finem esse, qui dictus est, quòd de alijs interdum non controuersabuntur; vt litigans, se non fecisse, aut non nocuisse: at, se iniuste fecisse nunquam confitebitur. nihil enim esset, cur iudicium haberetur. similiter etiam, qui deliberant, alia quidem sępenumero dimittunt: se vero inutilia deliberare, aut ab vtilibus, dissuadere, non confitebuntur. Non esse autẽ iniustum finitimos in seruitutem redigere, & nullam iniuriam inferentes, sæpenumero non cogitant. Eodem modo etiam qui laudant, & qui vituperant, non considerant, vtiliane aliquis egerit, an perniciosa: sed in laude sępe ponunt, aliquem neglecto eo, quod sibi prodesset, honesti aliquid egisse; quemadmodum Achillem laudant, quòd sodalem Patroclum adiuuerit, quamuis sciret ea de caussa se mori oportere, cum liceret viuere. At illi eiusmodi quidem mors honestior fuit: sed viuere vtile. Apparet autem ex his, quæ dicta sunt, necesse esse, de his prius vt propositiones habeantur. Tecmeria enim, & verisimilia, & signa sunt propositiones oratoriæ. Etenim omnino syllogismus ex propositionibus existit; enthymema vero syllogismus est, ex ijs, quæ prius dictæ sunt, propositionibus constitutus.

Cum formis

Et quoniam fieri non potest, vt facta sint, vel vt in

coniungendæ sunt propositiones, communes. In futurum fiant ea, quæ fieri nō possunt, sed ea, quæ possunt; nec fieri potest, vt facta sint, vel in futurum fiant ea, quæ nec facta sunt, nec erunt; necessarium est, tum deliberanti, tum litiganti, tū demonstratiuo habere propositiones de eo, quod fieri, vel non fieri potest; & an factum sit, nec ne; & an erit, nec ne. Præterea vero, quoniam omnes tū qui laudant, & qui vituperant, tum qui suadent, & qui dissuadent, tum qui accusant, & qui defendūt, non solum ea, quæ dicta sunt, conantur demonstrare, sed etiam rem magnam esse, vel paruam eam, quæ est vel bona, vel mala, vel honesta, vel turpis, vel iusta, vel iniusta, siue per se dicant, siue inuicem ex altera parte comparent: manifestum est, oportere etiam de magno, & paruo, & maiori, & minori, propositiones habere, tum in vniuersum, tum de vnaquaque re, vt quodnam sit maius bonum, vel minus, aut iniuria, vel ius, & similiter de alijs. De quibus igitur necessario oporteat propositiones assumere, dictum est. post hæc vero horum vnumquodq; separatim est distinguendum; vt de quibus deliberatio sit; & de quibus demonstratiuæ orationes; tertio autem de quibus iudicia.

DE GENERE DELIBERATIVO.

Formæ deliberatiuæ sunt de rebus ita con tingētibus, vt ad nos referantur.



C primnm quidem sumere oportet, cuiusmodi in bonis, aut malis is, qui deliberat, versetur; quoniam nō in omnibus, sed in ijs, quæ fieri, & non fieri contingit. Quæ vero ex necessitate vel sunt, vel erunt, vel non possunt esse, vel fier i, de his non est deliberatio. Iamuero nec

de

de omnibus,quæ fieri contingit : (sunt enim bona quædam & natura,& quæ fiunt à fortuna, quæ & fieri,& non fieri contingit, de quibus non præstat deliberare) sed de ijs certe, quæ cadunt sub consultationem. eiusmodi vero sunt, quę referri ad nos possunt,& quorum principium, vt oriantur,pendet a nobis. Nam vsque eò considerando progredimur, donec inueniamus,ea ne agere nos ipsi possimus.

Ac non est quidem in præsentia quærendum,vt singula diligenter enumerentur, & ea in formas digerãtur,de quibus statuere soliti sunt,atque,vt de ipsis quantum fieri potest, ex veritate disputetur:propterea quòd id non est Rhetoricæ artis, sed prudentioris,ac verioris, & quia nunc etiam multo plura ipsi data sunt, quàm postulare propriæ contemplationes videantur. Quod enim etiam prius diximus, verum est,Rhetoricã compositã esse tũ ex Analytica scientia, tum ex Politica, quæ in moribus versatur, similem vero esse partim Dialecticæ, partim sophisticis disputationib.

Rhetorica contenta esse debet illis, quæ ei data sunt.

Quod si quis vel Dialecticam,vel hanc non tanquam facultates, sed scientias conatus fuerit instruere, Latenter naturam ipsarum demolietur, eò quòd concinnans transeat in scientias subiectarum quarundam rerum, non autem solummodo rationum. Verùmtamen,quæcunque melius est,vt explicentur, ac præterea scientiæ Politicæ meditationem relinquunt, nunc etiam dicamus.

Nec Rhetorica,nec Dialectica est scientia, sed facultas.

Ferme enim res maximæ, de quibus omnes cõsultant,& de quibus illi, qui deliberant, concionantur,quinque numero sunt.

Atque hæ sunt de apparationibus pecuniarũ :
Et de bello, & pace:
Præterea vero de custodia regionis :

Formæ deliberatinæ sunt potissimũ de quinque.

Et ijs,quæ importantur,& exportantur:
Et legum latione.

De apparationibus pecuniarum.

Quare qui deliberaturus fuerit de apparationibus pecuniarum, eum scire oportebit vectigalia ciuitatis,quæ,& quanta sint, vt,si quid desit, adiungatur,&,si quod minus sit,augeatur. præterea vero sumptus omnes ciuitatis, vt,si quis superuacaneus sit, tollatur,&,si quis maior sit,minor efficiatur. Non enim solum ad ea,quæ habent, adiungendo,ditiores fiunt, sed etiam de sumptibus detrahendo. Atque hæc non solum ex rerum priuatarum experientia licet contueri, sed necessarium est etiam eorum,quæ alij inuenerunt, historicum esse ad eam, quæ de his habeatur, deliberationem.

De bello & pace.

At de bello, & pace oportebit scire facultatem ciuitatis,& quanta iam existat, & quantam existere contingat, & qualis sit ea, quæ habeatur, & quæ possit adiungi. Præterea vero bella quo modo,& quæ gesserit. Atque hæc ipsa scire necessarium est,non modo quæ sunt propriæ ciuitatis,verum etiam finitimorum, vel etiam quibuscum bellare gloriosum est, vt cum potentioribus quidem pax exerceatur, cum minoribus vero bellare ipsius in arbitrio sit. Et scire facultates vtrum similes an dissimiles stat. Consistit enim etiam in hac parte,vt plus possideamus,aut inferiores simus, Necessarium vero est harum quoque rerum caussa non solum propria bella animaduertisse, sed etiam aliorum, quem euentum habuerint. similia enim naturam habent ut ex similibus fiāt.

De custodia regionis

Præterea vero de custodia regionis oportebit non latere,quomodo custodiatur, sed & multitudinem scire custodiæ, & formam, & loca præsidiorum. Hoc autem esse non potest,nisi quis sit pe-

ritus

ritus regionis; ut, si minor sit custodia, quàm opus sit, augeatur, & siqua sit superuacanea, tollatur, atque oportuna loca magis seruentur.

Tum de re cibaria quantum sumptum in eam suffic iat facere ciuitati, & quanta sit ea, quæ ibi nascitur, & ea quæ importatur, & quarum rerum indigeant exportatione, & quarum importatione, ut earum caussa conuentiones, & pactiones fiant. Cum duobus enim necessarium est ciues culpa carentes custodire, tum cum potentioribus, tum cum ijs, qui ad has ipsas res vtiles sunt. *De ÿs, quæ importātur, & exportantur.*

Securitatis autem caussa hæc quidem omnia posse perspicere necesse est: sed non minimū est intelligere legum lationem. In legibus enim consistit salus ciuitatis. Quare necessarium est scire, quot sint formæ Rerump. & quales formæ cuique Reip. prosint, & à quibus naturam habeant, vt corrumpantur, tum proprijs ciuitatis, tum contrarijs. Dico autem à proprijs corrumpi, quia pręter optimam Remp. cęteræ omnes tum si remittantur, tum si intendantur, corrumpuntur; quemadmodum Democratia non solum si remittatur, debilior fit, ut tandem ad Oligarchiam peruentura esse videatur, sed etiam si intendatur nimis; vt & grypitas, & simitas non solum si remittantur, perueniunt ad medium, sed etiam si fiant nimis grypa, vel sima, ita rem dispo nunt, vt nec nares quidem esse videantur. Vtile vero est ad legum lationes nō solum intelligere, quæ Resp. prosit, cum quis ex pręteritis contemplat ur, sed etiam scire quæ apud alios extiterūt, quales qualibus congruant. Quare manifestum est, ad legum lationem terræ peregrinationes utiles esse. hinc enim licet accipere gentium leges: ad ciuiles vero deliberationes historias eorum, *De legum latione..*

qui de actionibus conſcribunt. Hæc autem omnia ad Politicæ, non Rhetoricæ munus pertinent. Ac res quidem maximæ, quas tenere oportet eum, qui deliberaturus eſt, tam multæ ſunt.

Formæ deliberatiuæ ſunt ex ijs, q̃ pertinent ad felicitatem, vel partẽ eius.

Ex quibus vero oporteat tum de his, tum de alijs ſuadere, aut diſſuadere, rurſus dicamus. Ferme autem tum priuatim cuique, tum communiter omnibus ſcopus quidam eſt, quò ſpectantes & eligunt, & fugiunt; iſq; eſt, vt ſummatim dicam, tum felicitas, tum ipſius particulæ. Quare ſumamus exẽpli gratia, quid ſit, vt ſimpliciter dicã felicitas, & ex quibus exiſtãt particulæ ipſius. Etenim de hac, & de ijs, quæ ad hãc referũtur, & de ijs, quę huic contraria ſunt, omnibus exiſtunt tum ſuaſiones, tum diſſuaſiones. Quæ enim hanc, vel particularum aliquam parant, vel maiorem ex minori efficiunt, oportet agere. Quæ vero corrumpunt, vel impediunt, vel contraria efficiunt, non agere.

Fœlicitas quid ſit.

Sit igitur felicitas bona actio cum virtute: vel ſibi ſufficiens vita: vel vita iucundiſſima cum ſecuritate: vel bona conſtitutio poſſeſſionum, & corporum cum facultate, quæ ipſas res conſeruet, atque efficiat. Ferme enim ex his vnum, vel plura felicitatem eſſe, omnes confitentur.

Partes felicitatis.

Quòd ſi felicitas eiuſmodi eſt, neceſſe eſt, ipſius partes exiſtere, nobilitatem, multorum amicitiam, bonorum amicitiam, diuitias, bonam prolem, multam prolem, bonam ſenectutem. deinceps corporis virtutes, vt ſanitatem, pulchritudinem, robur, magnitudinem, facultatem certandi, gloriam, honorem, bonam fortunam, virtutem, aut etiam partes ipſius, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, iuſtitiam.


ſtitiam. Sic enim aliquis ſibi ſufficientiſſimus ſit, ſi ei adſint, tum quæ in ipſo, tum quæ extra ſunt bona. Non enim præter hæc alia exiſtunt, Ac in ipſo quidem ſunt, quæ in animo, & quæ in corpore ſunt. Extra autem nobilitas, & amici, & pecuniæ, & honor. Præterea vero congruere arbitramur, vt adſint facultates, & fortuna. Sic enim maxime ſecura ſit vita. ſumamus igitur ſimiliter, quid horum unumquodque ſit.

De nobilitate.

Ac nobilitas quidem genti, ac ciuitati eſt, ſi ſint indigenę, & antiqui, & duces primi illuſtres, & ex ipſis nati ſint multi illuſtres in ijs rebus, quæ cadunt ſub æmulationem. Priuata vero nobilitas eſt, vel à uiris, vel à fœminis, & cum legitime vtrique orti ſunt, &, quemadmodum in ciuitate, ſi primi clari ſint vel in virtute, vel diuitijs, vel alia earum rerũ, quæ honorãtur, & multi illuſtres ſint ex genere, tum viri, tum mulieres, tum iuuenes, tum ſenes.

De bona & multa prole.

Bona proles, & multa proles non ſunt incerta. Eſt autem in communi quidem bona proles, & multa proles, ſi ſit multa, & bona iuuentus. bona vero ex corporis virtute, vt magnitudine, pulchritudine, robore, certandi facultate. Quod ad animum attinet, temperantia, & fortitudo ſunt iuuenis virtutes. Priuatim aũt bona proles, & multa proles eſt, ſi ꝓprij liberi multi ſint, & tales exiſtant tum fœminæ, tum mares. Fœminarum vero virtus eſt, quoad corpus quidẽ pulchritudo, & magnitudo: at, quoad animũ, temperantia, & operis ſtudium ſine illiberalitate. Similiter autem tum priuatim, tum communiter, & in viris, & in fœminis oportet quærere, vt vnaquæque ex huiuſmodi rebus inſit. Quibuſcunque enim res ad fœminas pertinentes ſunt vitioſæ,



vt Lacedæmonijs, ferme ex dimidio felices non ſunt.

De diuitijs. Diuitiarũ partes ſunt numi, multitudo terræ, locorum poſſeſſiones, & ſupellectilium poſſeſſiones,& pecorum, & ſeruorum,qui multitudine, & magnitudine,& pulchritudine differant. Hæc autem omnia manifeſtum eſt & ſecura,& liberalia, & vtilia eſſe oportere. Vtilia vero magis ſunt fructuoſa. At liberalia, quæ ſunt ad voluptatem. Fructuoſa autem dico,à quibus fructus ſunt. Voluptaria vero, à quibus præter vſum nihil efficitur, quod æſtimatione dignum ſit. Terminus autẽ ſecuritatis eſt,ſi res poſſeſſæ ſint eo in loco, & eo modo, vt in poſſidentis arbitrio ſit ipſarum vſus. Ac terminus, vt aliquid ſit proprium, vel non ſit,eſt,cum ex habentis arbitrio pendet alienare. Voco alienationem, donationem, & venditionem. Omnino diuitem eſſe, conſiſtit magis in eo,vt quis vtatur,quàm vt poſſederit. Etenim diuitiæ ſunt actus, & vſus eiuſmodi rerum.

De bona fama. Bona fama eſt, ſi quis exiſtimetur ab omnibus eſſe ſtudioſus, vel habere aliquid tale, quod omnes appetunt, vel multi,vel boni, vel prudentes.

De honore. Honor eſt ſignum beneficæ opinionis. Honorantur autem iuſte quidem, & maxime illi, qui beneficium contulerunt. Veruntamen etiam honoratur,qui poteſt beneficium conferre. Beneficium vero eſt,vel ad ſalutem, & quæcunque ſunt cauſſa,cur ſimus,vel ad diuitias, vel ad aliquod ex alijs bonis,quorum non eſt facilis poſſeſſio,vel omnino,vel ibi, vel aliquando. Multi enim propter illa,quæ parua exiſtimantur, honorem conſequuntur, ſed loci, & occaſiones ſunt cauſsæ. partes vero honoris ſunt ſacrificia, monumenta in metris,vel ſine metris, præmia,

delubra, præſeſſiones, ſepulchra, ſtatuæ, nutrimenta publica, deinceps res barbaricæ, vt adorationes, & exceſſiones, dona apud quoſque honoranda. Etenim donum eſt poſſeſſionis donatio, & honoris ſignum. Quamobrem & ſtudioſi pecuniæ, & ſtudioſi honoris dona appetunt. Vtraq; enim pars habet ea, quorum indigent. Etenim donum affert poſſeſſionem, quam appetunt ſtudioſi pecuniæ, & habet honorem, quem ſtudioſi honoris. Corporis virtus eſt ſanitas; eaque ſic intelligenda eſt, vt morbi expertes ſint, qui corporum vſum habeant. Multi enim ſani ſunt, vt Herodicus, quem nemo ſanitatis cauſſa felicem dixerit propter abſtinentiam omnium rerum humanarum, aut certe plurimarum. *De ſanitate.*

Pulchritudo diuerſa eſt in vnaquaque ætate. Ac iuuenis quidem pulchritudo eſt, ſi habeat corpus vtile ad labores, & ad curſum, & ad vim, cum iucundus viſu exiſtat ad voluptatem. Quamobrem quinquertiones pulcherrimi ſunt, qui ſimul ad vim, & ad velocitatem nati ſunt. Vigentis vero, ſi corpus habeat vtile ad labores bellicos, ac iucundus eſſe videatur cum terrore. Senis autem ſi idoneus ſit ad labores neceſſarios, atque indolens, propterea quòd nihil habeat eorum, quæ ſenectutem offendunt. *De pulchritudine.*

Robur eſt facultas mouendi alterum arbitrio ſuo. Neceſſe autem eſt mouere alterum vel trahēdo, vel pellendo, vel tollendo, vel deprimendo, vel collidēdo, ita vt robuſtus vel his omnibus, vel horum aliquibus robuſtus ſit. *De robore.*

Magnitudinis virtus eſt, vt quis ſuperet multos longitudine, vel profunditate, vel latitudine, cum exiſtat ita maior, vt ne tardiores efficiat motiones propter exuperantiam. *De magnitudine.*

De facultate certandi. Certandi virtus corporis constat ex magnitudine, & robore,& velocitate. etenim velox robustus est. Nam qui crura quodammodo proijcere, & mouere velociter,& longe potest, dicitur cursor. Qui pugil vero stringere, & tenere, luctator. At qui plaga pellere. Qui autem vtrisque his, pancratiasticus. Verum qui omnibus his, quinquertio.

De bona senectute. Bona senectus requirit tarditatem senectutis cum indolentia. Neque enim si quis velociter senescat,bonam senectutem habet. Neque si vix quidem, sed dolenter. Est vero & ex ijs virtutibus, quæ sunt corporis, & ex ijs, quę fortunæ. Nam qui expers morbi non sit, neque robustus, non erit perturbationis expers. Et qui nō sit indolēs, vitam non producet. Neque sine fortuna poterit durare. Est vero etiam separatim à robore, & sanitate quædam alia diu viuendi facultas. multi enim sine virtutibus corporis diu viuunt. verum diligens disputatio de his non est vtilis ad ea,quę in pręsentia disputantur.

De amicitia. Multorum amicitia, & bonorum amicitia non sunt incerta, allata amici definitione, vt amicus sit eiusmodi, quicunque eorum, quæ arbitratur bona esse illi,cui est amicus, effector est propter illum. Iam cui multi sunt tales, est multorum amicus: cui vero ēt boni uiri, bonorum amicus.

De bona fortuna. Bona fortuna est, si quorum bonorū fortuna est caussa,hæc efficiantur, & existant vel oīa, vel plurima, vel maxima. Caussa autem est fortuna nonnullorum quidem, quorum etiam artes sunt, multorum vero minime artificiosorum, vt quæcunque naturam habent caussam, & vt sint præter naturam,contingit. Nam sanitatis quidem caussa ars est; at pulchritudinis, & magnitudinis natura

natura. Omnino ex bonis talia sunt à natura, in quibus inuidia versatur. Ac fortuna caussa est bonorum præter rationem; vt si alij fratres deformes sint, hic autem pulcher; aut alij thesaurū non viderūt, hic autem inuenit: aut si telum attigit eum, qui prope erat, hunc autem non attigit aut si solus non venit, qui semper ventitabat, qui autem semel venerunt, perierunt. omnia enim eiusmodi videntur esse bonæ fortunę euentus.

De virtute quoniam maxime proprius locus est in genere demonstratiuo, cum de laude sermonem habebimus, differemus. *Virtutis tractatio reijcitur ad genus demonstratiuum.*

Ac in quæ quidem intueri oporteat eos, qui suadent, tanquam futura, aut præsentia, & in quæ eos, qui dissuadent, apparet. Contraria enim horum sunt.

Quoniam vero scopus propositus est deliberanti id, quod vtile est; & consultant non de fine, sed de ijs, quæ referuntur ad finem; & hæc sunt vtilia in actionibus; & utile est bonum: sumere oportebit elemēta de bono, ac vtili simpliciter. *Formæ deliberatiuæ bonorum confessorum.*

1 Iam bonum sit, quod ipsum sui caussa electione dignum est.

2 Et propter quod eligimus aliud.

3 Et quod appetunt omnia, aut omnia sensum habentia, aut mentem, aut, si eis mens daretur.

4 Et quæcunque mens vnicuique dictauerit.

5 Et quæcunq; mens, quæ de vnoquoque est, vnicuique dictauerit, vnicuique bonum est.

6 Et quo præsente bene se habet, & sibi sufficiens est.

7 Et quod sibi sufficiens est.

8 Et quod idoneum est ad talia efficienda, & custodienda.

9 Et quod talia consequuntur.

Et

10 Et quæ idonea ſunt ad prohibenda contraria; & quæ ad corrumpenda.

Hoc ad nonam formā. Hoc ad octauam.

Conſequuntur autem dupliciter. Nam uel ſimul: uel poſterius, ut diſciplinam quidem poſterius ſcientia: ſanitatem uero ſimul uita.

Ac idonea ſunt ad efficiendum tripliciter; partim ut ſanū eſſe ſanitatem: partim ut cibaria ſanitatem; partim ut exerceri, quod plerumq; efficit ſanitatem.

Bona generaliora ex ſuperiorib. formis.

His autem poſitis neceſſe eſt, ut & ſumptiones bonorum, bonæ ſint, & depulſiones malorum. Conſequitur enim illud, ut non habeamus malum ſimul: hoc autem ut habeamus bonum poſterius, & pro minore bono maiôris ſumptiones, & pro maiore malo minoris. Nam id ipſum, in quo maius ſuperat minus, fit illius quidem ſumptio, huius uero depoſitio. Et uirtutes neceſſe eſt, ut ſint bonum. Nam his bene afficiuntur, qui eas posſident; & ipſæ idoneæ ſunt ad bona efficienda, & agenda. de unaquaq; autem & quæ, & cuiuſmodi ſit, ſeparatim dicendum eſt. Et ut uoluptas bonum ſit: omnia enim animalia ipſam natura appetunt. Quare neceſſe eſt, ut & iucunda, & honeſta bona ſint; illa enim uoluptatis ſunt efficientia: honeſta uero partim iucunda ſunt; partim ipſa per ſe electione digna ſunt.

Bona minus generalia.

Vt autem de ſingulis dicam, neceſſe eſt, ut hęc bona ſint; felicitas, quia per ſe electione digna eſt, & ſibi ſufficiens; & propter ipſam multa eligimus. Iuſtitia, fortitudo, temperantia, magnanimitas, magnificentia, & alij eiuſmodi habitus; ſunt enim uirtutes animi. & ſanitas, & pulchritudo; ſunt. n. uirtutes corporis, & conficientes multorum, ut ſanitas, & uoluptatis, & uitæ. Quamobrem etiā res optima uidetur eſſe, quia cauſſa eſt duo-

duorum,quæ apud multitudinem maxime honorantur,uoluptatis,& uitæ.diuitiæ,quia sunt uirtus possessionis, & conficientes multorum. Amicus,& amicitia. Etenim ꝑ se electione res digna est amicus,& conficiens multorum. Honor,gloria.Etenim iucunda sunt,& conficientia multorum; & consequitur ipsa plerumq;, ut adsint illa,in quibus honorantur. Facultas dicendi,agendi; quia conficientia sunt hæc omnia bonorum. deinceps ingenium. memoriæ, docilitas, velox animi motus,omnia eiusmodi; quia hæ facultates sunt bonorum conficientes. Similiter uero scientiæ omnes,& artes.Et uiuere: si enim nullum aliud bonū sequeretur,est res per se electione digna. & iustum; nā est quoddā communiter utile. Atq; hæc quidē ferme sunt bona confessa.

In controuersis autem ex his sunt syllogismi.

1 Cui contrarium malum est,id bonum est.

2 Et cuius contrarium inimicis prodest; ut si timidos esse maxime prodest inimicis,manifestū est,fortitudinem rem maximi emolumenti esse ciuibus. *Formæ deliberatiuæ bonorum controuersorū.*

3 Et omnino quod inimici uolunt,uel quo gaudent,huic contrarium emolumento esse apparet. Itaq; recte dictū est, Gaudebit certe Priamus. Id autem non semper est,sed plerumq;; quia nihil impedimento est,quominus aliquando idē contrariis profit.unde illud in ore hominum uersatur,quòd mala cōciliant homines,quoties ambobus sit idem perniciosum. *Lib.1.Il.*

4 Et cuius non est exuperantia,id bonum:quod autem est maius,quàm oportet, malum.

5 Et cuius caussa multum laboratū est,& multū insumptum. Iam enim bonum uidetur; iamq; ut finis tale habetur,& finis multorum; finis autem

bo-

bonum est.unde illa dicta sunt; Et certe famam
Lib.2.Il. Priamo; &, Turpe manere diu; & prouerbium illud,In foribus hydriam.
6 Et quod multi appetunt,& quod apparet pugna dignũ.quod enim omnes appetunt,etiam id bonum erat.multi autem tãquã omnes uidẽtur.
7 Et quod laudandum est; quia nemo non bonum laudat.
8 Et quod inimici,& improbi laudant.iã enim quasi omnes confitentur,cum etiam illi confiteãtur, qui male affecti sunt.Nam rem confitentur, propterea quòd apparet; ut & ĩprobi,quos amici uituperant,& probi,quos inimici laudant.Quã obrem Corinthij existimarunt, se conuicio affectos esse à Simonide,qui scripsit, Verum Corinthios non accusat Ilium.
9 Et quod ex prudentibus aliquis,uel bonis uiris,uel mulieribus præiudicauit,quemadmodum Vlyssem Minerua,& Helenam Theseus,& Alexãdrum Deæ,& Achillem Homerus.
10 Et oĩno quæ prælectione digna sunt:præligũt.n.ut faciant,tũ ea,quę dicta sunt, tũ mala inimicis,tũ bona amicis,tũ quæ fieri possunt. Atq; hæc sunt duob. modis;& quæ fiunt,& quæ facile fiunt.Facilia uero sunt, quæcunq; uel sine dolore,uel breui temporis spatio fiunt. Difficile .n. definitur uel dolore,uel longitudine temporis.
11 Et,si,ut uolũt.Volunt autem uel nullũ malũ, uel malum minus,quàm bonum. Hoc uero eueniet,si uel lateat pœna,uel parua sit.
12 Et propria.
13 Et quæ nemo.
14 Et eximia: sic enim honor adest magis.
15 Et congruentia ipsis.Talia autem sunt,tum quæ conueniunt ꝑꝑ genus, tũ propter facultatẽ.
Et

16 Et quæ deficere arbitrantur, etiã si parua sint: nihil enim minus ea præeligunt, ut faciant.

17 Et quæ bene deducuntur in actum: fieri. n. possunt, ut facilia. Bene autem deducũtur in actũ, quæ omnes, uel multi, uel similes, uel minores recte egerunt.

18 Et quæ grata facient amicis, & quæ odiosa facient inimicis.

19 Et quæcunq; quos admirantur, præeligunt, ut faciant.

20 Et in quibus ingeniosi sunt, & experti; facilius enim arbitrantur, se recte acturos.

21 Et quæ nemo improbus: ea enim sunt magis laudanda.

22 Et quæ cupiunt: non enim solum iucundius esse, sed & melius apparet.

23 Et maxime in quibus sunt singuli tales, quemadmodum studiosi uictoriæ, si aderit uictoria; studiosi honoris, si honor; studiosi pecuniarum, si pecuniæ; & alij eodem modo. Ac de bono quidẽ & utili ex his sumere fidẽ oportebit.

Quoniã aũt sępe qui confitentur utrumq; utile esse, de eo, qđ utilius est, cõtrouersantur: sequitur deinceps, ut dicamus & đ maiore bono, & utiliore. *Formæ deliberatiuæ locorum comparatorum.*

1 Iam superans quidem sit tantum, & amplius.

2 Et maius quidem semper, & plus sic se habet ad minus: magnum uero, & paruum, & multum, & paucum ad multorum magnitudinem.

3 Et superans quidem magnum: at deficiens paruum. Et multum, & paucum itidem.

Igitur, quoniam dicimus bonum esse, & quod ipsũ propter se, & non propter aliud eligendum est, & quod omnia appetunt; & quod ea, quæ mentẽ, ac prudentiam acceperint, eligerent; & quod idoneũ est ad efficiendum, ac custodiendum; & quod con-

consequuntur talia; id autem, cuius caussa res est, finis est; finis vero, cuius caussa alia sunt, ipsique bonum est, quod ad ipsum accommodatum est: necesse est etiam plura vno, & paucioribus connumerato vno, vel paucioribus maius bonum esse; propterea quòd superat: at superatur, quod inest.

2 Et, si maximum superat maximum, etiam genera superant genera. &, si quæcunque genera superant genera, etiam maximum superat maximũ. quemadmodum si maximus vir maxima muliere maior est, etiam omnino viri mulieribus maiores sunt. &, si omnino viri mulieribus maiores sunt, etiam vir maximus maxima muliere maior est. proportione enim respondent exuperantiæ generum, &, quæ in generibus sunt, maximorum.

3 Et quoties illi quidem hoc consequens est: huic uero nequaquam illud. Consequens vero est vel simul, vel deinceps, uel facultate. inest enim vsus consequentis in vsu alterius.

Et consequens simul est, si est sanus, vt viuat. At posterius, si discit, vt sciat. Facultate vero, si sacrilegus est, vt surripiat: qui enim sacrilegus fuerit, etiam surripiet.

4 Et quæ magis ipsum superant, maiora sunt: necesse enim est, superare etiam maius.

5 Et efficientia maioris boni, maiora sunt: hoc enim significabat esse efficiens maioris.

6 Et cuius efficiens maius, itidem: si enim salubre electione dignius est, quàm iucundum, etiam maius bonum est. & sanitas, quàm voluptas, maior.

7 Et quod magis eligendum per se, quàm quod non per se, ut robur, quàm salubre. hoc enim non ptopter se: illud vero propter se; id qđ erat bonũ.

Et

8 Et si alterum quidem sit finis;alterum vero nō finis.hoc enim propter illud . illud vero propter se , quemadmodum exerceri , ut bene se habeat corpus .

9 Et minus indigēs altero,vel alteris: sibi enim sufficiens magis. Minus vero indiget, pauciorib. vel facilioribus indigens .

10 Et quoties vnum quidem sine hoc non sit, vel non possit fieri ; alterum vero sine hoc sit, vel possit fieri : sibi enim magis sufficit non indigēs. Itaque apparet maius bonum esse.

11 Et si vnum principium sit : alterum vero non principium.

12 Et si vnum sit caussa:alterum vero non caussa, proprer idem. Nam sine caussa, vel principio nō potest esse,vel fieri .

13 Et ex duobus principiis , quod est à maiore principio,maius est.

14 Et ex duabus caussis, quod est à maiore caussa,maius est.

15 Et è conuerso ex duobus principijs maioris principium maius.

16 Et ex duab. caussis maioris caussa res maior .

Manifestum igitur est ex ijs , quæ dicta sunt , vtroque modo maius esse ; & si vnum principiū, alterum vero non principium . & si vnum non principium,alterum vero principium . Etenim finis maior,& non principium. quemadmodū Leodamas accusans Callistratum dixit iniustius egisse eum,qui consuluerit, quàm qui egerit, non.n. actum fuisset,nisi consuluisset. Rursus vero Chabriam,eum,qui egerit, quàm qui consuluerit: nō enim factum esset,nisi extitisset ille, qui ageret. Nam propter hoc consilium est, vt agant .

Hoc refertur ad vndecimam, & duodecimā formam ,

17 Et rarius , quàm copiosum , ut aurum , quàm ferrum,

ferrum, cum minus bonum sit: maior enim est possessio, propterea quòd difficilior.

18 Alio autem modo copiosum, quàm rarum: quia vsus superat. quod enim sæpe habetur, superat, quod raro. Vnde dicitur; Optima quidem aqua.

Pindarus in 1. ode olymp.

19 Et omnino difficilius, quàm facilius, quia rarius.

20 Alio autem modo facilius, quàm difficilius: ita enim se habet, vt volumus.

21 Et cui quod est contrarium, maius est.

22 Et cuius priuatio maior.

23 Et virtus, quàm non virtus:

24 Et vitium, quàm non vitium, maius est. Nam illa quidem sunt fines: hæc vero non fines.

25 Et quorum opera honestiora sunt, vel turpiora, ipsa maiora sunt.

26 Et quorum vitia, & virtutes maiores sunt, etiam opera maiora sunt, siquidem vt caussæ, & principia se habent, ita etiam euenta. & vt euenta, ita etiam caussæ.

27 Et quorum exuperantia electione dignior, vel honestior; quemadmodum exquisite videre electione dignius est, quàm odorari. Etenim visus, quàm odoratus. Et esse studiosiorem sodalium, quàm pecuniarum honestius est. Quare etiam studium sodalium, quàm pecuniarum.

28 Et contra rerum meliorum exuperantiæ meliores, & rerum honestiorum honestiores.

29 Et quarum rerum cupiditates honestiores, vel meliores: maiores enim appetitiones sunt rerum maiorum.

30 Et rerum honestiorum, vel meliorum cupiditates meliores, & honestiores propter idem.

31 Et quarum rerum scientiæ honestiores, uel me-

meliores, etiam illæ honeſtiores,& meliores. vt enim ſcientia ſe habet,ita etiam id, quod verum eſt. præcipit autem vnaquæque, quod ſuum eſt.

32 Et rerum meliorum,& honeſtiorum ſcientiæ ex proportione eadem de cauſſa.

33 Et quod iudicarent, vel iudicarunt prudentes,uel omnes, vel multi, vel plures,vel optimi, bonum,vel maius eſſe, neceſſe eſt illud ſic ſe habere,vel ſimpliciter, vel quatenus ex prudentia iudicarunt. Eſt uero hoc commune etiam in alijs. Etenim quid,& quale, & quantum ſic ſe habet,vt ſcientia,& prudentia affirmauerit.Verum de bonis diximus.Nam definitum eſt bonum, vt ſit illud, quod res, quæ prudentiam acceperint, eligerent ſingillatim. Manifeſtũ igitur eſt, etiã maius eſſe,quod magis prudentia eligit.

34 Et quod ineſt melioribus.uel ſimpliciter,uel quatenus meliores ſunt, quemadmodum fortitudo, quàm robur.

35 Et quod eligeret melior, aut ſimpliciter, aut quatenus melior; vt iniuria affici magis, quàm afficere. id enim,qui iuſtior eſt, eligeret.

36 Et voluptarium, quàm minus voluptarium: voluptatem enim ſequuntur omnia, & propter ipſam appetunt delectari. His autem definitum eſt bonum,& finis. Voluptarium vero magis eſt, tum minus moleſtum,tum diutius voluptarium.

37 Et honeſtius,quàm minus honeſtũ. eſt enim honeſtum aut iucundum, aut per ſe dignum electione.

38 Et quorum ipſi ipſis, aut amicis cauſſa eſſe malunt, ea ſunt maiora bona: quorum uero minime volunt,maiora mala.

39 Et diuturniora,quàm minus diuturna.

40 Et firmiora,quàm minus firma.ſuperat enim

usus, illorũ quidem tempore,horum uero uoluntate.Nã quãdo uolũt, adest magis usus rei firmæ.
41 Et tanquam ex coniugatis, & similibus casib. etiã alia consequuntur ; quemadmodũ si quod fortiter agitur,honestius ẽ,& dignius electione , quàm quod temperanter , ẽt fortitudo electione dignior,quàm temperantia,& fortem esse electione dignius, quàm temperantem.
42 Et quod omnes eligũt , q̃ quod non omnes.
43 Et quod plures , quàm quod pauciores. Nam bonum erat,quod omnes appetunt.Quare etiam maius bonum,quod magis appetunt .
44 Et quod illi,qui controuersantur,uel qui inimici sunt,uel iudicantes , uel quos isti iudicant : illud enim est , perinde ac si omnes affirmarent : hoc uero perinde ac si potẽtes,& scientes.
45 Et interdum, cuius omnes participes sunt,id maius : dedecus enim est,participem non esse.
46 Interdum uero,cuius nemo,aut cuius pauci, quia rarius .
47 Et laude digniora,quia honestiora.
48 Et quarum rerum honores maiores , itidem. Nam honor tanquàm precium quoddam est .
49 Et quarum rerum pœnæ maiores.
50 Et maiora cõfessis,& iis,quæ magna apparẽt.
Lib.9. Il. 51 Et quæ diuidũtur in partes.ipsa maiora apparent : pluriũ enim apparet exuperantia . unde & poeta ait,illam, ut Meleager exurgeret persuasisse dicentem ;

Quot mala cõcurrũt,quoties sũt oppida capta.
Occidunt homines, tectisq; incendia miscent.
Ast alij abducunt natos.

52 Et sit componantur , ac construantur , ut Epicharmus facit,tum propter idem,quod euenit diuisioni ; nam compositio exuperantiam demõstrat

ſtrat multam: tum quòd apparet principium magnorum,& cauſſa.

53 Quoniã uero diuturnius,& rarius,eſt maius, etiam occaſiones,& ætates,& loci,& tempora, & facultates res magnas reddũt.ſi enim ſupra facul tatem,& ſupra ætatem,& ſupra ſimiles, & ſi ſic, uel ibi, uel tunc; habebit magnitudinẽ & honeſtorum,& bonorum,& iuſtorum,& contrariorum. unde & epigramma Olympionicæ;

His humeris dura impoſita mihi corbe redibam.
Ex Argo preſſus piſcibus ad Tegeam.

Et Iphicrates ſe ipſum encomio ornauit, dicens, Ex quibus extiterunt hæc.

54 Et natiuũ quàm aſcitum:difficilius enim.Vnde & poeta ait; Sum mihi met doctor. *Lib. 22. odyſſ.*

55 Et eius,quod magnum eſt,maxima pars; ut Pericles funebrem orationem habens dixit, ſi iuuẽtus ex ciuitate ſublata ſit,id perinde eſſe,ac ſi Ver ex anno ſublatum ſit.

56 Et in maiore neceſſitate vtilia, vt in ſenectute,& morbis.

57 Et ex duobus quod propius accedit ad finem.

58 Et quod ipſi,quàm quod ſimpliciter.

59 Et id,quod fieri poteſt,quàm id,quod fieri nõ põt.illud.n.eſt ipſi bonũ: hoc vero nequaquam.

60 Et quæ conſiſtunt in fine vitæ.nam fines magis,quàm quæ referuntur ad finem,bona ſunt.

61 Et quæ ſunt ad veritatem,q̃ quæ ad opinionẽ. Eſt autem terminus eius, quod ad opinionẽ eſt,ſi latiturus eſſet,eũ nõ electurũ.Quamobrẽ, ut quis beneficio afficiatur, q̃ vt afficiat, videtur eſſe dignius electione.illud.n. ẽt ſi lateat eliget: vt aũt bñficio afficiat,ſi lateat,nõ videtur eſſe electurus.

62 Et quæcunq; magis eſſe,q̃ videri uolunt. ſunt enim magis ad veritatem. Quãobrem & iuſtitiã

aiunt rem paruam esse, quia vt quis videatur, quàm vt sit, electione dignius est. De sanitate vero id non accidit.

63 Et vtilius ad multa, vt ad vitam, & bonam vitam, & voluptatem, & rerum honestarum administrationem. Quamobrem & diuitiæ, & sanitas, res esse maximæ videntur: omnia enim hæc ipsę habent.

64 Et minus molestum, & quod est cum voluptate. sunt enim plura vno. Quare & volu ptas bonum est, & indolentia.

65 Et ex duobus quod eidem adiunctum, maius efficit totum.

66 Et quæ non latent præsentia, quàm quæ latent: ad veritatem enim hæc tendunt. Quamobrem diuitem esse apparebit maius bonum, quàm videri.

Vide Demosthenem contra Timocratem.

67 Et quod amandum est; & aliquibus quidem solum, aliquibus vero cum alijs. Itaque non æqualis pœna est, si quis altero oculo vtentem cęcauerit, & duos habentem. quod enim amandũ est, & solum, sublatum est.

De rebus publicis.

Ac ex quibus quidẽ oporteat fidem tum suadendo, tum dissuadendo afferre, ferme dictum est.

Iam, vt persuadere, & egregie deliberare possimus, maxime, ac potissimum assumere omnes Resp. debemus, & vniuscuiusq; mores, ac instituta, vtiliaq; distinguere. Nam omnes persuadentur eo ipso, quod vtile est. Vtile vero est, quod ciuitatem conseruat. præterea dominatus est domini enunciatio. Ac dominatus ex Rebusp. distincti sunt. Quot enim sunt Resp. tot etiam dominatus. Atqui Resp. sunt quatuor, Democratia, Oligarchia, Aristocratia, Monarchia. Quare dominatus, & id ipsum, quod iudicat, harum erit

par-

particula, aut harum totum. Democratia est Resp. in qua sortes distribuunt magistratus. Oligarchia, in qua qui censibus valent. Aristocratia, in qua qui disciplina. Disciplinam autem voco à lege constitutam. nam qui in legibus institerunt, in Aristocratia dominantur. Necesse vero est hos optimos apparere, vnde etiam huiusmodi nomen accepit. Monarchia secundum nomen est, in qua vnus omnium dominus est. Atq; ex ijs, quæ Monarchię nomine continentur, illa quidem, quę ordinem quendam habet, Regnum est: at indefinita Tyrannis. Neque vero, qui sit cuiusque Reip. finis, oportet latere, eligunt.n. ea, quæ referuntur ad finem. Ac Democratiæ quidem finis est libertas. Oligarchiæ vero diuitiæ, At Aristocratiæ, quæ pertinent ad disciplinam, & instituta. Tyrannidis autem custodia. Manifestum igitur est, mores, qui pertinent ad cuiusque finem; & instituta, & vtilia distinguenda esse, siquidem eligunt ad eum referentes. Et quoniam fides fit, non solum demonstratiua oratione, sed etiam morata (nam eò quia apparet quibusdam moribus præditus is, qui dicit, ei fidem habemus id est si bonus appareat, vel amicus, uel vtrunq;) mores vniuscuiusq; Reip. tenere nos oportebit, Vniuscuiusque enim mores in vnaquaque maxime idoneos esse ad faciendam fidem, necesse est. Ex eisdem vero hæc ipsa accipientur. Nam mores apparent ex prælectione. prælectio vero refertur ad finem.

Ac quæ quidem oporteat appetere illos, qui suadent, tanquam futura, vel præsentia, & vnde oporteat fidem sumere de vtili, præterea vero de moribus Rerump. & institutis, tum quibus, tum quomodo abundabimus, quantum erat præsenti

tempori accomodatum, dictum est: exquisite enim de his in politicis est disputatum.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

Cur agendũ de honesto, & virtute.



Onsequens est, vt dicamus de virtute, & vitio,& honesto, & turpi: res enim huiusmodi propositas habet, qui laudat, & qui vituperat. Continget vero simul, dum de his dicemus, vt etiam illa aperiamus,vnde aliquibus moribus præditi existimabimur;quæ erat secunda fides. Ex ijsdem enim nos ipsos, & alium efficere fide dignum poterimus propter virtutem.

Quatuor p̃cipue laudãtur.

Quoniã uero contingit,& iocose,& serio laudare sæpenumero non solum hominẽ,aut Deum, sed etiam inanimata, & aliorũ animaliũ quodlibet; eodem modo etiam de his propositiones sumendæ sunt. Itaq; quodammodo de his quoq; exempli gratia disputemus.

Honestum quid sit.

Ac honestum quidẽ est,quod cũ per se eligendum sit, laudabile est.uel quod cum bonum sit, propter bonitatem iucundum est.

Honestatis prima forma generalior.

Quod si hoc honestum est, ut uirtus honesta sit, necesse est: bona enim cum sit,laudabilis est.

Virtus uero ut uidetur, facultas est,quæ parat bona,& quæ conseruat,& facultas,quæ beneficia facit multa,& magna,& omnia in omnibus.

At partes uirtutis sunt, iustitia,fortitudo,temperantia, magnificentia, magnanimitas,liberalitas,mansuetudo,prudentia,sapientia.

Necesse uero est maximas esse uirtutes quæ alijs utilissimæ sint, siquidẽ uirtus facultas est,quæ bene-

beneficia facit. Idcirco iustos, & fortes maxime honorant.horum enim virtus in bello: illorum vero etiam in pace ipsis vtilis est.

Deinde etiam liberales. Nam effundunt, & de pecunijs non certant, quas maxime alij appetunt.

1 Iustitia est ꝑ quā quæ sua sunt, singuli habent, & vt lex iubet. Iniustitia, per quam aliena, non vt lex iubet.

2 Fortitudo est, per quam actores sunt operum honestorum in periculis, & vt lex præcipit; atque administri legis. Timiditas contrarium.

3 Temperantia est virtus, per quam ad voluptates corporis sic se habent, ut lex præcipit. Intemperantia contrarium.

4 Liberalitas est, quæ benefacit in pecunijs. Illiberalitas contrarium.

5 Magnanimitas est virtus effectrix magnorum beneficiorum: Pusillanimitas contrarium.

6 Magnificentia est virtus effectrix magnitudinis in sumptib. Paruificentia contrarium.

7 Prudentia est virtus rationis, per quam bene consultare possunt de bonis, & malis ijs, quæ ad felicitatem dicta sunt pertinere.

Ac de virtute quidē, & vitio in vniuersum, deq; particulis virtutis dictū est, quod præsenti tēpori satis sit. De alijs vero non est difficilis disputatio.

Apparet enim necesse esse, vt etiam ea, quæ efficiunt virtutem, honesta sint.

Honesti secūda, & tertia forma generalior.

Et quæ efficiuntur à virtute. eiusmodi autem sunt & signa virtutis, & opera.

Et quoniam signa, & huiusmodi res; quæ sunt boni opera, aut perpessiones, honesta sunt.

1 Necesse est, vt etiam quæcunq; fortitudinis, opera aut signa fortitudinis, aut fortiter gesta sunt, ea honesta sint.

Aliæ honesti formæ minus generales.

2 Et iusta,& quæ opera iuste se habent.perpessiones vero minime.Inter virtutes.n.hæc sola est, in qua non semper, quod iuste se habet, honestum est.uerum,cum aliquis damnatur, turpius est,si id fiat iuste,quàm si iniuste.

3 Et de alijs uirtutibus similiter,

4 Et in quibus premium est honor,honesta sunt:

5 Et in quibus honor magis, quàm pecuniæ.

6 Et quæcunq; ex ijs,quæ electione digna sunt, non sui caussa aliquis agit.

7 Et simpliciter bona,quæcunq; pro patria gesserit aliquis,negligens suum ipsius commodum.

8 Et naturaliter bona.

9 Et quæ non ipsi bona sunt: ipsius enim gratia talia sunt.

10 Et quæcunq;contingit,ut mortuo adsint magis,quàm uiuenti.quæ enim uiuenti adsunt, continent magis id,quod sui gratia est.

11 Et quæcunq; opera aliorum sunt caussæ,quia miuns sui caussa sunt.

12 Et quæcunq; bonæ actiones sunt erga alios, & non erga se.

13 Et erga eos, qui benefecerunt; quia id iustum est.

14 Et beneficia,quia non sunt erga se.

15 Et contraria ijs, in quibus uerecundantur.Etenim qui turpia dicunt, & faciũt,& q dicturi sunt, & facturi sunt, uerecundantur,ut cecinit Sappho. Nam cum Alcæus diceret; Volo aliquid loqui: sed me prohibet pudor;respondit; Si incensus esses bonarum rerum desiderio, aut honestarũ, neq; dicere id, quod malum est,lingua tentaret,nequaquam tibi oculos occuparet pudor, sed de re iusta loquereris.

16 Et de quib.anguntur, cum minime timeant,

quia.

quia hoc modo afficiuntur de bonis illis, quæ ad gloriam referuntur.
17 Et eorum, qui natura meliores sunt, etiã hone stiores sunt uirtutes, & opera; ut uiri, quàm mulieris.
18 Et quæ alijs magis, quàm ipsis uoluptaria sunt. Quamobrẽ iustum, & iustitia res honesta est.
19 Et magis inimicos ulcisci, quàm non ulcisci, & non reconciliari, quàm reconciliari. Etenim par pari referre, iustum est. quod autem iustum est, honestum est. ad fortitudinem uero pertinet non cedere
20 Et uictoria, ac honor ex rebus honestis sunt. Nam electione digna sunt, etiam si nullũ fructum ferant; & uirtutis excellentiam declarant.
21 Et memorabilia.
22 Et quæ memoria sunt digniora.
23 Et quæ eum, qui non uiuat, sequuntur,
24 Et quæ honor consequitur,
25 Et quæ excellunt.
26 Et quæ solus aliquis possidet, honestiora sunt. ualde enim memorabilia sunt,
27 Et possessiones non frugiferæ, quia liberaliores.
28 Et quæ propria singulorum sunt, honesta sũt.
29 Et quæcunq; signa eorum sunt, quæ apud quosq; laudantur; ut Lacedæmone alere comam, honestum est. Nam libertatis est signum. Non.n. facile potest, qui comam alit, ullum obire seruile munus.
30 Et nullam exercere artem operosam: quia pertinet ad libertatem non uiuere ad alterius arbitrium.
31 Sumere etiam, oportet ea, quæ uicina sũt illis, quæ habentur, quasi eadem sint, & ad laudem, &

ad

ad uituperationem; ut si cautum, & animosum uocemus timidum, & insidiosum; & stolidum bonum; & indolentem lenē; & semper unumquodq; ex consequentibus secundum id, quòd optimum est; ut si iracundum, & furiosum appellemus simplicem; & contumacem magnificum, & grādem, & qui sunt in exuperationibus perinde ac essent in uirtutibus, ut audacem fortem; & prodigum liberalem. Nam multis uidebitur ita esse, & simul ex caussa uim habebit paralogismi. Etenim si ubi non est necesse, ad pericula paratus est, multo paratior uidebitur, ubi honestū erit pericula subire. Et si paratus est, ad largiendum quibuslibet, etiam paratus erit ad largiendum amicis. est enim excellentia virtutis omnibus benefacere.

32 Considerare vero etiam oportet, apud quos laus fit: non enim, quemadmodum dicebat Socrates, difficile est Athenienses apud Athenienses laudare. Dicendum est autem, quod apud quosq; in honore est, vt apud Scythas, aut Laconas, aut philosophos, & omnino quod in honore est, reducendū est ad honestum, siquidem, esse vicinum videtur.

33 Et quaecunq; prout conuenit; vt si digna gessit maioribus & rebus ante gestis: pertinet enim ad felicitatem, & honestum est, honorem adaugere, aut si praeter quàm conuenit, in id, quod melius, & honestius est, vt si moderatus sit, qui prospera fortuna vtatur; qui vero aduersa, magnanimus; aut si qui euaserit maior, etiam melior & placabilior sit. Atque eiusmodi est illud Iphicratis, Ex quibus in quae. & illud Olympionicae, His humeris dura imposita mihi. & illud Simonidis Quaque parentem habuit regem, fratresq;, uirūque. Et quoniam ex actionibus manat laus, & boni viri proprium est, quod fit ex prae electione; co

nandum

nandum est ostendere, eum, quem laudamus, acto rẽ esse ex præelectione. Atq; vtile est, si appareat, eum sæpe egisse. Quamobrem sumenda sunt, quæ casu, fortuitoq; contigerunt, quasi ex præelectione facta sint. Nam si multa, & similia proferantur, id videbitur esse signũ virtutis, & præelectionis. Laus autem est oratio, quæ indicat magnitudinem virtutis. ergo demonstrare oportet eiusmodi esse actiones. Encomium vero operum est. At quæ circum sunt, pertinet ad fidem; vt nobilitas, & eruditio. verisimile enim est ex bonis bonos ortos esse, & hoc modo educatum huiusmodi esse. Itaq; etiam encomio celebramus eos, qui egerũt. opera autem signa habitus sunt, quoniam laudaremus etiam eũ, qui non egisset, si talem esse crederemus. Beati vero, & felicis effectio inter se eadem sunt: at cum his non eadem: verum, quemadmodum felicitas virtutem, sic felicis effectio hæc ipsa continet.

34 Atq; communis forma est laudi, & consilijs. Quæ enim consulendo præciperes, ea transposita dictione encomia fiunt. Quoniã igitur tenemus, quæ agere, & qualem esse oportet, si ea, tanq̃ præcepta dicamus, dictione transponere, & conuertere debemus, ut si quis dixerit, non oportere valde gloriari iis, quæ à fortuna proficiscuntur, sed ijs, quæ propria sunt. Ac præcepti quidem vim hoc habet; illud vero laudis. Valde glorians non ijs, quæ dantur à fortuna, sed proprijs. Quãobrem, cum laudare vis, vide, quid præciperes; & cũ præcipere, vide, quid laudares. dictio vero necessario opposita erit, cum vnũ quidẽ prohibens, alterum vero non prohibens transponetur.

35 Vtendum est autem etiam multis eorum; quę pertinent ad amplificandum; vt si solus, vel primus,

mus, vel cũ paucis, vel hic maxime fecit: omnia enim hæc honesta sunt; & quod vim habet ex tẽporibus & occasionibus: res enim eiusmodi sunt præter id, quod secundum cõueniens expectatur. & si sæpe idẽ recte egit. magnum enim id esse, & non à fortuna existimabitur, sed proprium. Et si ea, quæ suadent, & honorant, propter hunc inuenta sunt, & parata. Et in quem primum encomiũ factum est, vt in Hippolochum, & Harmodio, ac Aristogitoni statuas in foro fuisse collocatas. similiter vero etiam in contrariis. Et si ex ipso copiam non habes, cum alijs debes comparare. ut faciebat Isocrates, cum in forensi caussarũ dictione minus versaretur. Cũ illustribus vero faciẽda collatio est. Nã id habet vim amplificandi, & honestũ est, si bonis viris melior sit. Ac iure in laudes cadit amplificatio. cõsistit.n. in excellẽtia, & excellentia est rerum honestarum. Quamobrem, si non cum illustribus: at certe cum alijs est comparandum, siquidem excellentia indicare virtutẽ videtur. Omnino autem ex ijs formis, quæ omnibus orationibus communes sunt, amplificatio aptior est ad demonstratiuas: assumunt enim actiones confessas, vt nihil aliud reliquum sit, nisi magnitudinem adiungere, & pulchritudinem. Exempla vero ad deliberatiuas. Nam ex rebus ante gestis, dum futura conijcimus, de eo, quod agẽdum est, iudicium facimus. At enthymemata ad iudiciales. Etenim caussam, & demonstrationem factũ maxime recipit, proptereaq; obscurum sit.

Ac vnde quidem laudes, & vituperationes ferme oẽs ducantur, & in quæ intuendo, laudare, & vituperare oporteat. & ex quib. encomia cõficiãtur, & probra; hæc sunt. His enim cognitis cõtraria patent; quia vituperatio ex cõtrarijs existit.

DE

DE GENERE IVDICIALI.



E accusatione autem, & defensione ex quot, & cuiusmodi rebus oporteat confici syllogismos, consequens est, ut differamus. Iamuero assumenda sunt tria; vnum Quarum & quot rerum caussa iniuria afficiant: alterum, Quomodo ipsi affecti sint. tertium Quales homines afficiant, & quomodo se habentes. Cum igitur definiuerimus, quid sit iniuria afficere, cætera persequamur. Iam iniuria afficere sit nocere, sponte, contra legem.

Tria assumenda.

Iniuriam facere quid sit

Lex vero est, vna propria: altera communis. voco propriam, secundum quam scriptam ciuiliter agunt: & communem ea omnia, quę non scripta confiteri omnes videntur.

Sponte autem faciunt, quęcunque scientes, & non coacti faciunt. Ac quæcunque quidem sponte faciunt, non omnia præeligentes faciunt. Quæcunque vero præeligentes, omnia sponte, & scientes. nemo enim id ignorat, quod præeligit.

Vitium uero, atq; incontinentia caussa est, quã obrem nocendi præelectionem habeant, & committendi mala contra legem. Si qui enim improbitate laborent, aut vna, aut pluribus in eo, in quo improbi sunt, etiam agunt iniuriose; ut illiberalis in pecunijs, intemperans in voluptatibus corporis, mollis in rebus ad desidiã pertinentib. timidus in periculis: deserunt enim propter metum, qui simul periclitantur: ambitiosus propter honorẽ, iracundus propter iram, studiosus victoriæ propter victoriam, amarus propter vltionem.

tionem. imprudens, propterea quòd decipitur in eo, quod iustum, & bonum est. impudens propter despicientiam existimationis, & similiter ex alijs vnusquisq; in vnaquaq; ex subiectis rebus. Verũ hæc manifesta sunt, partim ex ijs, quæ dicta sunt de virtutibus, partim ex ijs, quæ de affectibus explicabuntur.

Quarum rerum caussa fiant iniuriæ.

Restat autem dicere, cuius rei caussa, & quomodo se habentes, iniuria afficiant, & quos. Ac primum quidem explicemus, quę nam expetamus, & qualia fugiamus, dum afficere iniuria conamur. Manifestum enim est, accusatori quidem cõsiderandum esse, quot, & qualia ex ijs, aduersario insint, quæ expetentes oẽs iniuria proximos afficiunt: defensori vero, quot, & qualia ex ijs non insint. Iam oẽs agunt omnia, partim quidem non ꝑ se: partim uero per se. Ac non per se quidem partim per fortunam agunt: partim ex necessitate. Atq; hęc partim vi: partim natura. Quare omnia, quæcunq; nõ per se agunt, aut sunt à fortuna, aut natura, aut vi. Quæcunq; vero per se, quorum ipsi sunt caussæ, alia sunt per consuetudinẽm: alia per appetitionẽ; & ex his alia per appetitionem participem ratiocinationis: alia per expertem rõcinationis. Est aũt voluntas cum ratione appetitio boni: nemo enim vult, nisi id, ꝙ bonũ esse existimauerit. Appetitiones vero expertes ratiocinationis sunt ira, & cupiditas. Quare necesse est, omnia, quæcunq; agunt, propter septẽ caussas euenire; propter fortunã, propter vim, propter naturam, propter cõsuetudinem, propter ratiocinationem, propter iracundiam, propter cupiditatem.

Septem caussæ actionũ humanarũ.

Verum diuidere, quæ aguntur, ex ætatib. vel habitibus, vel alijs quibuscunq;, superuacaneũ est. Si. n. contingit iuuenib. vt iracũdi sint, vel cupidi; non

Non sunt diuidenda a-

non propter ætatem res eiusmodi agunt, sed propter iram,& cupiditatem. Neq; diuites, & pauperes propter diuitias,& paupertatem: sed contigit quidem pauperibus, propter indigentiam cupere pecunias : diuitibus vero propter licentiam cupere non necessarias voluptates. Verum agunt quoque isti non propter diuitias,& paupertatem,sed propter cupiditatem. Similiter uero etiam & iusti,& iniusti,& alij, qui ex habitibus agere dicuntur,propter hæc omnia agunt : aut enim propter ratiocinationem, aut propter affectum ; sed partim propter mores, & affectus bonos:partim propter contrarios. Contingit tamen, ut hi quidem habitus talia consequentia habeant; illi uero talia. Etenim,vt statim exemplum habeamus, temperans fortasse propter temperantiam,& opiniones,& cupiditates bonas consequentes habet de voluptatibus.intemperans vero contrarias de his ipsis. Quamobrem huiusmodi sunt diuisiones omittendæ. Considerandum uero est,quæ res quas consequentes soleant habere. Nam si albus sit, aut niger,aut magnus, aut paruus,rerum eiusmodi nihil esse consequens constitutum est. Si vero iuuenis,aut senex sit,aut iustus,aut iniustus,iam aliqua est differentia , & omnino quæcunque ex rebus contingentib. efficiunt , ut hominum mores differāt;quemadmodum diues ne esse, an pauper existimetur,differt aliquid;& aduersa ne fortuna,an prospera uti.Atq; hæc quidē posterius dicemus.nunc vero de reliquis primum dicamus.

ctiones ex ætatibus.

Neque ex fortunis.

Neque e x habitibus animi.

Neque ex habitib. corporis.

Ea fiunt à fortuna , quorum caussa indefinita est,quæque non propter rem aliquam fiunt , nec semper,nec plerunque,nec ordinate. Hæc autem patent ex definitione fortunæ.

Quæ fiant à fortuna.

Natura fiūt ea,quorum caussa in ipsis est & ordinate:

dinate: aut enim ſemper, aut plerunq;, eodem modo eueniunt. Quæ enim præter naturam ſunt, de ijs non eſt exacte diſputandum, utrum aliqua ſecundum naturam fiant, an aliam ob cauſſam. Videbitur uero etiam fortuna eiuſmodi rerum cauſſa eſſe.

Quæ natura.

Quæ vi.

Ea fiunt ui, quæ præter cupiditatē, aut ratiocinationem per ipſos agentes fiunt.

Quæ conſuetudine.

Conſuetudine fiunt ea, quæcunque idci rco faciunt, quia ſæpe fecerunt.

Quæ propter ratiocinationem.

Ea fiunt propter ratiocinationē, quæ uidentur utilia eſſe ex bonis, quæ dicta ſunt, aut tanquam finis, aut tanquàm ea, quæ referuntur ad finem, quoties aguntur propter id ipſum, quod utile eſt. Nonnulla enim etiam intemperātes utilia agūt, uerum nō ꝓ id, quod vtile eſt, ſed ꝓ uoluptatē.

Quæ propter iram.

Propter excandeſcentiam, & iram fiunt ea, quæ pertinent ad ultionem. Differt autem ultio à caſtigatione. Nā caſtigatio patientis cauſſa eſt. Vltio efficientis, ut ſcilicet expleater. Ac in quo quidē ſit ira, in ijs, quæ de affectibus tradentur, perſpicuum erit.

Quæ propter cupiditatem.

Propter cupiditatem aguntur, quæcunq; apparent iucunda. Quod uero eſt ex aſſuefactione, & conſuetudine, in rebus iucundis ponitur. Multa enim eorum, quæ natura iucunda non ſunt, quoties aſſueuerint, iucunde faciunt. Quare, ut breuiter dicam, quæcunq; per ſe agunt, omnia ſunt aut bona, aut quæ uidentur bona, aut iucūda, aut quæ uidentur iucunda. Et, quoniam quæcunq; per ſe agunt, ſponte agūt, at non ſponte, quæcunq; non per ſe; omnia, quæcunque ſponte agunt, erunt bona, aut quę videntur bona, aut iucūda, aut quæ uidentur iucunda. pono enim & liberationē malorum, aut eorum, quæ uidentur mala, aut pro

maiore

maiore minoris aſſumptionem inter bona. Eligenda enim quodammodo ſunt. & liberationem moleſtorum, aut eorum, quæ videntur moleſta, aut pro maioribus minorum aſſumptionem eodem modo inter iucunda. Sumendum igitur eſt, quot, & qualia iucunda ſint. Ac de vtili quidem in deliberatiuis ſupra dictum eſt. Nunc vero dicamus de iucundo. Exiſtimandum autem eſt, ſufficere definitiones, ſi ſint de vnaquaque re neque exactæ, neque obſcuræ. Iam poſitum ſit nobis, voluptatem eſſe motionem aliquam animi, & conſtitutionem ſubitam, ac ſenſibilem in inſitam naturam. ſi igitur voluptas eiuſmodi eſt, conſtat etiam iucundũ eſſe, quod habet vim efficiẽdæ eius, quæ dicta eſt, affectionis. Moleſtum vero, quod habet vim corrũpendæ, aut contrariæ efficiendæ affectionis.

Proponitur agendum de iucundo.

1 Ergo neceſſe eſt, iucundum eſſe, ire plerunque ad id, quod ſecundum naturam eſt, maxime vero, cum aſſumpſerint ſuam ipſorum naturam, quæ fiunt ſecundum ipſum.

2 Et conſuetudines: fit enim conſuetum quaſi natura inſitum. conſuetudo vero res ſimilis eſt naturæ. Nam vicinitatem habet id, quod ſæpe fit, cum eo, quod ſemper. Atqui natura quidem eſt eius, quod ſemper fit: conſuetudo vero eius, quod ſæpe.

3 Et non violentum. uis enim præter naturam eſt. Quamobrem neceſſitates moleſtiam habent & recte dictum eſt. Inſuaue eſt etenim, fieri quod cunque neceſſe eſt. Curationes autem, & ſtudia, & contentiones dictum eſt moleſtas eſſe, quia neceſſitatem habent, & uiolentæ ſunt res eiuſmodi, niſi homines aſſueuerint. Sic enim conſuetudo affert iucunditatẽ: res vero contrariæ iucũdæ ſunt. Quãobrem ociationes, & ceſſationes à labore, &

non curantiæ,& lusus,& requietes,& somnus ex rebus iucundis existunt: nihil enim horum ad necessitatem est.

Cupiditas quid.

4 Et cuius fuerit cupiditas, id omne iucundum est. Cupiditas enim est appetitio rei iucundæ. Cupiditatum autem aliæ quidem sunt rationis expertes: aliæ vero cum ratione. Voco rationis expertes, quas nequaquam suscipiunt ex eo, quòd aliquid existiment. Tales sunt, quæcunq; natura esse dicuntur: vt quæ insunt propter vsum corporis, vt alimenti sitis, & fames, & in vnaquaq; specie alimenti cupiditas, & quæ cernuntur in ijs rebus quæ gustatu percipiuntur, & quæ in rebus venereis, & in ijs omnino, quæ pertinent ad tactus delectationem, & in odoratu suauitatis, & auditu, & aspectu. Cum ratione dico esse cupiditates, quascunque ex eo, quòd persuasi sint, concipiũt, multa enim & perspicere, & possidere concupiscunt, cum audiuerint, & persuasi sint.

Cupiditatũ diuisio.

Quoniam vero iucunditatis perceptio posita est in sentienda aliqua affectione; & phantasia est sensus quidam debilis; & ei, qui recordatur, quiq; sperat, consequens est phantasia quædam eius rei, cuius meminit, aut spem habet; si hoc ita est, patet ẽt vehementes inesse voluptates ijs, qui recordantur, & sperant, siquidem sensus quoque inest.

Quare necesse est, omnia iucunda consistere aut in sensu rerum præsentium, aut in memoria præteritarum, aut in spe futurarum: sentiũt enim res præsentes, recordantur prę teritas, sperant futuras. Ac quæ quidem memoria custodiuntur, iucunda sunt, non solum, quæcũque tunc, cum aderant, iucunda erant, sed nonnulla etiam non iucũda, si eueniat præterea quippiam honestum, & bonum. Vnde illud dictum est.

Ve-

Verum delectat saluum meminisse laborum.
& illud.

Nam delectatur, memor est, quicũq; dolorum, *Lib. 15. odyss.*
Cum res est multas passus, multasq; peregit.

Atq; huius rei caussa est, quia iucundum est ẽt malum non habere. Ex ijs vero, quę in spe sunt, illa iucunda sunt, quæ præsentia videntur aut oblectare, aut multum iuuare, aut sine molestia iuuare, omnino quæcunque præsentia oblectant, plerunque etiam eos, qui sperant, & recordantur, oblectant.

6 Quamobrem & irasci iucundum est, quemadmodum Homerus cecinit de excandescentia, Dulcior effuso quæ melle. Nemo enim irascitur ei, qui vindicari nõ posse videatur. ijs vero, à quibus multum superantur potentia, aut non irascuntur, aut minus irascuntur. *Lib. 18. Il.*

7 Et maximam cupiditatum partem voluptas quædam consequitur. Nam dum aut recordãtur, quemadmodum potirentur, aut sperant fore, vt potiantur, voluptate quadam perfunduntur; quẽadmodum qui in febribus sitim habent, & dum recordantur, se bibisse, & dum sperant, se bibituros, gaudent, & qui amant, siue colloquantur, siue scribant, siue faciant aliquid, semper de re illa, quam amant, geudant. In omnibus enim his rebus eiusmodi dum recordantur, quodammodo se rem amatam sentire arbitrantur. Et hoc amoris initium omnibus efficitur, quoties non solũ præsenti gaudent, sed absentes etiam in memoriam reuocantes amant. Quamobrem & quoties aliquis molestia afficitur, eo quòd amicus non adsit; & in luctibus, & lamentationibus quædam voluptas exoritur. Molestia enim est in eo, quòd ille non adsit: voluptas vero in eo, quòd recor-

detur,& videat quodammodo illum, & quæ ageret, & qualis esset. Quare etiam illud dictũ est.
Lib. 23.Il. Sic ait,& cunctis lachrymarum accēdit amorē.
8 Et vlcisci iucundum est.quod enim,si non cõsequamur,molestum est,id si consequamur,iucundum est. Qui vero irascuntur molestiam habent incredibilem,nisi vlciscantur;sperantes autem se vlturos,gaudent.
9 Et vincere iucundum est, non solum studiosis victoriæ, sed etiam omnibus: phantasia enim excellentiæ gignitur, cuius omnes cupiditate ardent,aut remissius, aut vehementius.
10 Et quoniam vincere iucundum est, necesse est ēt ludos iucundos esse, tum qui pertinent ad pugnas,tũ ad tibias,tũ ad contentiones: sæpenumero.n.in ipsis accidit vincere.& ludos talorũ,pilæ, aleæ,& tesserarum.de ludis serijs similiter;alij.n: iucundi sunt,si quis sit assuefactus: alij statim iucundi,vt venatio, & vniuersa ferarum insectatio. Etenim vbi certamen est, ibi etiam victoria est.
11 Quare & iudicialis,& contentiosa disputatio iucũda est,ijs,qui assuefacti sint, & potentes sint.
12 Et honor,& gloria est ex rebus iucundissimis, propterea quòd oritur cuique phantasia, se esse eiusmodi,& studiosum, idque magis, quoties id dicunt illi,quos ipse existimat uera dicere. Eiusmodi vero sunt vicini magis,quàm longinqui: & familiares,& noti:& ciues,quàm externi: & præsentes,quàm futuri:& prudentes,quàm imprudētes:& multi,quàm pauci. Verisimilius enim est,vt hi,qui commemorati sunt,uera dicant,quàm contrarij:quoniam illorum, quos aliquis valde contemnit,ut puerorum,aut belluarum,non curat honorem,aut existimationem, ipsius scilicet existimationis gratia: nam, si curat; propter aliquid
aliud

aliud curat:
13 Et amicus est ex rebus iucundis. Nam & amare iucundum est, quia nemo amans vini est, qui non gaudeat uino: & amari iucundum; phantasia enim etiam ibi est, sibi adesse bonum, quod omnes concupiscũt, qui eam sentiant. Amari vero est ipsum per se carum esse.
14 Et suspici iucundum est, propterea quòd ea in re honor adhibeatur.
15 Et adulari, & adulator res iucunda est: adulator enim videtur admirator, & videtur amicus.
16 Et eadem agere, sæpe iucundum est: consuetũ enim erat iucundum.
17 Et permutare iucundum est: pemutare enim naturæ accommodatum est. Nam idem semper exuperantiam efficit habitus constituti. Vnde dictum est; Permutatio omnium dulcis. ob hanc.n. caussam etiam ea, quæ interposito temporis spatio fiunt, iucunda sunt, tum homines, tum res. Est enim permutatio ex præsenti statu. simul autem & rarum est, quod temporis spatio fit. *Eurip. ī Oreste.*
18 Et discere, & admirari, iucundum est plerunque. Nam in admiratione cupiditas est discendi. Quare admirabile excitat desiderium. At in discẽdo erigimur in eum statum, qui naturalis est.
19 Et benefacere, & beneficium accipere est ex rebus iucundis. Nam beneficium accipere est consequi ea, quę concupiscũt. Benefacere vero, habere, & excellere, quæ ambo appetunt.
20 Et quoniam iucundum est, quod valet ad benefaciendum, hominibus etiam iucũdum est, corrigere eos, qui proximi sunt.
21 Et inchoata perficere.
22 Et, quoniam tum discere iucundum est, tum admirari, necesse est etiam iucundum esse omne

eiusmodi, quod imitando expressum est, qualis pictura, & statuaria, & poetica, & quicquid imitando bene expressum sit, etiam si iucundum non sit illud, cuius imitatio est. Non enim ea in re gaudet, sed ratiocinatur hoc esse illud. Quare contingit aliquid discere.

23 Et rerum inclinationes; & vix seruari ex periculis: omnia enim hæc admirabilia sunt.

24 Et quoniam id, quod secundum naturam est, iucundum est, & quæ cognata sunt, secundum naturam inuicem sunt; omnia cognata, & similia sunt plerunq; iucunda; vt homo homini, & equus equo, & iuuenis iuueni. vnde et puerbia prolata sunt, q æqualis æqualẽ delectat; & semper simili simile amicũ, & cognouit fera feram: & semper graculus cũ graculo, & quęcunque alia eiusmodi.

25 Et quoniam omne simile, & cognatum sibi ipsi iucundum est, maxime autem ipse erga se ipsum quisque sic affectus est; necesse est, omnes sui amantes esse, aut magis, aut minus. omnia enim erga se maxime hoc modo se habent.

26 Et quoniam omnes sui amantes sunt, necesse est omnibus iucunda esse, quæ sua sunt, vt opera, orationes.

Quamobrem amantes sunt plerunq; assentatorum, & amatorum, & bonorum, & liberorum: opera enim ipsorum sunt liberi.

27 Et inchoata perficere iucundum est: ipsorum enim opus iam fit.

28 Et quoniam principem esse, iucundissimũ est, etiam videri sapientem esse, iucũdum est: ad principatum enim pertinet sapere. est autem sapientia rerum multarum, & admirabilium scientia.

29 Præterea vero quoniam plerunq; amantes honoris sunt, necesse est, & principem esse, & increpare

pare proximos, iucundum esse.

30 Et in quo ipse sibi optimus videtur, ibi assidue versari, quemadmodum Euripides ait;

Nam quisque ad id frequens adest,
Magnamque in illo temporis partem terit,
In quo ipse se præstantiorem existimet.

31 Eodem modo, quoniã ludus est ex rebus iucũdis, & omnis animi remissio, & risus ex rebus iucundis, necesse est ẽt ridicula iucunda esse, & homines, & orationes, & opera. Disputatum autem est de ridiculis separatim in iis, quæ de poetica scripta sunt. Ac de iucũdis quidem hęc dicta sint. Molesta autem ex contrarijs patent.

Quomodo autem se habentes, & quos iniuria afficiant, in præsentia explicemus. *A quibus fiant iniuriæ.*

1 Ac ipsi quidem iniuria afficiunt, quoties arbitrantur fieri posse, vt res agatur.

Et fieri posse, vt à se ipsis agatur.

Et si arbitrantur se latituros, cum egerint.

Aut si non latuerint, se pœnam non daturos.

Aut daturos quidem, sed ita, vt lucro minus sibi damnum sit, aut ijs, quorum curam habent.

Ac quæ quidem sint ea, quæ posse fieri videantur, & quæ non posse fieri, in ijs, quæ posterius tradentur, explicabitur: communia enim sunt omnibus partibus Rhetoricæ.

Ipsi vero arbitrantur se maxime posse iniuria afficere sine vllo damno, qui valent in dicendo, & in agendo, & in experientia multarum contentionum, & si eis multi amici sint. & si diuites. & maxime quidem si ipsi valeant in ijs, quæ dicta sunt; potentiam se habere arbitrantur. sin minus, cum eis existant amici eiusmodi, aut ministri, aut socij; quia his freti possunt & agere, & latere, & pœnam non dare, & si amici sint jis, qui iniuriã patiuntur,

tiũtur aut iudicib. Etenim amici parũ cauti sunt ad iniuriã patiendam,& prius reconciliantur, q̃ iudiciũ persequantur. Iudices vero gratificantur iis,quibus amici sunt;& omnino absoluunt, aut certe paruis pœnis afficiunt.

Apti vero ad latendum sunt, & contrarij criminationib. vt debilis de verberatione;& pauper, & deformis de adulterio. Et qui nimis sunt in aperto,& in oculis: incauta enim sũt,propterea ꝙ nemo illa existimet. Et tanta, & talia, quæ admiserit nemo: incauta enim etiam talia sunt. Nam omnes vt morbos, ita iniurias vsitatas cauent. Quo autem morbo nondum laborauerit,cum nemo reformidat. Et quibus nemo est inimicus,aut multi sunt inimici. illi enim putant se latituros, proptereaquòd non cauẽtur; hi vero etiam latẽt quia nõ videtur aggressuri fuisse eos, qui cauent. & quia habent defensionem,se non fuisse aggressuros. Et quibus existit occultatio,aut modus,aut locus,aut alienatio in promptu.

Et quibuscunq;,si non lateant,existit depulsio iudicij,aut dilatio temporis, aut corruptiones iudicum. Et quibus si fiat damnum,est depulsio solutionis,aut dilatio temporis, aut si quis propter inopiam nihil habiturus sit,quod amittat. Et quibus lucra quidem aperta sunt, aut magna,aut vicina:damna vero aut parua,aut obscura, aut longinqua. Et cui non est pœna æqualis vtilitati. id quod Tyrannis videtur habere. Et quibus iniuriæ lucra sunt,damna vero probra solum. Et quibus è contra iniuriæ quidem in laudem aliquam conuertuntur,quemadmodum si contingat,simul vindictam facere pro patre,aut matre,vt Zenoni: dãna vero sint,vt pecuniarũ, aut exilij, aut alicuius eiusmodi rei. Ambo.n.iniuriã faciunt,& vtroque

modo se habentes,non tamen iidem , sed contrarij moribus .

2 Et qui sæpenumero aut latuerunt,aut nullum damnum habuerunt.

3 Et sæpe lapsi opinione.sunt.n. aliqui etiam in eiusmodi rebus . sicut in bellicis, qui parati sunt fortunam belli rursus tentare .

4 Et quibus protinus id,quod iucundum est, accidat ; qđ vero molestũ, posterius: aut lucrũ ꝓtinus;dãnũ vero posterius.Intẽperantes aũt eiusmodi sunt.Ac in tẽperãtia est in oĩbus quæ appetũt.

5 Et quib. è conuerso,quod molestũ est , iam adsit,aut damnum:quod vero iucundum,& vtile,posteriora,& diuturniora sint. continentes enim,& prudentiores eiusmodi res sequuntur .

6 Et quibus contingat, ut uideantur egisse propter fortunam,aut propter necessitatem,aut propter naturam,aut propter consuetudinem,& omnino errasse,non autem iniuriam fecisse .

7 Et qui possint consequi æquitatem.

8 Et quicunq; indigentes sunt.dupliciter autem sunt indigentes:aut enim tanquã rei necessariæ, vt pauperes;aut tãquam exuperantię,vt diuites.

9 Et q sũt bonę admodũ existimatiõis.Et q admodũ malæ.illi qdẽ tanq̃ qui nõ existimabuntur iniuriã fecisse: hi vero tanquã q non existimabũ tur esse peiores,q̃ adhuc in hominũ opinione sint.

Ac ipsi quidem sic se habentes ad faciendam iniuriam aggrediuntur .

1 Iniuria vero afficiunt eos, & iis rebus præditos,quarum ipsi indigent, aut ad necessarios vitæ usus,aut ad exuperantiam, aut ad voluptatem . *Quibus fiat iniuria.*

2 Et longinquos, & vicinos.horum enim comprehensio velox est:illorum uero ultio tarda , vt qui spoliant Carthaginienses .

Et

3 Et eos,qui non cauent,nec obseruant,sed creduli sunt: facile enim est omnes latere.
4 Et socordes:uiri.n. industrij est ius persequi.
5 Et uerecundos : non enim de lucro pugnaces sunt.
6 Et qui à multis iniuriam passi sunt,& ius persequuti non sunt; quasi sint secundũ prouerbiũ Mysorum præda.
7 Et quos nunquàm amplius,& quos sæpe iniuria affecerunt; quia utrique incauti sunt.illi quidem,ut nunquàm iniuria affecti : hi uero,ut qui non amplius putant se iniuria affectum iri.
8 Et calumnia affectos,& qui afficiātur idoneos tales. n. non præeligunt, cũ timeant iudices,nec possunt persuadere; ex quibus sunt,qui odio habentur, & quibus inuidetur.
9 Et aduersus quos habent prætextum,uel maiorum,uel suũ ipsorum,uel amicorum,quòd aut malefecerint,aut facturi fuerint,uel sibi ipsis,uel maioribus uel ijs, quos caros habent : ut enim prouerbium ait,prætextu tātũ īprobitas indiget.
10 Et inimicos, & amicos; quia hos sit facile iniuria afficere :illos iucundum.
11 Et qui amicis carēt,& non ualent in dicēdo, nec in agendo : aut enim non conantur inuadere; aut reconciliantur; aut nihil proficiunt.
12 Et quibus non est utile tempus consumere, expectando uel iudicium,uel solutionem; ut sũt peregrini,& opifices;nā ob res paruas trāsigunt, & facile huiusmodi homines mitigantur.
13 Et qui multas iniurias intulerunt, uel tales, quales patiuntur : quiddam enim uidetur uicinum esse ei,quod non facit iniuriam,quoties aliquis talem iniuriam passus est,qualem consueuit etiam ipse facere; ut exempli gratia siquis uer-
beret

beret eum,qui consueuit contumeliam facere.

14 Et qui malefecerunt, uel facere uoluerunt, uel uolunt, uel facturi sunt: habet enim & iucũditatem & honestatẽ; & uicinum est hoc ei,quod non uidetur iniuriam facere.

15 Et quos iniuria afficiẽdo gratificabuntur uel amicis uel ijs,quos admirãtur,uel ijs,quos amãt, uel omnino ijs, ad quorum arbitriũ ipsi uiuunt, & apud quos licet consequi æquitatem.

16 Et quibus crimen obtulerint, & à quibus seiũcti sint, ut Callipus fecit ĩ Dionẽ.Etenim talia uicina sunt ei, quod iniuriã facere non uidetur.

17 Et qui ab alijs lędũtur,si eos ipsi nõ lęserint; quasi non amplius liceat consultare; ut dicitur Aenesidemus Gelonimisisse cotabia,cum seruitutem induxisset,proptereaquòd præuenisset,quasi & ipse facturus fuisset.

18 Et quos si iniuria affecerint, poterunt multa iusta agere,tanquam facile sanaturi; ut dixit Iason Thessalus, Oportere se nonnulla iniusta facere,ut posset etiam multa iustafacere.

In quib. potissimum iniuriæ fiant.

1 Et in ijs; in quibus omnes,uel multi iniuria afficere consueuerunt: putant enim se ueniam consequuturos.

2 Et in ijs,quæ facilia sunt ad occultandum.talia autem sunt, quæcunq; uel celeriter cõsumuntur,ut esculenta; uel facile commutantur, aut figuris,aut coloribus aut tẽperamentis; uel quæ multis in locis abdere in prõptu est. Talia uero sunt,quæ facile portantur,& quæ in paruis locis abduntur,Et quibus indifferentia,& similia multa prius possidebat is,qui iniuriam facit.

3 Et quæcunq; pudet dicere eos, qui iniuriam passi sunt;quales sunt propriarum mulierum contumeliæ,aut in se,aut in filios.

Et,

4 Et, quæcunq; uidebitur tractare studio litium is, qui ius persequatur. huiusmodi autem sunt parua, & in quibus uenia est.

Ac quemadmodum quidem se habentes iniuria afficiant, & in cuiusmodi rebus & quos, & quamobrem ferme hæc sunt.

Distinguamus autē iniurias omnes: & iuste susceptas actiones, atq; hinc primum ordiamur.

Iusta definita ad duas leges & duobus modis ad homines.

Iusta, & iniusta definita sunt ad duas leges, & ad eos, ad quos referuntur, duobus modis.

Dico autem legem partim propriam, partim communem. propriam quidem singulis inter ipsos definitam; eamq; aut non scriptam, aut scriptam: communem uero secundum naturam. est enim quoddam natura commune iustum, & iniustum, quod omnes augurantur, etiam si nulla societas inter eos intercedat, nullaq; pactio; quēadmodum Sophoclis Antigone uidetur dicere, iustum esse, interdictum sepelire Polynicē, quasi natura iustum sit. Hoc namq; non hodie, & heri, at semper fuit. Nec quisq̃ homo scit, eius ortus unde sit. Et ut Empedocles dicit de non interficiendo, quod animatum est: id enim non quibusdā quidē iustum est, quibusdā uero non iustū.

Sed lex sūma hæc ē, extensa per ęthera magnū.
Aeraq; immensum, cunctis mortalibus alma.

Et ut dicit in Messeniaca Alcidamas.

Ad eos uero, ad quos sunt definita, duobus modis se habent. Nam ea, quæ oportet agere, aut nō agere, pertinent aut ad communitatem, aut ad unum ex ijs, qui communitatis participes sunt. Quamobrem & iniurias, & iustas actiones, dupliciter contingit persequi, uel iuste suscipere. Etenim aut ad unū definitum, aut ad communitatem pertinent. Qui enim committit adulterium, aut

aliquem

aliquem uerberat, iniuria afficit unũ ex definitis: qui uero non militat, iniuria afficit cõitatem.

Iam, cũ omnes iniurias distinxerimus, ut aliæ referantur ad communitatem; aliæ ad alium, uel ad alios; cum repetiuerimus, quid sit iniuria affici, reliqua explicemus. Est autem iniuria affici ab ijs, qui sponte agũt, iniusta pati. Iniuria enim afficere definitum est prius, esse quiddam sponte.

Iniuria affici quid.

Et quoniam necesse est, qui iniuriam patitur, eum noxam accipere, & quidem non sponte accipere: iam noxæ ex superioribus constant: bona enim, & mala distincta sunt per se superius, & quæ spõte agunt homines, nempe quæcunq; scientes.

Cognoscẽdæ sunt noxæ ex superioribus.

Quare necesse est omnia crimina, aut ad communitatem, aut ad priuatum referri:

Criminum distinctio.

Aut ignorante illo, qui cõmittit, & non spõte agente, aut sponte, & sciente.

Et ex his alia præeligente, alia propter affectum. Ac de ira quidẽm dicetur in ijs, quæ de affectibus disputabuntur. cuiusmodi uero res præeligant, & quomodo se habentes, iam dictum est.

Et, quoniam sæpe qui confitẽtur, se fecisse, aut litis inscriptionem non confitẽtur, aut id in quo est litis inscriptio, ut accepisse quidem, sed non furatum esse; & fuisse priorẽ, qui percusserit, sed non intulisse contumeliam; & concubuisse, sed non commisisse adulterium; aut furatũ esse, sed non commisisse sacrilegiũ, non enim Dei aliquid sustulisse; aut coluisse quidem, sed non publicũ; aut collocutum esse cum hostibus, sed non prodidisse, própterea oportebit etiam, cũ de his agetur definire, quid sit furtum, quid contumelia, quid adulterium, ut siue esse, siue non esse demostrare uelimus, iustum declarare possimus. Omnes autẽ res eiusmodi de eo sunt, utrum iniustum sit,

Status definitiuus.

& paruum,an non iniustum id,de quo controuersia est.Nā in prælectione posita est improbitas, & iniuriæ illatio.Eiusmodi uero nomina prælectionē significant,ut contumelia,& furtum.Non enim si uerberauit,omnino cotumeliā fecit.sed si alicuius rei caussa, ut dedecorandi illum , aut percipiendi uoluptatem . Neq; omnino si clam accepit,furatus est: sed si propter noxam furatus est,& ut sibi ipsi asciseeret.Eadem aliorum , quæ etiam horum est ratio.

De lege non scripta.

Et quoniam iustorum,& iniustorum duæ species traditæ sunt; alia enim scripta,alia non scripta existunt ; de ijs , quidem,de quibus scriptæ sunt leges,dictum est : non scriptorum uero duæ species habentur .

Atq; hæc sunt partim secundum exuperātiam uirtutis,& uitij,in quib. existūt probra,& laudes ignominiæ,& honores,& dona,ut gratiā habere ei,qui benefecerit,& adiutorē esse amicis & quæcunq; alia eiusmodi:partim supplementum propriæ legis ,& scriptæ.Aequum enim uidetur iustum esse ; & Aequum est, quod præter scriptam legem iustum est .

Contingit autem hoc partim inuitis , partim uolentibus legum latoribus. Inuitis quidem,quoties aliquid eos latuerit : uolentibus uero, quoties distinguere nō possint ,sed necesse habeāt in uniuersum dicere,etiam si non semper ita se res habeat,sed plerunq; , & quæcunq; non est facile distinguere propter infinitatem,ut uulnerare ferro,& quanto , & quali : deficeret enim tempus eum,qui singula dinumeraret,si igitur sit īdefinitum id,quod oportet lege sancire,necesse est ipsum simpliciter dicere. Quare si quis annulum habens manum sustulerit,& aliquem percusserit,

is

is quidem secundum legem scriptam reus est, & iniuriam fecit, sed reuera non fecit. Atq; hoc æquū est. Quod si ita se habet, apparet, cuiusmodi res sint æquæ, & nō æquæ, & cuiusmodi homines non æqui. Nam in quibus oportet ueniam dare, illæ res æquæ sunt. Et non iudicare digna æquali pęna errata, & iniurias; neq; errata, & infortunia. sunt aūt infortunia, q̄cunq; sunt præter rōnem & non ab improbitate. Errata uero, quæcunq; nō præter ratione, & nō à malitia. At iniuriæ quæcunq; non pręter rationem, & à malitia: quæ.n. propter cupiditatem, sunt, à malitia sunt.

Et æquum est, rebus humanis ignoscere: & non ad legem, sed ad legislatorem respicere; & non ad oratione, sed ad sententiā legislatoris respicere, & nō ad actione, sed ad p̄electione; & nō ad partem, sed ad totum; nec cuiusmodi aliquis nunc, sed cuiusmodi semper, aut plerunq; & meminisse magis, quibus bonis affectus sit, q̄ quibus malis; & magis bona, quæ acceperit, quàm quæ fecerit; & eum, qui iniuriam accipiat, patientē esse; & malle uerbis iudicari, quàm factis; & malle ad arbitrium, quàm ad iudicium ire.

Nam arbiter æquum intuetur: iudex uero legem; & ob id arbiter inuētus est, ut ęquū ualeat. *Arbiter differt à Iudice*

Ac de æquis quidem hunc in modum habita explicatio sit.

1 Iniuriæ autem maiores sunt, quæcunq; à maiori existunt iniustitia. Quamobrem & minimæ maxime sunt; quemadmodum Melanopum Callistratus accusabat, quòd fraudasset tribus semiobolis sacris templi constructores. In ipsa uero iustitia contrarium euenit. Atq; hæc existunt ex eo, quod facultate excellant. Nam qui tres sacros e miobolos furatus est, aliā faceret quācunque ini- *Maiores & minores iniuriæ.*

iniuriam. Ac aliquando quidē hoc modo maior iudicatur; aliquando uero ex noxa.
2 Et cuius non eſt æqualis pœna, ſed omnis minor.
3 Et cuius non eſt medicina: difficilis enim res eſt, atq; eiuſmodi, ut fieri nequaq̄ posſit.
4 Et cuius non poteſt iudicium obtinere ille, qui paſſus eſt: res enim eſt, quæ curari nō poteſt. Nam iudicium, & caſtigatio medicina ſunt.
5 Et, ſi is, qui paſſus eſt, & iniuriam accepit, ipſe ſe ualde caſtigauit: adhuc enim, qui fecit, dignus eſt, qui magis caſtigetur; ut Sophocles cū cauſſam diceret pro Euctemone, quoniā occidit ſe ipſum, qui contumeliam paſſus erat, dixit ſe non æſtimaturum minoris, quàm quo ſe ipſum ille, qui paſſus erat, æſtimauit.
6 Et quā ſolus, uel primus, uel cū paucis fecit.
7 Et ſæpe in eadē re peccare, magna iniuria eſt.
8 Et propter quam quæſita ſunt, & inuēta, quæ prohibent, & quæ puniunt; ut Argis puniunt eum, propter quem lex lata eſt; & eos, propter quos carcer ædificatus eſt.
9 Et magis ferina iuiuria, maior.
10 Et quæ magis ex prouiſione.
11 Et quā audientes timēt magis, q̄ miſerātur.
12 Ac ea quidem oratoria ſunt, quòd multa ſuſtulit iura, aut tranſgreſſus eſt, ut iuſiurandum, dexteram, fidem, connubium: multarum enim iniuriarum exuperantia eſt.
13 Et quod ibi, ubi caſtigantur, qui iniuriam inferunt id, quod faciunt falſi teſtes. ubi enim iniurioſus non erit, ſi & in foro?
14 Et in quibus eſt pudor maxime.
15 Et ſi eum iniuria afficiat, à quo beneficio affectus eſt: plures enim iniurias facit, tum quòd

male

faciat, tum quòd non benefaciat.


16 Et id, quod est contra iura non scripta: melioris enim hominis est, non esse iustum propter necessitatem. Ac scripta quidem sunt ex necessitate: non scripta uero nequaquam.

17 Alio autem modo si cõtra scripta. Nam qui in rebus metuendis iniuriam facit, & in ijs, quæ pœnæ obnoxiæ sunt, etiam iniuriam faciet in ijs, quæ non sunt obnoxiæ.

Ac de iniuria quidẽ maiore, & minore dictũ ẽ.

DE FIDE NON ARTIFICIOSA.

Fides nonartificiosæ quĩtuplex.



Sequitur, ut excurramus fidem, quæ dicitur arte carens; quia propria ipsa sit rerum iudicialium.

Quinctuplex autem est, leges testes, pacta, quæstiones, iusiurandum.

Ac primum quidem dicamus de legibus quo modo ei, qui suadet, & qui dissuadet, & qui accusat, & qui defendit, ipsis utendum sit. *De legibus.*

1 Apparet .n. si lex scripta contraria sit facto, utendum esse iure communi, & æquis tanquam iustioribus & quòd iudicare optima mente utendo, nihil aliud est, nisi non omnino scriptis uti. & quòd æquum quidem semper manet, & nunq̃ immutatur, neq; lex communis; est enim secundum naturam: scriptæ uero leges sæpe. Vnde dictum est in Antigone Sophoclis, cũ illa scilicet defendit se egisse contra legem Creontis, sed nõ contra non scriptam;

Lex scripta facto contraria reprehẽditur quatuor modis.

Hoc nanq; non hodie, aut heri, at semper fuit.
Ideo ego non timeo uiri illius minas.
Et quod iustum est uerum quiddã, & utile, sed

non quod uidetur. Quare quæ ſcripta eſt, non eſt lex: non enim obit munus legis.

et ꝙ iudex eſt tanq̃ argentarius, ut diſcernat adulterinum iuſtum à uero.

et quòd melioris uiri eſt uti non ſcriptis, quàm ſcriptis, & ſtare illis, quàm his.

2 Et ſi qua in re lex ſcripta contraria ſit legi, quæ probetur; uel ipſa ſibi ipſi; ut hæc quidem aliquando iubet rata eſſe, quæcunq; homines pepigerunt: illa uero uetat pactiones fieri contra legem.

3 Et ſi ambigua ſit, ita ut torqueas, & uideas, in utram deductionem quadrare iuſtum posſit, aut utile, & ſic eo utaris.

4 Et ſi res illæ, de quibus lata lex eſt, non amplius maneant; lex uero maneat: conandum tibi eſt, ut id declares, & pugnes hac ratione contra ipſam.

Lex ſcripta cum facto cõſentiens probatur.

Si uero lex ſcripta ad factũ accommodata ſit, tunc dicendum eſt, optima mente non eſſe, ut iudicet contra legem, ſed ut ſi ignoret id, quod lex dicit ne peieret.

Et nemine eligere bonũ ſimpliciter, ſed quod ſibi bonum eſt.

Et nihil ĩtereſſe, legẽ nõ ferri, & nõ obſeruari.

Et in alijs artibus utile non eſſe agere captioſe, ut contra medicum: quia non tantum nocet error medici, quãtum ſi quis non obedire principi aſſueſcat.

Et ſtudere ſe eſſe legibus ſapientiorem, eſſe id, quod in probatis legibus prohibetur.

Ac de legibus quidem hæc dicta ſint.

De teſtib.

Quod attinet ad teſtes, duo eorũ sũt genera.

1 Nã alij ſunt antiqui: alij noui; & ex his alij participes periculi: alij extra periculum. Voco

anti-

antiquos,& poetas,& alios omnes illustres uiros quorum iudicia clara sunt.ut Atheniēses Homero teste usi sunt de Salamine. & Tenedij nuper Periādro Corinthio aduersus Sigeenses.& Cleophon cōtra Critiā elegis Solonis usus est,dicens olim petulantem extitisse familiam eius; non.n. unq̄ cecinisset Solon,Dic flauo Critiæ,ut studeat parere parenti.Ac de rebus præteritis eiusmodi sunt testes.

De futuris uero etiā interpretes oraculorū,ut Temistocles,ligneum murū significare nauibus pugnandum esse.præterea uero prouerbia ex eo, quod dictum est genere testimonia sunt; ut si quis consulat,ne paretur amicus,qui senex sit,ei attestatur prouerbium, In senem beneficium ne conferas.Et ut tollat filios,quorum etiam parentes sustulerit,Stultus,qui natos occiso patre relinquit.Noui sunt,quicunq; illustres iam aliquid iudicarunt; ut Eubolus in iudicijs eo usus est contra Charetem,quod Plato dixit aduersus Archebium,Illud increbuit in ciuitate,ut homines se improbos esse fateantur. Et participes periculi noui sunt testes, si uisi fuerint falsum dicere.Ac hmōi quidem testes illud tantūmodo testātur,Factū sit,nec ne;sit nec ne; de qualitate uero nihil testātur, ut Iustum ne an iniustum;utile,an inutile.Qui uero longinqui sunt, de his etiam sunt dignissimi fide.Antiqui uero dignissimi fide, quia incorrupti. Et certa fides ducitur à testimonijs.

Cum quis testes non habeat,poterit dicere, ex uerisimilibus iudicandū esse; & hoc significare optima mente esse.

Nec licere argento uerisimilia corrumpere.

Nec uerisimilia argui,quòd falsum dicant.

Cum testes habeat, aduersus eum, qui non habeat, dicet, uerisimilia iudicio subiecta non esse. Et nihil opus fore testimonijs, si rationes satis rem probarent.

2 Sunt autem testimonia partim de ipso, partim de aduersario.

3 Et alia quidē de facto: alia uero de moribus. Quare apparet nunq̃ fore, ut testimonio utili careamus. quia si non adsit de facto, quod aut ipsi faueat, aut controuersanti aduersetur; at de moribus ipsius aderit ad ostendendam probitatem, uel de moribus controuersantis, ad ostendendam improbitatem.

4 Alia uero de teste, aut amico, aut inimico, aut medio;

5 aut probato, aut infami, aut medio; & quaecunq; aliae eiusmodi differentiae ex ijsdem locis ducendae sunt, ex quibus etiam ducimus enthymemata.

De pactis. De pactis eatenùs orationis usus est, quatenus auget illa, aut diminuit, aut fide efficit digna, aut indigna. si pro se faciant, fide digna, & rata, si pro aduersario, contra. Atq; ad ea quidem fide digna, aut indigna efficienda idem ualet, quod ad testiū tractationē. quales enim sunt, qui inscripti sūt, aut qui asseruant, talem fidem ipsa habent pacta. Cum autem cōstat pactū existere, si pro se faciat, augendum est; quòd pactum lex est priuata, & secundum partem.

Et pacta quidem non efficiunt legem ratam: leges uero pacta efficiunt rata, quae cum lege conueniant.

Et omnino lex ipsa est quoddam pactū. Quare quicūq; pacto fidem non habet, & pactum tollit, leges tollit. praeterea aguntur multa ex contracti

bus

bus & quæ sponte aguntur, ex pactis sunt. Quare si pacta irrita fiant, hominū inter se usus tollitur. Itemq; alia, quæcunq; huic disputationi conueniunt, satis clara sunt.

Quòd si pactum contrarium sit, faciatq; cum eo, qui controuersatur, primum ea conueniunt, quibus aliquis aduersus legem cõtrariam pugnauerit: absurdum enim est, putare legibus quidē parendum non esse, quoties non recte latæ sint, sed qui tulerunt, fraudem fecerint, pactis uero necessario parendum.

Deinde illud, Iusti dispensatorem esse iudicem, ut nihil aliud sit ei considerandum, nisi id quod iustius est.

Et iustum quidē nō licere peruertere nec fraude, nec necessitate; quia natura factū sit; pacta uero fieri & à deceptis, & à coactis.

Ad hæc cōsiderandū est, an cōtraria sint alicui ex legibus scriptis, alicui ex communibus & iustis, & honestis.

Præterea, an alijs pactis posterioribus aut prioribus. aut enim posteriora rata sunt, & priora irrita: aut priora recta sunt, & posteriora falsa, utroque enim modo erit utile. Deinde expedit uidere, si qua in parte iudicibus aduersentur & quæcunq; alia eiusmodi: hæc enim similiter ad cognoscendum facilia sunt.

De quæstionibus.

Quæstiones testimonia quædā sunt. fidē uero uidētur habere, quia aliqua īsit in eis necessitas. Nō est igitur difficile, earum uim intelligere, & quæ de eis dici possunt, explicare. Nam si pro nobis faciant, eas āplificare licet, quòd solæ ueræ sint ex genere testimoniorum.

Si nobis aduersentur, & pro aduersario faciant, earum ueritatē poterit aliquis euertere, de uni

uerso dicens genere quæstionum. Nihil enim minus, qui coguntur, falsa, quàm uera dicunt. Nam ea, quæ vera sunt, occultant, qui dolorem tolerant, & qui facile mentiuntur, ut citius requiescant. oportet autem habere potestatem referendorum ad huiusmodi res exemplorum, quæ illis, qui iudicant, cognita sunt.

De iureiurando.

Iurisiurandi ratio quadripartita est; aut enim offert, & accipit: aut neutrum facit: aut vnum quidem, alterum vero nequaquam; & ex his aut offert quidem, non autem accipit: aut accipit, non offert. præterea vero videndum est, an iuratum iam fuerit, siue ab ipso, siue ab alio.

Ac non offert quidem, quòd facile peierant.

Et quòd cum quis iurauerit, pecunias nequaquam reddit. ipse uero arbitratur fore, ut damnationem conficiat etiam hominibus non iuratis.

Et quòd melius est iudicum periculum subire, quia his quidem credat, illi vero nequaquam.

Non accipit vero, quòd pro pecunijs iusiurandum est.

Et quòd si ille improbus esset, iuraret, quia melius est, alicuius rei caussa esse improbum, quàm nullius: iuratus enim pecunias habebit: iniuratus uero nequaquam.

Quare non iurare eueniet propter virtutem, non propter periurium.

Quadrat etiam illud Xenophanis, quòd ipsa prouocatio nō est æqualis impio aduersus pium. sed similis, ac si robustus debilem ad verberandum, vel ad vapulandum prouocaret.

Si accipit, dicet, se sibi credere, illi vero nequaquam, vt etiam illud Xenophanis inuertat, simi-

ſimile eſſe, ſi impius offerat,pius iuret. Et graue eſſe,ſe nolle iurare ijs de rebus,de quib exiſtimat dignum eſſe iuratos iudices ſententiam ferre.

Si offert, dicet,pium eſſe, uelle Deis rem committere.Neq; opus eſſe alios iudices rogare,cum ipſi iudicium offerat.

Et abſurdũ eſſe eum nolle iurare ijs de rebus, de quibus iudicat dignum eſſe alios iurare.

Et,quoniam manifeſtum eſt,quomodo de ſingulis dicendum ſit; patet etiam,quomodo dicendũ de ijſdem,ſi copulẽtur, ut ſi ipſe quidem uelit accipere,at non offerre,& ſi offerat quidem,accipere uero recuſet ,& ſi uelit accipere,& offerre. & ſi neutrum uelit.

Ex ijs enim,quæ dicta ſunt, neceſſe eſt,ut hæc ipſa copulentur.Itaq; neceſſe etiam eſt,ut rationes ex ijſdem copulentur.

Quòd ſi ab ipſo contrarium iuratum fuerit, ipſe dicet non eſſe periuriũ, propterea quòd qui iniuriam facit,ſponte agit,& peierare eſt iniuriã facere.at quæ ui,& quę fraude fiũt,nõ ſpõte fiũt.

Hic igitur etiam concludendum,periurium in mente,non in ore conſiſtere.

Si ab aduerſario iuratum fuerit,dicet, eũ,qui non ſtet illis, quæ iurauerit, omnia ſubuertere, quia hac etiam de cauſſa legibus utantur iurati iudices.

Et in hunc modum; Nos quidem dignum exiſtimamus, ſtare uos ijs,quæ iurati iudicetis, ipſi uero non ſtabimus?

Et quæcunq; alia dixerit aliquis amplificando.

Ac de fide quidem artis experte tam multa dicta ſint.

Finis Libri primi.

ARISTOTELIS
ARTIS RHETORICAE.
ANTONIO RICCOBONO Interprete.

Liber Secundus.

DE MORIBVS, ET AFFECTIBVS.



X quibus quidem rebus oporteat tum suadere, tum dissuadere, tum vituperare, tum laudare, tum accusare, tum defendere; & cuiusmodi opiniones, ac propositiones vtiles sint ad cōficiendam harum rerum fidem, hactenus dictum est. De his enim, & ex his enthymemata ducuntur, vt proprie in vnoquoque genere loquamur. Quoniam vero iudicationis caussa Rhetorica est (etenim tum consilia iudicant, tum iudicium est iudicatio) necesse est non solum ad orationem respicere, quomodo demonstratiua futura sit, & fide digna: verum etiam oratorem, & iudicem aliquibus moribus prȩditum cōparare. Multum enim interest, primum quidem in consilijs: deinde vero etiam in iudicijs, tum si aliquibus moribus ornatus appareat orator, tū si existiment erga ipsos aliquo modo eum se habere; tum vero si & ipsi affecti aliquo modo sint.

Repetit quæ superiore libro tradita sunt.


Cum demonstratione cognoscēdi mores, & affectus.

Ac

Ac oratorem quidem quibusdam moribus prædi tum apparere consilijs prodest magis: auditorem vero aliquo modo affectum esse, iudicijs. non enim eadem videntur amantibus, & odio habentibus, neque irascentibus,& leniter se habentib. sed vel omnino diuersa, uel magnitudine diuersa. Amanti enim videtur is,de quo iudicationem habet, aut non iniuste agere, aut parum iniuste agere. Odio autem habenti contrarium. Ac concupiscenti quidem,& bene speranti si sit futurum iucundum, etiam videtur fore, & bonum fore: affectus vero experti, ac dubitanti contrarium.

DE MORIBVS ORATORVM.

Tres mores in oratore exprimēdi.




VR igitur ipsi oratores fide digni sint,tres sunt caussæ; tot.n. existunt, prçter demonstrationes, propter quæ fidem præstamus. hæc autem sunt prudentia, & virtus, & beneuolentia. Nam falsum sequuntur, in ijs, de quibus dicunt,vel consultant,aut propter hæc omnia, aut propter horum aliquid. Aut enim propter imprudentiam non recte id existimant: aut recte existimantes propter improbitatem,quç ipsis videntur, non dicunt: aut prudentes quidem, ac probi sunt,sed non beneuoli.Itaque contingit, ut qui cognoscunt, optima consilia non dent. Ac præter hæc nihil habetur. Necesse igitur est,qui habere omnia hæc videatur, eum esse apud eos, qui audiunt, fide dignum. Iam, vnde prudentes, & virtute præditi appareant, sumendum est ex iis,quæ de virtutibus explicata sunt: ex ijsdem enim & alterum aliquis, & se ipsum

eiusmodi

eiuſmodi comparabit. De beneuolentia autem, & amicitia dicendum erit nunc in ijs, quæ pertinent ad affectus.

DE AFFECTIBVS.

Affectus qui.



SVnt vero affectus, propter quos cum ſe immutent, differunt in iudicationib. quos ſequitur moleſtia, & voluptas, vt ira, miſericordia, metus, & quæcunq; alia eiuſmodi, & his contraria.

Tria tradēda de vnoquoque affectu.

Oportet autem diuidere ea, quæ de vnoquoq; tradentur, in tria, vt quæratur exempli cauſſa de ira, tum quomodo affecti iracūdi ſint; tum quibus iraſci conſueuerint, tum in quibus: ſi enim vnum, vel duo ex his teneamus, & non omnia, fieri non poterit, vt irā excitemus. Similiter vero etiam de alijs. Quemadmodū igitur & in ijs, quæ ante dicta ſunt, deſcripſimus propoſitiones: ſic etiam in his faciemus, & ipſa diuidemus eo, qui dictus eſt, modo.

Ira quid ſit.

Iamuero ſit ira appetitio cum dolore, eius, quæ apparet vltionis propter eam, quæ apparet deſpicientiam vel in ſe, vel in ſuorum quempiam non conuenienter.

Ira aduerſus ſingularia.

Et quoniam ira huiuſmodi eſt, ut is, qui iraſcitur, ſemper alicui ſingularium iraſcatur, neceſſe eſt, ut Cleoni, ſed non homini.

Ira oritur ex facto, uel deliberatione facti.

Et quia ſibi, aut ſuorum alicui aliquid fecit, aut facturus fuit.

Voluptas quædam ſequitur irā.

Præterea vero vt aliqua voluptas omnem iram conſequatur ex ſpe vlciſcendi. iucundum enim eſt, exiſtimare, ſe conſequuturū eſſe, q̄ appetit, nemo autem appetit, quæ videntur fieri non poſſe.

At

At, qui irascitur, appetit, quod à se fieri potest. Quamobrem recte dictum est de ira;

Lib.18.Il. Dulcior effuso quæ melle in pectore crescit. Consequitur enim voluptas quædam & ex hoc,& ex eo quia cogitatione in vlciscendo versantur. Quæ igitur tunc fit phantasia, voluptatem parit, ut etiam,quæ in somnijs.

Et, quoniam Despicientia est actus opinionis in eo, quod nihil æstimandum videtur (etenim mala, & bona digna esse studio arbitramur, & quæ ad hæc referuntur; quæ vero sunt nihil, aut admodum parua, nulla re existimamus digna esse) tres sunt species despicientiæ tum contemptio, tum incommodatio,tum contumelia.

Tres species despicientiæ.

Cõtemptio. Qui enim contemnit, despicit, & paruifacit; quæ enim arbitrantur nulla re digna esse, ea homines contemnunt.quæ vero nulla re digna sunt, ea illi paruifaciunt.

Incommodatio. Et qui incommodat, contemnere videtur: est enim incommodatio impedimentum, quod fit voluntatibus non ut aliquid sibi eueniat, sed ut ne illi.

Quoniam igitur non spectat, vt sibi aliquid eueniat, paruifacit. id enim manifestum est, quia nec obfuturum existimat; nam timeret, & non paruifaceret: nec profuturum vlla in re, quæ vllum habeat momentum: nam curasset, vt esset amicus.

Contumelia Et qui contumeliam infert, paruifacit. Est enim contumelia, nocere, & molestum esse in ijs, in quibus dedecus patienti contingit, non vt sibi aliquid aliud eueniat, nisi quod euenit, sed ut voluptatem percipiat. Etenim par pari referentes contumeliam non faciunt, sed vlciscuntur. Caussa vero voluptatis est contu-

meliam

meliam inferentibus, quod arbitrantur malefaciendo se magis excellere. Quamobrem iuuenes, & diuites contumeliosi sunt. excellere enim se arbitrantur contumeliam inferendo. Contumeliæ vero est, non æstimare. Et qui non æstimat, paruifacit. Quod enim nulla re dignum est, nullam habet æstimationem neque mali, neque boni. Quamobrem irascens ait Achilles.

Non æstimauit, quoniam donum abstulit ipse, *Lib. 1. Il.*
Et, Tanquam non æstimandum profugum. *Lib. 9. Il.*
ut qui propter hæc irascatur.

Conuenire autem arbitrantur se magnifieri ab inferioribus, secundum genus, secundum facultatem, secundum virtutem, & omnino secundum id, in quo aliquis longe excellit; quemadmodum in pecunijs diues pauperi, & in dicendo, eloquens ei, qui dicendo non valet, & imperans ei, cui imperatur, & qui existimatur esse dignus, qui imperet, ei, qui dignus, cui imperetur. Quãobrem dictum est; *Qui debeãt magnifacere conueniẽter.* *Lib. 2. Il.*

Ab Ioue natorum iracundia maxima regum, *Lib. 2. Il.*
Et alibi.

Quinetiam deinceps iram sub pectore seruat, *Lib. 1. Il.*
Donec perficiat. molestiam enim habent propter excellentiam. Præterea à quibus aliquis putat oportere benigne fieri. Isti autem sunt, quos beneficio affecit, vel afficit, aut ipse, aut suorum aliquis, aut propter ipsum vel vult, vel voluit.

Iam igitur ex his apparet, quomodo se habentes ipsi irascantur, & quib. & propter quæ.

1 Ipsi quidem irascuntur, quoties doleant. Nam dolens appetit aliquid, *Qui irascãtur.*

2 Igitur siue directo obstiterit aliquis, quemadmodum

modum sitienti ad bibendum; siue non directo idem similiter facere videatur; &, si refragetur aliquis, &, si non suffragetur; & si qua alia in re turbarit hoc modo se habentẽ: omnib. irascitur.
3 Quamobrẽ ægrotantes paupertate laborãtes, amãtes, sitientes, omnino cupientes, & non recte agẽtes, iracundi sunt, &, qui concitentur idonei.
4 Maxime quidem aduersus eos, qui rem præsentem paruifaciunt, vt ægrotans quidem in ijs, quæ pertinent ad morbum; paupertate autem laborans in iis, quę ad paupertatem; bellator in iis, quæ ad bellum; amator in ijs, quæ ad amorem; similiter vero etiam in alijs; præparatur enim quisq; ad suã cuiusq; iram ab inhærente affectu.
5 Et, si acciderit, contra quàm expectabat: molestiam enim affert maiorem, quod multum, & præter opinionem accidit: quemadmodum etiam delectat, quod multum præter opinionem accidit, si fit, quod vult.
6 Quamobrem ex his apparent & horę, & tempora, & affectiones, & ætates, quales ad iræ commotionem faciles sint, & quando, & vbi, & vt, cum magis in his sunt, magis etiam commouentur.

Ac ipsi quidem sic se habentes facile ad iram concitantur.

Quibus irascantur.

1 Irascuntur autem & ijs, qui irrident, & ijs, qui subsannant, & ijs, qui illudunt.
2 Et ijs, qui nocent in eis, quæ contumeliæ signa sunt. necesse autem est, vt talia sint, quæ neque pro aliqua re, neque vtilia agentibus sunt. Iam enim uidentur esse propter contumeliam.
3 Et ijs, qui maledicunt, & ijs, qui contemnunt in ijs, quibus ipsi maxime student; vt qui in philosophia cupiunt alios superare, si quis in philosophiam inuehatur; qui vero in forma corporis,

ris, ſiquis in formam; ſimiliter uero etiam in alijs. Atque hæc multo magis, ſi ſuſpicentur ipſa non adeſſe ſibi, uel non omnino, uel non firme, uel non exiſtimari.

4 Et amicis magis, quàm non amicis: arbitrantur enim conuenire magis ſe ab ipſis beneficio affici, quàm non affici.

5 Et ijs, qui conſueuerint ipſos honorare, aut ipſorum curam habere, ſi non amplius ita conſuetudinem habeant. etenim ab his arbitrantur ſe contemni: idem enim facerent.

6 Et ijs, qui beneficium non reddunt, vel par non tribuunt. & ijs, qui contraria faciunt, ac ipſi faciunt, ſi inferiores ſint. contemnere enim eiuſmodi omnes videntur. Atque hi quidem contemnunt, ut eos, qui inferiores ſint: illi vero tanquã ab inferioribus beneficio affecti.

7 Et iis, qui in nulla ſunt exiſtimatione, ſi deſpiciant. Poſitum enim eſt iram eſſe deſpicientiæ aduerſus non conuenienter ſe gerentes. conuenit autem inferioribus non contemnere.

8 Et amicis, ſi non benedicant, aut faciant; & præterea magis, ſi contraria faciant; & ſi non ſentiant ipſos indigere; vt Antiphontis Plexippus Meleagro: quia non ſentire, deſpicientiæ ſignũ eſt; quæ enim curamus, ea non latent.

9 Et ijs, qui gaudent rebus aduerſis; & omnino ijs, qui bono animo ſunt in ipſorum rebus aduerſis. etenim uel inimici, uel deſpicientis ſignum eſt.

10 Et ijs, qui, ſi moleſti ſint, id non curant. Quãobrem & mala nunciantibus iraſcuntur.

11 Et ijs, qui aut auſcultant de ipſis, aut ſpectant ipſorum mala: ſimiles enim ſunt aut iis, qui paruifaciunt, aut inimicis. Amici enim condolent.

Spectantes

Spectantes vero propria mala omnes dolent.

12 Præterea paruifacientibus apud quinque; apud eos, quibuscum de honore concertant; apud eos, quos admirantur; apud eos, quibus volunt se admirationi esse; apud eos, quos reuerentur; apud eos, qui ipsos reuerentur. inter hos, si quis paruifaciat, irascuntur magis.

13 Et paruifacientib. in eiusmodi reb. quas nō adiuuare ipsis turpe est, vt parentes, filios, vxores, subditos.

14 Et gratiam non agentib. præter conueniens enim est despicientia.

15 Et dissimulatione vtentibus apud eos, qui serio agunt: pertinet enim ad contemptionem dissimulatio.

16 Et benemeritis de alijs, si non etiam de ipsis benemeriti sint. etenim pertinet ad contemptionem non æstimare ipsum esse dignum iis, quibus omnes dignos æstimet.

17 Conficiens vero iræ etiā obliuio est, vt quæ est pene etiam nominum; despicientiæ enim etiam obliuio videtur signum esse. Nam propter non curantiam fit obliuio: non curantia autē despicentia est.

Ac quibus quidem irascātur, & quomodo se habentes, & propter cuiusmodi res, dictum est.

Quomodo excitetur ira. Manifestum autem est oportere parare ipsos oratione tales, quales cum existunt, iracunde se habent; & aduersarios iis rebus affines, in quibus irascuntur, & tales, qualib. irascuntur.

Quoniā vero irasci, & leniri contraria sunt, & ira, & lenitas; sumendum est, & quomodo se habentes lenes sint, & erga quos leniter se habeant, & per quæ leniantur. Iam sit lenitas constitutio, & remissio iræ.

1 Si igitur irascuntur despicientibus despicien- tia vero est sponte; manifestum est, lenes esse & ijs, qui nihil horum faciunt, vel non sponte faciunt, vel apparent tales. *Quib. lenes sint.*

2 Et volentibus contraria ijs, quæ fecerunt.

3 Et quicunque etiam in ipsos tales sunt: nemo enim videtur se despicere.

4 Et confitentibus, & quos pœnitet: requiescũt enim ab ira, quasi illi loco pœnæ molestia afficiantur in ijs, quæ facta sunt. Signum vero habetur in castigatione famulorum: inficiantes. n. & contradicentes magis castigamus: verum aduersus confitentes se iuste castigari, excandescentes conquiescimus. Caussa videtur esse, quòd impudentia est manifesta negare; impudentia vero despicientia, & contemptio est. Quos igitur valde contemnimus, propter eos pudore non afficimur.

5 Et se submittentibus, nec contradicentibus. videntur enim confiteri se esse inferiores. At inferiores timent. Qui vero timeat, nemo paruifacit. Requiescere autem iram aduersus se submittentes, etiam canes manifestum faciũt, non mordentes eos, qui prostrati sunt.

6 Et serio agentibus cum serio agentibus. Videtur enim serio agi, & non contemni.

7 Et ijs, qui in re maiori gratificati sunt.

8 Et rogantibus ac deprecantibus, submissiores enim sunt.

9 Et contumeliosis, ac subsannantib. atq; parui facientib. aut nullius, aut non bonorum, aut nõ talium, quales ipsi sunt omnino aũt ex cõtrarijs oportet cõsiderare ea, quæ pertinent ad lenitatẽ.

10 Et ijs, quos timẽt, & ꝑ quos pudore afficiũtur. Nã quoad ita se habent, nõ irascuntur: si ei

F enim

enim non poteſt, vt ſimul timeant, & iraſcantur.
11 Et ijs, qui fecerunt per iram, aut non iraſcuntur, aut minus iraſcuntur: non enim propter deſpicientiam videntur egiſſe. nemo enim, qui iraſcatur, deſpicit. etenim deſpicientia uacat dolore: ira vero cum dolore eſt.
12 Et ijs, qui propter ipſos pudore afficiuntur.

Lenes qui. 1 Et qui contrario modo ſe habent, ac illi, qui iraſcuntur, profectò lenes ſunt; quemadmodum in ludo, in riſu, in feſto, in felici die, ĩ recta actione, in ſaturitate, omnino in indolentia, & voluptate ſine contumelia, & in ſpe ęqua.
2 Præterea vero qui commorati ſunt in ira, nec recenter iraſcuntur: ſedat enim iram tempus.
3 Sedat autem & alterius iram maiorem pœna de alio prius ſumpta. Quamobrem recte Philocrates, dicente quodam, dum populus iraſceretur, quid te non defendis? Nondum, inquit. Verum quando? Cum alium videro in crimen vocatum. Lenes enim fiunt, quando in alium iram conſumpſerunt; quemadmodum contigit in Ergophili caſu. Magis enim ei ſuccenſentes, quàm Calliſtheni, eum dimiſerunt, propterea quòd Calliſthenem pridie morte mulctauerant.
4 Et, ſi conuicerint.
5 Et, ſi maius malum paſſi ſint, quàm attuliſſent ij, qui iraſcuntur; putant enim ſe quaſi pœnam ſumpſiſſe.
6 Et, ſi ſe iuſte agere arbitrantur, & iuſte pati. non enim oritur ira aduerſus iuſtum: quia non amplius putant ſe pati præter id, quod conuenit; ira autem erat id ipſum. Quamobrem oratione oportet prius caſtigare: minus enim moleſte ferunt, dum caſtigantur, etiam ſerui.

Et

7 Et si putant fore, vt non sentiant agi ab ipsis, aut pro ijs, quæ passi sunt. ira enim singularium est; idq; patet ex definitione. Quamobrem recte scriptum est, Dicito Vlyssem euersorem vrbis. Quasi non ultus esset, si non sensisset, & a quo, & pro quo. Quare neque alijs, quicunque non sentiunt, irascuntur, neq; mortuis amplius; quippe qui passi sint extremum, & non sint dolituri, neq; sensuri. id quod appetunt illi, qui irascũtur. *lib.9.Odyss.*

Itaq; bene de Hectore poeta, dum uellet Achillem mitigare ab ira aduersus mortuum, Mutam equidem terram furibundus verberat. *Lib.24.Il.*

Manifestum igitur est, iis, qui uolunt lenire, ex his locis dicendum esse, parantibus quidem ipsos eiusmodi; illos vero, quibus irascuntur, aut metuendos, aut reuerentia dignos, aut bene meritos, aut inuitos, aut valde dolẽtes reb. factis. *Quomodo leniendum.*

Iam quos ament, & odio habeant, & quam ob caussam, dicamus, cum definiuerimus, quid sit amicitia, & amare. Sit igitur amare, uelle alicui, quæ putat bona, illius caussa, sed non ipsius, & pro uiribus eorum effectorem esse. Amicus vero est amans, & redamans. Et amici putantur, qui sic se habere inuicem existimantur. *Amare quid* *Amicus qui*

1 His positis necesse est, amicum esse, simul lætantem bonis, & simul dolentem molestis, non propter aliquid aliud, sed propter illum. Secutis enim ijs, quæ volunt, gaudent omnes. contrarijs vero dolent. Quare voluntatis signum sunt dolores, & voluptates. *Qui ament, & redamentur.*

2 Et quib. iam sunt eadem bona, & mala.

3 Et qui sunt ijsdem amici, & qui sunt ijsdem inimici: necesse enim est, vt hi eadem velint. Quare qui uult etiam alij, quæ sibi vult, ei esse amicus videtur.

Quos amēt. 1 Et eos amant, qui benefecerunt aut ipsis, aut ijs, quos caros habent, aut si valde, aut si prompte, aut si in talibus temporibus, & ipsorum caussa; aut eos, quos putant uelle benefacere.

2 Et amicorum amicos.

3 Et amantes eos, quos ipsi amant.

4 Et qui amantur ab iis, qui amantur à se ipsis.

5 Et inimicos eisdem.

6 Et odio habentes eos, quos ipsi odio habent.

7 Et qui odio habentur ab eis, qui odio habentur à se ipsis. Omnibus enim his esse eadem bona videntur, ac sibi ipsis, vt velint, quæ ipsis bona sunt; id quod erat amici.

8 Præterea beneficos in pecunias, & in salutē. Quāobrē liberales, & fortes honorant, & iustos. Tales autem existimant non viuentes aliunde. Et tales sunt, qui viuunt ex labore, & inter hos, qui ex agricultura, & opifices maxime.

9 Et temperantes, quia non iniusti.

10 Et ab agendo remotos propter idem.

11 Et quibus volumus amici esse, si uelle videantur; sunt autem eiusmodi tum boni ex virtute, tum qui bona existimatione sunt aut apud omnes, aut apud optimos, aut apud eos, qui suspiciūtur ab ipsis, aut apud eos, qui suspiciunt ipsos.

12 Præterea iucundos in communi vita, & communi consuetudine. Tales vero sunt & faciles, & non reprehensores peccatorum, & non studiosi victoriæ, neq; litigiosi. omnes enim tales pugnaces sunt. pugnaces autem velle contraria videntur. & dextri in eludendo, & in sustinendo. eisdē enim rebus ambo student, ac is, qui proximus est; tum qui possunt lacessi, tum qui elegantes lacessunt.

Et

13 Et laudantes præsentia bona, & ex his maxime quæ timent non adesse ipsis.

14 Et mundos in visu, in vestitu, in tota vita.

15 Et non exprobratores nec peccatorum, nec beneficiorum: ambo enim contentiosi.

16 Et non memores malorum, neque obseruatores criminum, sed, qui reconcilientur, idoneos: quales enim existimant esse erga alios, tales etiã erga ipsos putant.

17 Et non maledicos, neq; scientes mala propinquorum, neq; ipsorum, sed bona: bonos enim hoc facit.

18 Et non aduersantes irascentib. aut serio agentibus. pugnaces enim tales sunt.

19 Et se habentes erga ipsos aliquo modo, vt admirantes ipsos, & existimantes studiosos, & gaudentes ipsis.

20 Et affectos ita maxime in ijs reb. in quib. maxime ipsi volunt aut suspici, aut videri studiosi, aut iucundi.

21 Et similes.

22 Et eadem profitentes, si non impediant, neq; ex eodem sit uita. Sic enim fit illud, Figulus figulo. *Hesiodus.*

23 Et appetentes eadem, quorum contingit simul ipsos participes esse: sin minus, id etiam sic accidit.

24 Et apud quos sic se habent, vt pudore non afficiantur eorum, quæ sunt ad opinionem, cum minime contemnant.

25 Et apud quos pudore afficiuntur eorum, quæ sunt ad veritatem.

26 Et quibuscum de honore concertant, & quorum æmulationem appetunt, & non inuidiam, aut eos amant, aut eis amici esse volunt.

27 Et quibus bona procurarent, nisi ipsis maiora mala futura essent.

28 Et volunt amici esse eis, qui amant similiter absentes, & præsentes. Quamobrem tales etiam erga mortuos, omnes amant.

29 Et omnino ualde studiosos amicorum, & nō derelinquentes: maxime enim ex bonis amant amicos bonos.

30 Et non fingentes, apud se ipsos. tales autem sunt etiam sua ipsorum vitia dicentes. Nam dictum est, apud amicos nos pudore nō affici eorum, quæ sunt ad opinionem. Si igitur is, quem pudet, non amat, is, quem non pudet, amanti similis est.

31 Et non metuendos.

32 Et quibus confidimus: nemo enim eum, quē metuit, amat,

Species amicitiæ. Species autem amicitiæ sunt sodalitas, familiaritas, & cognatio, & quæcunque talia.

Quæ efficiāt amicitiam. Conficientia uero amicitiæ sunt gratia & non rogatum fecisse, & cum fecerit, non indicasse. Sui enim caussa sic uidetur, & non propter alterum.

Quæ efficiāt inimicitiam. De inimicitia uero, & de odio constat contemplandum esse ex contrarijs. Et conficientia inimicitiæ sunt ira, incommodatio, contumelia.

Ira differt ab inimicitia, et odio.
1 Ac ira quidem est ex ijs, quæ sunt ad se ipsū: inimicitia vero etiam sine ijs, quæ ad se ipsum. si enim existimemus esse talem, odio habemus.

2 Et ira quidē semper aduersus singularia est, ut Calliam, Socratem: odium uero etiam aduersus genera. furem enim quisque odio habet, & sycophantam.

3 Et ex his duabus rebus illa quidem tempore sanabilis: hæc vero insanabilis.

Et

4 Et illa appetit molestia afficere: hæc malo potius. Sentiri enim vult, qui irascitur. huius uero nihil interest. sunt autem molesta omnia eiusmodi, vt sentiantur: Et quæ maxime mala sunt, minime sub sensum cadunt, iniustitia, & imprudentia; non enim molestia afficit vitij præsentia.
5 Et illa quidem est cum molestia: hæc uero non cum molestia: qui enim irascitur, molestia afficitur; qui odio habet, non afficitur.
6 Et ille quidem, si multa fiant, miserescit: hic uero nullius. ille enim vult talionem pati eum, cui irascitur: hic non esse.

Ex his igitur aperte contingit inimicos, & amicos demonstrare, qui sunt, & facere, qui non sunt, et dissoluere, qui dicunt se esse, & ducere eos, qui aut propter iram, aut propter inimicitiam cõtrouersantur, in vtram quis præeligat partem. *Vsus eorũ, quæ de amore, & odio tradita sũt.*

Qualia uero metuant, & quos, & quomodo se habentes, sic apparet. Sit ergo metus molestia quædam, & perturbatio ex phantasia futuri mali, uel idonei ad interimendum, vel molesti. Non.n. omnia mala metuuntur, quemadmodum ne fiat iniustus, aut tardus, sed quæcunque uel molestias magnas, uel interitus possunt afferre & hæc, quæ non longe, sed prope apparent, ut futura sint. Nam quæ admodum longe, non metuuntur: sciunt enim omnes se morituros esse; sed quia non prope, non curant. *Metus quid sit.*

1 Quòd si metus huiusmodi est, necesse est, ut ea sint metuenda, quæcunque apparent facultatem habere magnam interimendi, uel afferendi detrimenta ad molestiam magnam perducentia. *Quæ sint metuenda.*
2 Quamobrem & signa huiusmodi rerum me-

 tuenda:

7 Et quos metuunt præstantiores ipsis, propter eandem caussam.

8 Et qui præstantiores ipsis sustulerunt.

9 Et qui inuaserunt inferiores ipsis: aut enim iam metuendi sunt, aut cum creuerint.

10 Et ex ijs, qui iniuriam passi sunt, & ex inimicis, vel aduersarijs non ad excandescendum procliues, & libere loquentes, sed mansueti, & dissimulatores, & malitiosi: obscuri enim sunt, an prope sint ad maleficiendum. Quare nunquã manifesti sunt, quia longe absunt.

1 Ex omnib. aũt metuendis illa magis metuenda sunt, quæcunq; si errauerint, corrigi nõ cõtingit, sed aut omnino fieri non possunt, aut non in ipsorum, sed in aduersariorum sunt potestate. *Quæ magis metuenda.*

2 Et quorũ auxilia nõ sunt, vel nõ facilia sunt.

3 Vt autem simpliciter dicam, metuenda sunt, quæcunque cum alijs eueniunt, vel euentura sunt, miserabilia existunt.

Quæ igitur metuenda sint, & quæ metuant, ferme, vt ita dicam, maxima hæc sunt.

Quomodo vero affecti ipsi metuant, nunc dicamus. Ergo si metus est cum expectatione patiendi aliquam perturbationem ad interimendũ idoneam, apparet neminem metuere ex ijs, qui arbitrantur nihil se passuros, neque ea, quæ non arbitrantur, se passuros, neque eos, à quibus non arbitrantur, neque tunc, cum minime arbitrantur. *Qui metuant, & non metuant.*

Necesse igitur est metuere eos, qui arbitrantur aliquid se passuros, & qui ab his, & hæc, & tunc.

Non arbitrantur autem se passuros neq; qui existũt in magnis prosperitatibus, & existere existimantur; quamobrem contumeliosi sunt, & paruifactores, & audaces; efficiunt autem tales diuitiæ, robur, multitudo amicorum, potentia.

Neque

Neq; qui existimant iam se passos esse atrocia omnia, & qui obriguerunt ad futurum, vt qui iam tympano torquentur. sed oportet aliquam subesse spem salutis in ea re, de qua angantur. Signum autem est, quia metus reddit paratos ad consultandum: atqui nemo consultat de rebus desperatis.

Quomodo metus mouendus. Quare oportet tales parare, cum melius fuerit eos metuere, quòd tales pati possunt, quia alij maiores passi sint. & ostendere similes pati, aut passos esse, & ab iis, à quibus non arbitrabantur, & hæc & tunc, cum minime arbitrabantur.

Quoniam autem metus apparet, quid sit, & metuenda, & quomodo singuli se habentes timeant; apparet etiam ex his & fidere quid sit, & in quib. fidentes versentur, & quomodo affecti fidentes.

Fidentia quid. Fidentia enim contraria est metui, & quæ fidentiam afferunt, ijs, quæ metum. Quare est spes cum phantasia rerum salutarium ut prope existētium; metuendarum vero uel non existentium, vel longe existentium.

Quæ fidentia afferãt. 1 Quæ vero fidentiam afferunt sunt & atrocia longe, & fidentiam afferentia prope.

2 Et si adsint emendationes.

3 Et auxilia uel multa, uel magna, uel utraq;.

4 Et si neque iniuriam acceperint, neque iniuriam intulerint.

Ob quos fidant. 1 Et, si competitores vel non sint omnino, uel non habeant facultatem, uel facultatem habentes sint amici, vel beneficium fecerint, uel acceperint.

2 Vel si plures sint, quib. eadem prosint, vel præstantiores, vel utrique.

Qui fidant. 1 Ipsi autem hoc modo se habentes fidētes sunt, si multa se recte egisse arbitrētur, & nō passos eē.

Vel

2 Vel ſi ſępe inciderint in atrocia, & euaſerint: bifariam enim homines fiunt expertes perturbationis, vel quòd experti non ſint, vel ꝙ auxilia habeant; vt in periculis, quæ habentur in mari, & imperiti tempeſtatis futuris fidunt,& auxilia habentes propter experientiam.
3 Et quando ſimilibus non ſit res metuenda, neque inferioribus,& quib. præſtantiores ſe eſſe arbitrantur.ijs autem arbitrantur, quos vicerunt,ſiue ipſos vicerint,ſiue ipſos præſtantiores, ſiue ipſis pares.
4 Et ſi exiſtere ipſis arbitrētur plura,& maiora, quibus excellentes metuendi ſunt. Hæc autem ſunt multitudo pecuniarum,& robur corporum, & regionis,& amicorum,& eorum, quæ ad bellū parantur, vel omnium, vel maximorum.
5 Et ſi iniuriam fecerint aut nemini, aut non multis,aut non iis, à quibus metuant.
6 Et omnino ſi ea,quæ ad Deos pertinent, ipſis egregie ſe habeāt & alia, & quæ ſunt à ſignis, & oraculis.Fidentiam enim affert ira.At non iniuriam facere, ſed iniuriam accipere eſt efficiens iræ. numen autem exiſtimatur auxiliari ijs, qui iniuriam accipiunt.
7 Et quoties priores impetum facientes vel nihil ſe pati,vel paſſuros eſſe,vel recte acturos arbitrantur.

Ac de metuendis quidem, & fidentiam afferentibus dictum eſt.

Qualia uero ſint ea, quorum pudet, & non pudet,& apud quos,& quomodo ſe habentes, ex his erit manifeſtum. Sit autem pudor dolor quidam, & confuſio in iis malis, quæ videntur pertinere ad exiſtimationis offenſionem, aut præſentibus, aut pręteritis, aut futuris. Impudentia vero deſpicientia *Pudor quid ſit.*

ſpicientia

ſpicientia quædam,& uacuitas perturbationis in his ipſis.

Quarum rerum pudeat. 1 Quòd ſi pudor eſt is,qui definitus eſt,neceſſe eſt pudere talium malorum, quæ videntur turpia eſſe ipſi,aut iis,quorum curam ipſe habet. Talia autem ſunt quæcunque opera à vitioſitate proficiſcuntur.

2 Vt abijcere clypeum: nam id proficiſcitur à timiditate.

3 Et fraudare depoſito: nam ab iniuſtitia:

4 Et concumbere,quibuſcum non oportet; aut vbi non oportet; aut quando non oportet: nam ab intemperantia.

5 Et lucrari à rebus paruis, aut à turpib. aut ab impotentibus, ut pauperibus, aut mortuis,vnde & prouerbium, Etiam à mortuo ferre: nam à ſordib. & ab illiberalitate.

6 Et non auxiliari,dum poſſis,in pecunias, aut minus auxiliari. & auxilium accipere à minus abundantib. Et mutuum requirere, quando videbitur petere. Et petere,quando repetere. Et repetere,quando petere. Et laudare, vt uideatur petere. Et repulſam paſſum nihil minus: nam omnia hæc illiberalitatis ſunt ſigna.

7 Laudare autem præſentē,adulationis ſignum eſt. Et bona quidem laudando extollere, mala uero obſcurare. Et dolere uicem dolentis. Et alia omnia eiuſmodi: nā adulationis ſigna ſunt.

8 Et non tolerare labores,quos ſeniores,aut delicati, aut maiori licentia præditi, aut omnino impotentiores tolerant. nam omnia ſunt ſigna mollitiei.

9 Et ab altero affici beneficio, & ſæpe, & quæ fecerit,exprobrare: nam ſunt omnia puſillanimitatis,& humilitatis ſigna.

Et

10 Et de se dicere, ac polliceri, & aliena esse sua affirmare: nam arrogantia est.

11 Similiter autem & in vnoquoq; aliorũ vitiorum, quæ in more sunt, opera, & signa, & similia: nam turpia, & pudenda sunt.

12 Et ad hæc rerum honestarum, quarum oẽs participes sunt, aut similes omnes, aut plurimi, participem non esse. Similes autem dico eiusdẽ nationis, ciuitatis, ætatis, cognationis, omnino æquales. Turpe enim iam est, non esse participẽ, vt eruditionis quadamtenus, & aliarum rerum similiter. Omnia vero hæc magis, si propter se ipsum appareant accidisse: sic enim sunt à vitio magis, si ipse sit caussa eorum, quæ affuerunt, aut adsunt, aut affutura sunt.

13 Patientes autem, aut passos, aut passuros talia, pudet eorum, quæcunq; ad existimationis offensionem pertinẽt, & probra. hæc autẽ sunt, q̃cunq; ad ministeria aut corporis, aut operũ turpiũ, ex quib. est cõtumeliæ perpessio. Et quæ ad intẽperãtiã & voluntaria, & nõ voluntaria. Quæ vero ad vim, non voluntaria: nam ab ignauia, aut timiditate proficiscitur tolerantia, & ipsũ non vlcisci.

Quorum igitur pudet, hæc, & talia sunt.

Quoniã vero pudor est phãtasia de offensione existimationis, & huius ipsius gratia, sed non eorũ, quæ inde eueniũt, ac nemo existimationis curã habet, nisi propter eos, qui existimant: necesse est pudere eorum, quorum rationem habet. Rationem autem habet eorum, qui suspiciunt, & quos suspicit, & à quib. vult suspici, & quibuscũ de honore contendit, & quorum non contemnit existimationẽ. Ac suspici quidem uolunt ab ijs, & suspiciunt eos, qui habent aliquod bonum ex ijs, quæ preciosa sunt, aut â quib. aliquid valde requi- *Quorum hominum pudeat.*

requirunt ex ijs, quorum illi sunt domini; aut ama tores. De honore autem contendunt, cum ijs, qui similes sunt. Et curant prudentes, vt eos, qui vera loquuntur. Tales aũt sunt tũ senes, tũ eruditi.
2 Et eorum quæ sunt in oculo, & quæ in aperto, vnde etiam existit prouerbium, Verecundiam in oculis esse. & ob id eorum, qui semper affuturi sunt, magis pudet; & eorum, qui attendunt ipsos: propterea quòd ambo ante oculos sunt.
3 Et eorum, qui non sunt iisdem obnoxij: manifestum enim est, contraria his videri.
4 Et qui non ignoscunt ijs, qui apparent peccare: quæ enim aliquis ipse facit, ea dicitur in proximis non stomachari. Quare, si non faciat, manifestum est eum stomachari.
5 Et qui libenter, quę sciunt, multis commemorant. nihil enim differt non videri, ac non enunciari. commemorant autem libenter, tum iniuriam passi, propterea quòd obseruant, tum maledici: si enim etiam eos, qui non peccant, multo magis eos, qui peccant.
6 Et quibus occupatio est in proximorum peccatis, ut subsannatorib. & comicis: maledici enim quodammodo ipsi sunt, & procliues ad enunciandum.
Et à quibus nunquam repulsam tulerunt: affecti enim sunt, vt qui suspiciuntur. Quamobrem & eorum, qui prius aliquid petierunt, pudet, vt qui nondum existimationem amiserunt apud ipsos. Tales autem sunt & qui iamdiu volunt amici esse: quæ enim optima sunt, viderunt. Quamobrem bene se habet responsio Euripidis ad Syracusios. Et ex antiquis familiaribus, qui nullius rei conscij sunt.
7 Pudet autem non solum eorũ, quæ diximus,
puden

pudendorum, ſed etiam ſignorum, vt non ſolum cum in re Venerea uerſantur, ſed etiam cum exiſtunt ſigna rei Venereæ. & non ſolum cum faciunt turpia, ſed etiam cum dicunt. Similiter autem nō ſolum pudet eorum, quæ dicta ſunt, ſed etiam eorum, qui indicaturi ſunt ipſos, vt famulorum, & qui ipſis amici ſunt. Omnino autem non pudet eorum, quorum multi contemnūt exiſtimationem, quod ad ueritatem attinet. neminē enim pudet belluarum, & puerorum: neque in eiſdem rebus pudet notorum, & ignotorum, ſed notorum quidem in ijs, quæ ad veritatem exiſtimantur: longinquorum vero in ijs, quæ ad opinionem tantum.

1 Ipſos vero ſic affectos pudet. primum quidē, ſi aliqui perinde ſe habuerint erga ipſos, ac diximus eſſe eos, quorum pudet. Erant autem iſti aut qui ſuſpiciuntur, aut qui ſuſpiciunt, aut à quibus volunt ſuſpici, aut à quibus requirunt aliquam rem opportunam, quam non obtinebūt, ſi nullius exiſtimationis extiterint. & iſti aut videntes, vt Cydias de Sami colonia concionatus eſt: petebat enim, vt exiſtimarent Athenienſes circunſtare Græcos, vt videntes, & non dumtaxat audituros, quæ decreuiſſent, aut ſi in promptu ſint tales, aut ſenſuri ſint. Quamobrem & conſpici illi, qui aduerſa fortuna vtuntur, ſe ab æmulis nolunt: æmuli enim ſuſpiciunt. *Quos pudeat.*

2 Et quando habeant ea, quę dedecorent opera, & actiones aut ſuas ipſorum, aut proauorum, aut aliorum aliquorum, quibuſcum ſit aliqua ipſis propinquitas. & omnino eorum, quorum ipſos pudet. Sunt autem iſti, qui dicti ſunt, & qui ad ipſos referuntur, quorum magiſtri, aut conſiliarij fuerunt.

Et, ſi

3 Et, si sint alij similes, quibuscum de honore concertant: multa enim pudore affecti propter tales faciunt & non faciunt.

4 Et qui conspicientur, & in aperto versabuntur cum conscijs, eos magis pudet. Vnde & Antiphon poeta cũ tympano torquendus esset à Dionysio, videns vna morituros se obnubere, vt ex ianua egressi sunt, dixit, Quid obnubitis? an, ne cras aliquis horum uos videat?

Ac de pudore quidem hæc: de impudentia uero manifestum est nos abundaturos esse ex contrariis.

Gratia quid

Constabit autem, tum quibus gratiam habeãt, tum ob quæ, tum quomodo se habentes, cum definiuerimus gratiam. Sit igitur gratia, per quam is, qui possidet, dicitur gratificari ei, qui indiget, non pro vlla re, neque ut aliquid eueniat ei, qui tribuit, sed vt aliquid ei, qui indiget.

Magna gratia quæ.

Magna autem, si aut eorum, qui valde indigẽt, aut rerum magnarum, & difficilium, aut in talib. tẽporib. aut solus, aut primus, aut in primis.

Indigentiæ.

Ac indigentiæ sunt appetiones, & ex his illæ potissimum, quæ coniunctum dolorem habent rei, quæ non suppetit. eiusmodi vero sunt cupiditates, vt amor. & in corporis cruciatibus. & in periculis. etenim qui uersatur in periculo, concupiscit, & qui in dolore. Quamobrem ijs, qui paupertate laborant, & exulant, etiam si res paruas tradiderint, propter magnam indigentiam, & temporis occasionem, gratiam tribuerunt, vt qui in Lyceo præbuit fiscellam. Necesse igitur est in res tales tributionem facere: sin minus, in pares, aut maiores.

Quomodo amplificetur gratia.

Quocirca quia apparet & quando, & ob quæ fiat gratia, & quomodo se habentibus ex his apparatum

paratum faciendum esse manifestum est, demonstrando illos aut esse, aut fuisse in eiusmodi indigentia, ac dolore; hos vero dedisse in eiusmodi necessitate, tale aliquid tribuentes.

Apparet vero etiam vnde diminuere contingat gratiam. & efficere gratię expertes. *Quomodo diminuatur.*

1 aut enim quòd sua caussa tribuunt, aut tribuerunt (id autem non erat gratia)

2 aut quòd casu fecerunt:

3 aut coacti sunt:

4 aut quòd magis reddiderunt, quàm dederunt, siue scientes, siue nequaquam: vtroq; enim modo est aliquid pro aliquo. Quamobrem nec sic quidē erit gratia.

Et de omnib. categorijs consideratio habēda. *In omnes categorias intuendum.*

Nam gratia est { aut quia hoc : aut tantum: aut tale : aut quando : aut ubi.

1 Signū uero est, si rem minorē non tribuerunt.

2 Et si inimicis aut easdem res, aut pares, aut maiores tribuerunt: manifestum enim est, ne hæc quidem nostri caussa esse. *Signa animi non beneuoli.*

3 aut si res uiles tribuit sciens: quia nemo confitetur, se indigere uilibus.

Ac de tribuenda quidem gratia, & non tribuenda, dictum est.

Qualia vero miserabilia sint, & quos misereantur, & quomodo ipsi se habentes, dicamus.

Sit igitur misericordia molestia quædā in eiusmodi malo, quod appareat habere vim interitus, & molestiæ afferendæ, eius, qui eo sit indignus, quod etiam ipse se passurum expectet, aut aliquē suorum; idq;, quando propinquum appareat. *Quid sit misericordia.*

Qui misereātur. Manifeſtum enim eſt, neceſſe eſſe, qui miſeraturus eſt, eum talem eſſe, ut putet mali aliquid paſſurum aut ſe, aut aliquem ſuorum, & eiuſmodi malum, cuiuſmodi dictum eſt in definitione, aut ſimile, aut propinquum.

2 Quamobrem neque omnino perditi miſerantur: nihil enim amplius ſe paſſuros putant: paſsi enim ſunt.

3 Neque qui putant, ſe valde felices eſſe: ſed cōtumeliam faciunt. ſi enim omnia putant ſibi adeſſe bona, manifeſtum eſt, eos putare, ſe nihil mali paſſuros. etenim hoc in numero eſt bonorum.

4 Sunt autem tales, vt putent ſe paſſuros, tum qui iam paſſi ſunt, & euaſerunt.

5 Tum ſenes & propter prudentiam, & propter experientiam,

6 Tum debiles, & timidiores etiam magis.

7 Tum eruditi: conſiderati enim ſunt.

8 Tum quibus ſunt parentes, & liberi, aut uxores: propria enim hæc ſunt, & poſſunt pati, quæ dicta ſunt.

9 Tum qui neque in fortitudinis affectu exiſtunt, quemadmodum in ira, & fidentia: hi enim de futuro non conſiderant.

10 Neque in affectione, quæ contumelioſa ſit: etenim iſti nō conſiderant, ſe aliquid paſſuros eſſe: ſed inter hos medij.

11 Neque rurſus metuentes valde: neque enim miſerantur metu perculſi, proptereaquòd in proprio affectu verſentur.

12 Et, ſi putant aliquos eſſe æquos: putans enim neminem, omnes eſſe malo dignos exiſtimabit.

13 Et omnino, quando ſic ſe habet, vt meminerit res eiuſmodi accidiſſe aut ſibi, aut ſuis, aut putet fore, vt accidant aut ſibi, aut ſuis.

Ac

Ac quemadmodum quidem se habentes miserentur, expositum est.

Quæ vero miserentur, ex definitione patent. *Quæ miserentur.*

1 Quæcunque enim ex molestis, & tristibus habent vim interimendi, omnia miserabilia sunt, & quæcunque habent vim perdendi.

2 Et quorum malorum fortuna est caussa magnitudinem habentium.

1 Sunt autem tristia, & interitum afferẽtia mortes, & verberationes, & corporum cruciatus, & senectus, & morbi, & alimenti indigentia.

2 Quorum uero malorum fortuna est caussa, sunt priuatio amicorum, paucitas amicorum. Quamobrem & diuelli ab amicis, & familiarib. miserabile est. Turpitudo, imbecillitas, debilitas. Et vnde conueniebat effici aliquid boni, inde aliquid mali cõtigisse. Et sæpe id contigisse. Et, posteaquam passus sit, boni aliquid factum esse, vt Diopithi ea, quæ à rege missa sunt, quòd mortuo missa sint. Et nihil boni factum esse; aut eorum, quæ facta sunt, non esse fruitionem. Ob quæ igitur miserentur, hæc, & talia sunt.

1 Miserantur vero & familiares, si non valde coniuncti sint necessitudine. Erga hos autem, vt erga se ipsos passuros, se habent. Quamobrem & Amasis in casu filij, qui ad moriendum perducebatur, lachrymas non effudit, vt asserunt: sed in casu amici, qui mendicabat, effudit. hoc enim est miserabile: illud vero atrox. Nam atrox diuersum est à miserabili, & habet vim pellendæ misericordiæ, ac sæpe in contrarium vtile est. *Quos miserentur.*

2 Præterea miserantur, si ipsum atrox prope sit.

3 Et similes miserantur ætate, moribus, habitib. dignitatibus, generibus. Nam in omnibus his magis apparet, quod etiam ipsi potest contingere.

4 Omnino enim oportet assumere, quæcunq; si bi ipsis metuunt, ea alijs cum fiūt, ipsos miserari.

5 Quoniam vero miserabiles sunt perturbationes, quæ prope apparent; at quæ facta sunt ad decē millia annorū, aut futura sunt, ea neq; sperantes, neq; recordantes, aut omnino non miserātur, aut non similiter miserantur: necesse est, qui repræsentantur figuris, & vocib. & vestitu, & omnino simulatione, miserabiliores esse: faciūt enim, vt ꝓpinquū malū appareat, ante oculos proponentes, aut tanquàm futurum, aut tanquam factum.

6 Et quæ facta sunt nuper, aut breui futura sunt, miserabiliora sunt propter idem.

7 Et signa, & actiones, ut vestes eorum, qui passi sunt. & quæcunque talia sunt.

8 Et sermones eorum, qui in perturbatione existunt, ut qui iam animam efflant,

9 Et maxime uirtute præditos esse, cū in talib. temporibus existunt: omnia enim hæc ad efficiendam miserationem aptiora sunt, propterea quia prope apparent; quasi ille indignus sit, & ante oculos perturbatio appareat.

Stomachatio, & misericordia opponuntur.

Opponitur autem maxime ei, quod miseratur, id, quod dicunt stomachari. Nam dolori, qui habetur propter indignas res aduersas, opponitur quodammodo, & per eosdem mores dolor, qui habetur propter indignas res secundas. & utræq; perturbationes sunt bonorum morum. oportet. n. vicem dolere eorum, qui indigne male agunt: stomachari uero ijs, qui bene. iniustum enim est, qđ fit præter dignitatem.

Stomachatio & inuidia inter se distinguuntur.

Quamobrem etiam Deos dicimus stomachari. Existimabitur vero etiam eodem modo opponi inuidia miserationi, quasi vicina, & eadem existens cum stomachatione: verum diuersa res est.

Nam

Nam inuidia quoque eſt moleſtia turbulenta, & propter proſperũ euentum, ſed non indigni, verũ æqualis, & ſimilis. Vtriq; uero ſimiliter oportet exiſtere illud, nõ vt cõtingat ipſi aliquid aliud, ſed ut perturbetur propter ipſum proximum. Nõ enim amplius erit illud quidẽ ſtomachatio, hoc vero inuidia, ſed metus, ſi ob id exiſtat moleſtia, & perturbatio, quòd ipſi aliquid mali futurũ ſit ex illius proſperitate.

Differunt à metu.

Apparet autem contrarias perturbationes conſecuturas eſſe has ipſas. Qui enim moleſtia afficitur ob eos, qui indigne male agunt, lætabitur, aut moleſtiæ vacuus erit ob contrarios, qui male agunt; quemadmodum ob paricidas, & ſicarios, quando ſupplicio afficiantur, nemo bonus moleſtia affectus fuerit. oportet enim propter tales eodem modo, ac propter bene agentes ſecundum dignitatem: ambo enim iuſta ſunt; & faciunt, vt vir æquus gaudeat: neceſſe enim eſt, eum ſperare fore, ut quæ ſimili exiſtunt, etiam ſibi exiſtant. Atque omnia hæc ad eoſdem mores pertinent: contraria vero ad contrarios. Idem enim eſt malis alienis gaudens, ac inuidus. Ex quo enim quiſpiam moleſtia afficitur, dum illud oritur, aut præſens eſt; propter eiuſdem priuationem, & corruptionem neceſſarium eſt eum gaudere. Quamobrem hæc omnia arcendæ miſericordiæ uim habent. differunt vero dictis de cauſsis. Quare omnia ſimiliter vtilia ſunt ad reddenda non miſerabilia.

Stomachationem, & inuidiã cõſequũtur cõtrarij affectus.

Ac primum quidem de ſtomachando exponamus, quibus ſtomachentur, & ob quæ, & quomodo ipſi ſe habentes. poſtea uero agamus de alijs.

Apparet autem id ex ijs, quę dicta ſunt. Si enim ſtomachari eſt moleſtia affici ob eum, qui appa-

Stomachari quid ſit.

reat indigne bene agere;

Ob quæ sto machentur. Primum quidem manifestum est non licere stomachari propter omnia bona. nemo enim si iustus, aut fortis sit, aut si virtutem consequatur, ei stomachabitur: neque enim miserationes propter horum contraria existunt, sed propter diuitias, & potentiam, & res eiusmodi, quibus vt simpliciter dicam, digni sunt boni, & qui natura habent bona, vt nobilitatem, & pulchritudinem, & quæcunque sunt talia.

Quib. stomachentur. 1 Quoniam vero antiquum apparet esse propinquum naturali, necesse est, habentib. idem bonum, si paullo ante consequuti sint, & ob id bene agant, magis stomachari: aptiores enim sunt ad excitandam molestiã, qui nuper ditescunt, quàm qui antiquitus, & ob genus. Similiter uero etiã qui sunt in magistratu, & potentes, & habentes multitudinem amicorum, & probitatem liberorũ, & quicunq; eiusmodi sunt. Et si ob hęc aliquid aliud boni ipsis euenerit, eodem modo. Etenim tunc, cum imperium habent propter diuitias, magis idonei sunt ad afferendam molestiam nouas diuitias possidentes, quàm antiqui diuites. similiter vero etiam in alijs. Et caussa est, quòd illi quidem videntur habere ea, quæ sua sunt: hi vero nequaquam: quod enim semper ita apparet se habere, uerum uidetur. Quare alteri non videntur habere, quæ sua sunt.

2 Et quoniam unumquodque bonum non quolibet dignum est, sed quædam est analogia, & cõuenientia, ut arma pulchra non conueniunt iusto, sed forti, & coniugia eximia non nuper ditescentibus, sed nobilibus, idcirco si existens bonus rem sibi conuenientem non consequatur, id habet vim mouendę stomachationis.

Et

3 Et inferiorem cum superiore controuersari; maxime quidem si sint eidem rei dediti; vnde & illud dictum est.

Aiacis vero declinabat pugnam Telamonidæ. *Lib.11. Il.* Iupiter enim ei stomachabatur, quòd cum uiro præstantiore pugnaret. Sin minus, etiam quocunque modo inferior cum superiore controuersetur; quemadmodum si musicus cum iusto, melior enim est iustitia, quàm musica.

Quibus igitur stomachentur, & propter quæ, ex his patet. hæc enim, & talia sunt.

1 At ipsi sunt stomachosi, si digni sint maximis bonis, & ea possideant: non enim iustum est, eos, qui non sunt similes, existimari similibus dignos. *Qui stomachentur.*

2 Deinde uero si sint boni, & uirtute præditi: iudicant enim bene, & odio habent iniustum.

3 Et, si sint studiosi honoris, & appetentes quarundam actionum. & maxime in iis rebus studiosi honoris sint, quos alij, cum indigni sint, consequuntur.

4 Et omnino qui existimant se dignos ijs rebus, quibus alios non existimant, stomachosi sunt eis, & ob eas. Quamobrem mancipiorum similes, & praui, & non cupidi honoris, stomachosi nō sūt: nihil enim eiusmodi est, quo se dignos esse putēt.

Apparet autem ex his, propter quos aduersam fortunam habentes, & male agentes, aut non consequentes, quod cupiunt, gaudere, aut sine molestia esse oporteat. Ex ijs enim, quæ dicta sunt, opposita manifesta sunt. Quare si tales præpararit oratio, petentes vero, vt sui misericordia habeatur, & ob quæ habeatur, ostenderit indignos esse, qui consequantur, dignos uero, qui non consequantur; fieri non potest, vt miseratio existat.

Manifestum est autem & ob quæ inuideant, & quibus & quomodo se habentes; siquidem inuidia est molestia quædam propter eam, quæ apparet, prosperitatem eorum, quæ dicta sunt, bonorum, erga similes, non ut aliquid ipsi existat, sed propter illos.

Inuidia quid.

Qui inuideant.

1 Inuidebunt enim tales, quib. sunt aliqui similes, aut apparent. Similes uero dico genere, cognatione, ætate, habitu, existimatione, copijs.

2 Et quibus parum deest, quin omnia existant. Quamobrem agentes magna, & prosperam fortunam habentes, inuidentiores sunt: putant enim, omnes suas res eripere.

3 Et qui eximie honorantur aliquam ob rem, & maxime ob sapientiam, aut felicitatem.

4 Et studiosi honoris inuidentiores sunt, quàm non studiosi.

5 Et qui sequuntur sapientiæ gloriam; studiosi enim sunt honoris ob sapientiam.

6 Et omnino qui amant gloriam aliqua in re sunt in ipsa inuidentiores.

7 Et pusillanimi: omnia enim ipsis videntur esse magna.

Ob quæ bona inuideāt.

Ob quæ uero inuideant bona, dicta sunt

1 In quibus enim amant gloriam, & de honore contendunt, operibus, & appetunt gloriam.

2 Et quæcunque bonæ fortunæ sunt euentus; ferme in omnibus inuidia est.

3 Et maxime quæ ipsi aut appetunt, aut putānt oportere se habere.

4 Aut in quib. ipsi possessione paullisper superāt, aut paullisper deficiunt.

Quib. inuideant.

1 Apparet uero etiam, quib. inuideant: simul enim dictum est: ijs enim, qui propinqui sunt & tempore, & loco, & ætate, & existimatione, in-

uident;

uident; vnde dictum est, Quod cognatum est, etiã scit inuidere.

2 Et quibuscum de honore contendunt. Nam de honore contendunt cum ijs, qui dicti sunt. cũ ijs vero, qui sunt ad decem millia annorum, aut cum ijs, qui erunt, aut cum mortuis, contendit nemo. neque cum iis, qui sunt ad Herculeas columnas. neque à quib. putant longe se vinci aut apud se, aut apud alios. neque quibus se longe præstare eodem modo, & cum his, & de talibus. Quoniam vero cum ijs, qui competitores sunt, & riuales, & cum ijs omnino, qui eadem appetunt, de honore concertant; necesse est his potissimũ inuidere. vnde illud dictum est; Et figulus figulo. *Apud Hesiodum lib. 1.*

3 Et ijs, qui celeriter, ij, qui uix adepti sunt, aut nequaquam adepti sunt id, quod voluerunt, inuident.

4 Et quibus consequutis id, quod cupiunt, aut recte agentib. dedecus accidit ipsis. Sunt autem isti, qui propinqui sunt, & similes; manifestum.n. est, ipsorum culpa eos non adipisci, quod bonum est. Quare hoc cum molestum sit, efficit inuidiã.

5 Et ijs, qui habent ea, aut consequuti sunt, quæ ipsis conueniebant, aut consequuti fuerant olim. Quamobrem seniores iuniorib. inuident.

6 Et qui multos sumptus fecerunt in eandem rem, ijs, qui paucos, inuident.

Iamuero manifesta sunt ẽt ea, propter quæ tales gaudent, & in quib. & quomodo se habentes. vt enim non habentes, molestia afficiuntur: sic habentes ex contrarijs uoluptatem percipient. Quare si ipsi ita conformati fuerint, & sint tales illi, qui digni existimantur, qui misericordiam obtineant, aut bonum aliquod cõsequãtur, quales

quales illi, qui dicti sunt: manifestum est eos à principibus misericordiam nequaquam consequuturos. Quomodo autem se habeant æmulantes, & qualia æmulentur, & quibus hinc manifestum est. Nam, quoniam æmulatio est molestia quædam propter præsentiam quæ appareat, bonorum honoratorum, & eorum, quæ assumere ipsi contingit, in similib. natura, non quòd alij, sed quòd non etiam ipsi sint. ideo æmulatio bona est, & bonorum; inuidere vero malum, & malorum. ille enim se præparat propter æmulationem ad bona adipiscenda: hic vero ne proximus habeat, propter inuidiam.

Aemulatio quid.

differt ab inuidia;

Qui æmulentur.

1 Iamuero necesse est, procliues ad æmulandū esse existimantes se ipsos dignos bonis, quæ non habent. nemo enim se dignum existimat ijs, quæ apparent fieri non posse. Quamobrem iuuenes, & magnanimi tales.

2 Et quibus existunt talia bona, quæ honoratis uiris digna sunt. Hæc autem sunt diuitiæ, & multorum amicitia, & magistratus, & quæcunq; talia sunt, tanquā enim ipsis conueniat esse probis, quia conueniunt, probe se habentibus ex bonis talia æmulantur.

3 Et quos alij dignos existimant.

4 Et quorum proaui, aut cognati, aut domestici, aut natio, aut ciuitas honorata est, in his rebus æmulatores sunt. domestica enim arbitrantur ipsis esse, & se his dignos existimant.

Ob quæ æmulentur.

Si vero æmulanda sunt honesta bona;

1 necesse est & uirtutes esse tales.

2 Et quæcunque alijs vtilia, & idonea ad benefaciendū. honorant enim benefaciētes, & bonos.

3 Et quorum bonorum fruitio proximis est, vt diuitię & pulchritudo magis, quàm sanitas.

Ap-

1 Apparet uero etiam, qui æmulandi ſint. qui enim hæc,& talia poſſident, æmulandi ſunt. Hæc autem ſunt, quæ diximus, vt fortitudo, ſapientia, magiſtratus. Nam qui magiſtratum gerunt, in multos eſſe benefici poſſunt; Imperatores, oratores, omnes, qui talia poſſunt. *Quibus æmulentur.*

2 Et quibus multi ſimiles volunt eſſe, aut multi familiares, aut amici multi, aut quos multi ſuſpiciunt, aut quos ipſi ſuſpiciunt.

3 Et quorum laudes, & encomia dicuntur aut à poetis, aut à ſcriptorib. orationum.

Contemnunt uero contrarios. Nam contraria eſt æmulationi contemptio: & id, quod eſt æmulari, ei, quod eſt contemnere. Neceſſe autem eſt, ſic ſe habentes, ut ipſi æmulentur aliquibus, aut ipſis aliqui, procliues eſſe ad contemnendum tum hos, tum ob hæc, quicunque contraria mala habent bonis æmulandis. Quamobrem ſæpenumero contemnunt proſpera fortuna vtentes quoties ſine honoratis bonis adeſt ipſis fortuna. Ex quibus igitur affectus excitentur, & diſſoluantur, vnde fides exiſtit, de iis dictum eſt.

DE MORIBVS AVDITORVM.



Oribus autem quales ſint ſecundum affectus, & habitus, & ætates, & fortunas, poſthæc explicemus. Dico quidem affectus iram, cupiditatem, & talia, de quibus diximus prius. Habitus uero, virtutes, & vitia. De his etiam dictum eſt prius, & qualia præeligant ſinguli, & qualium ſint effectores. Aetates autem ſunt, Iuuentus, & vigor, & ſenectus. Fortunas præterea *Mores auditorum ſunt quattuor generum.*

terea dico nobilitatem, diuitias potentiam, & his contraria, atque omnino prosperam fortunam, & aduersam fortunam.

Mores iuuenum.

1 Ac iuuenes quidem moribus sunt cupidi, & parati ad ea efficienda, quæ concupiuerint. Et ex cupiditatibus, quæ circa corpus uersantur, sectatores maxime earũ, quæ sunt circa res venereas. Et incontinentes huius ipsius rei. Et in horas mutabiles. Et fastidiosi in cupiditatibus. Et valde quidem concupiscunt: celeriter uero sedantur. Acutę enim voluntates eis sunt, & non perdurantes, cuiusmodi sunt ægrotantium sitis, & fames.

2 Et excandescentes, & acute excandescentes, & parati ad impetum sequendum; & obnoxij sũt irę. Nam propter studium honoris non possunt pati se paruifieri, sed moleste ferunt, si iniuria se affici existiment.

3 Et studiosi honoris quidem sunt, sed magis studiosi uictoriæ: excellentiam enim concupiscit iuuentus; & victoria excellentia quædam est. Et hæc ambo magis existunt, quàm ut sint studiosi pecuniarum. Minimum vero sunt studiosi pecuniarum, proptereaquòd nondum indigentiam experti sunt, quemadmodum se habet Pittaci apophthegma in Amphiaraum.

4 Et non malorum morum, at bonorum; proptereaquòd nondum multa mala conspexerunt.

5 Et creduli; quia nõdum in multis decepti sunt.

6 Et bonæ spei; ut enim temulenti, sic iuuenes calidi sunt natura; simul uero etiam, quia nondum in multis opinione lapsi sunt. & viuunt, vt plurimum, spe. Nam spes futuri est, memoria vero præteriti, iuuenes autem futuri multum habent, præteriti vero parum. primo enim tẽpore se meminisse nihil arbitrantur, sperare aũt omnia.

Et

7 Et ſunt idonei, qui decipiantur propter id, quod dictum eſt; ſperant enim facile.

8 Et viriliores, iracundi enim, & bonæ ſpei. quorum illud efficit, vt ne metuant; hoc vero, ut confidant. nemo enim, qui iraſcitur, metuit. Sperare autem aliquid boni afferendæ fidentiæ vim habet.

9 Et uerecundi; nondum enim honeſta alia arbitrantur; ſed eruditi ſunt à lege ſola.

10 Et magnanimi; nondum enim à vita depreſſi ſunt; ſed rerum neceſſariarum experientiam non habent. & exiſtimare ſe dignum magnis magnanimitas eſt, hoc autem eſt eius, qui bene ſperat.

11 Et magis eligunt agere honeſta, quàm utilia: moribus enim viuunt magis, quàm ratiocinatione. eſt autem ratiocinatio eius, quod vtile eſt: virtus vero eius, quod honeſtum.

12 Et ſtudioſi amicorum, & ſtudioſi ſodalium magis, quàm aliæ ætates, propterea quòd gaudēt conuictu. Et nihil iudicant ad vtilitatem. Quare nec amicos quidem.

13 Et omnia in maius, & uehementius peccata faciunt contra dictum Chilonis: omnia enim nimis agunt. nam amant nimis, & nimio odio habent. & alia omnia ſimiliter, quippe qui putant ſe ſcire omnia, & aſſeuerant. hæc autem cauſſa eſt, cur omnia nimis.

14 Et iniurias inferunt ad contumeliam, non ad malitiam.

15 Et miſericordes ſunt, propterea quòd exiſtimant omnes bonos, & meliores: ſua enim ipſorũ innocentia ceteros metiuntur. Quare indigna ipſos pati exiſtimant.

16 Et ſtudioſi riſus. Quamobrem etiam faceti. Nam facetiæ erudita contumelia ſunt.

Ac iuuenum quidem tales ſunt mores.

Se-

Mores seniorum. Seniores uero,& qui uigorem remiserunt,ferme ex contrarijs , vt plurimum , habent mores.

13 1 Quoniam enim multorum annorum uitam duxerunt,& in plurib. decepti sunt,& errarunt , & res ferme omnes prauæ sunt , neque affirmant aliquid , & longe minus omnia, quàm oportet . Et putant quidem: sciunt autem nihil. Et controuersantes adiungunt semper Forsan , & Fortasse, & omnia dicunt sic ; asseueranter autem nihil .

4 2 Et sunt malorum morum : Esse autem malorum morū significat omnia in peius interpretari.

3 Præterea suspiciosi sunt , quia increduli ; & increduli,quia periti .

13 4 Et neque magno amore , neque magno odio prosequuntur propter eandem caussam : sed secundum præceptum Biantis , & amant tanquam odio habituri ; & odio habent , tanquā amaturi.

10 5 Et pusillanimi , propterea quòd depressi sunt in uita:neque enim magni,neque eximij aliquid, sed ea,quæ ad vitam pertinent , cupiunt .

11 6 Et parum liberales : vnum enim est ex necessarijs patrimonium ; & , cum periti sint , simul sciunt , quàm difficilis sit acquisitio , & facilis amissio .

6 7 Et timidi , & omnia prætimentes : contrario enim modo affecti sunt , ac iuuenes . refrigerati enim sunt : at illi calidi sunt . Quare viam aperuit senectus timiditati. Nam timor refrigeratio quædam est.

3 8 Et studiosi vitæ,& maxime in ultimo tempore: propterea quòd cupiditas est rei absentis;& cuius sunt indigentes,id maxime cupiunt .

10 9 Et queruli magis,quàm oportet : pusillanimitas enim quædam etiam hæc est.

11 10 Et ad vtile viuunt, sed non ad honestum,magis

gis quàm oportet, propterea quòd sui ipsorum amantes sunt: vtile enim bonum est ipsi: honestum vero simpliciter.

11 Et inuerecundi magis, quàm uerecundi: nam 9
quia non curant similiter honestum, & utile, par uifaciunt, quid videatur.

12 Et malæ spei, quia periti: nam ut plurimum 6
res malæ sunt. cadunt igitur plerunque in peius. & præterea, quia timidi. Et memoria magis, quàm spe uitam ducunt. Nam quod futurum est vitæ, exiguum est: præteritum vero multum. Est autem spes futuri: memoria uero præteritorũ. id quod ẽt ipsis caussa est loquacitatis: narrãt .n. p̄terita. Nã recordãtes uoluptatem percipiũt.

13 Et excandescunt quidem acute, sed imbecil- 2
liter.

14 Et cupiditates eorum partim defecerunt, par- 1
tim debiles sunt. Quare neque cupidi sunt, neq; effectores ex cupiditatib. sed ex lucro. Quocirca etiam temperati apparent tales: cupiditates .n. remiserunt; & seruiunt lucro.

15 Et magis vitam ducunt ratiocinatione, quàm 11
moribus. Ratiocinatio enim est eius, quod vtile est: mores vero virtutis.

16 Et iniuriose se gerunt magis ad malitiam, 14
quàm ad contumeliam.

17 Misericordes uero etiam senes sunt, sed non 15
eadem de caussa, ac iuuenes. illi enim, quia humani, hi vero, quia debiles: omnia enim existimant sibi proxima esse, quæ patiantur. hoc autẽ erat misericordis. vnde queruli sunt.

18 Et non faceti, neque studiosi ridiculorum: 16
contraria enim sunt querulum esse, & studiosum risus.

Ac iuuenes quidem, & seniores eiusmodi sunt mori-

moribus præditi. Quare quoniã omnes recipiũt orationes, quæ conuenienter suis ipsorum moribus habentur & similes; non est incertũ, quem admodum cum aliqui vtantur orationibus tales appareant etiam ipsi, & orationes.

Mores uirorum. Vigentes autem apparet interiectos inter hos moribus futuros, detrahendo utrorumque exuperationem;

1 qui neq; valde confidũt: id enim est audacię.
2 Neque nimis metuunt, pulchre ad vtrunque se habentes.
3 Neque omnibus credunt.
4 Neque omnibus non credunt; sed secundum veritatem iudicant magis.
5 Et neque viuunt ad solum honestum.
6 Neque ad solum utile; sed ad vtrunque.
7 Et neque ad parsimoniam.
8 Neque ad luxuriam; sed ad conueniens.
9 Similiter vero etiam ad excandescentiam.
10 Et ad cupiditatem.

Et temperantiam cum fortitudine, & fortitudinem cum temperantia coniunctam habent. Nam hæc inter iuuenes, & senes distributa sunt: iuuenes enim fortes sunt, & intemperantes: seniores uero temperantes, & timidi.

11 Vt autem in vniuersum dicam, quæcunque ex commodis sibi inuicem distribuerunt iuuentus, & senectus, ea ipsi habent.

12 Quęcunque uero excedunt, aut deficiunt, eorum quod moderatum est, & conueniens.

Viget autem corpus à triginta annis usq; ad quinque & triginta: animus uero circiter vndequinquaginta.

Ac de iuuentute quidem, & senectute, & vigore, quales mores quæque ætas habeat, tam multa

ta dicta sint.

De bonis autē, quæ existunt à fortuna, propter quæ accidunt hominibus etiam mores cuiusdā modi, deinceps disputemus.

1 Ac nobilitatis quidem mores sunt, honoris cupidiorem esse, qui eam possederit. Omnes. n. cum aliquid ipsis existit, id accumulare soliti sunt. nobilitas uero nihil aliud est, nisi dignitas quædam maiorum. *Nobilium mores.*

2 Et procliuē esse ad contēnendos similes maioribus ipsorum, proptereaq; hæc remota, q̄ propinqua honoratiora sunt, & ad gloriandum idonea.

Nobile autem secundum generis virtutem: *Nobile quid*

Generosum vero secundum id, vt non deficiat à natura. Id quod plerumque nobilibus nō accidit, sed sunt multi abiecti. prouētus enim est in generibus uirorum, quemadmodum in ijs, quę oriuntur in agris, & non nūquam, si sit bonū genus, ad aliquod tempus exoriuntur uiri eximij, & deinde rursus retrofertur. Deficiunt vero genera bono ingenio prædita ad insaniores mores, ut qui originem traxerunt ab Alcibiade, & à Dionysio superiore. Stabili vero ingenio prędita ad stoliditatem, atque socordiam, vt qui a Cimone, & Pericle, & Socrate. *Generosum quid.*

Diuitias qui mores consequantur, uidere omnibus in promptu est. *Diuitum mores.*

1 Contumeliosi enim sunt.

2 Et contumaces, patientes aliquid à possessione diuitiarum. perinde enim affecti sunt, ac habētes omnia bona. diuitiæ enim sunt tanquā preciū quoddam ęstimationis aliorum bonorum. Quamobrem apparent omnia venalia ipsarum esse.

3 Et delicati.

4 Et arrogantes.

Delicati quidem propter delitias, & oſtentatio nem felicitatis.

Arrogantes vero, & elati, propterea quòd om nes ſoliti ſunt uerſari in eo, quod amatur, & ſuſpi citur ob ipſis. & quia exiſtimant alios æmulari, quæ etiam ipſi. Simul autem, & merito his mo dis affecti ſunt, quòd multi indigent habentium. vnde & illud à Simonide dictum eſt de ſapientib. & diuitibus apud coniugem Hieronis interrogã tem, vtrum melius eueniret, ut quis eſſet diues, an ſapiens. Vt diues ſit, inquit. Sapientes enim dixit ſe videre, qui verſarentur in forib. diuitum, & quia exiſtimant, ſe dignos eſſe, qui imperent: putant enim ſe habere ea, quorum cauſſa dignũ eſt imperare. atque, ut paucis multa comple-ctar, diuitiæ ſunt morum dementis felicis.

5 Differunt autem mores in ijs, qui nuper poſ-ſederunt, & qui antiquitus; eò quòd omnia ma gis, & mala peiora habent noui diuites: nam im-peritia diuitiarum eſt, nouum diuitem eſſe.

6 Et iniurias inferunt non malitioſas, ſed par tim quidem contumelioſas, partim vero incon-tinentiæ plenas, vt in uerberationẽ, & adulteriũ.

Potentium mores.

Similiter vero de potentia ferme pleriq; mo-res apparent.

1 Habet enim potentia partim eoſdem mores, quos diuitiæ: partim meliores.

2 Sunt enim potentes ſtudioſiores honoris.

3 Et viriliores morib. quàm diuites: propterea quòd ea appetunt opera, quæcunque licet ipſis agere propter potentiam.

4 Et magis dediti ſtudio: propterea quòd in ſe-dulitate ſint, dum coguntur conſiderare ea, quæ pertinent ad potentiam.

5 Et grandiores, quàm grauiores: reddit. n. eos cla-

clariores dignitas. Quamobrem moderate agũt. Est autem granditas mollis, & elegans grauitas.
6 Et, si iniuriam faciunt, non sunt iniuriosi in paruis, sed in magnis.
1 Prospera fortuna habet pro morib. particulas earum rerum, quæ dictæ sunt. nam ad has referũtur, quæ videntur esse maximę fortunæ prosperitates. *Fortunatorũ mores.*
2 Præterea prospera fortuna facit, ut meliore conditione simus in ijs, quæ pertinent ad bonam prolem, & ad bona secundum corpus.
3 Igitur superbiores quidem sunt.
4 Et inconsideratiores propter prosperam fortunam.
5 Vnus autem mos melior bonam fortunam consequitur, quod Deos colunt, & ad rem diuinam se habent aliquo modo credentes propter bona, quæ fiunt à fortuna.

Ac de moribus quidem secundum ætatem, & fortunam dictum est. contraria enim ijs, quæ exposita sunt, ex contrarijs apparent; vt pauperis, & infelicis mores, & impotentis.

Quoniam uero usus orationum, quæ ad persuasionem appositæ sunt, dirigitur ad iudicium; quæ enim percepimus, & iudicauimus, de his non est opus amplius oratione; dirigitur autẽ, siue apud Vnum aliquis dicens suadeat, aut dissuadeat, vt admonentes faciunt, aut persuadentes; nihil. n. minus disceptator est vnus; nam quem oportet persuadere, is est, ut simpliciter dicã, disceptator; siue aduersus controuersantem, siue ad subiectã materiam aliquis dicat, simili modo; oratione enim uti necesse est, & tollere contraria, aduersus quæ, ut aduersus cõtrouersantem verba facit; similiter uero etiam in demonstratiuis, tanquam *Orationum usus refertur ad iudicium. etiã vnius. in eo causarum genere*

enim ad disceptatorem oratio constituta est ad auscultatorem; omnino autem solus, ut simpliciter dicam, disceptator est, qui iudicat in ciuilib. contentionib. ea, de quibus quæstio est; quæruntur enim, quomodo se habeant ea, quæ uersantur in controuersia, & de quib. consultant; de morib. vero secundum Resp. in deliberatiuis dictum est prius: idcirco explicatum est, & quomodo, & per quæ orationes moratas faciamus.

Disceptator propriè ī iudicialib. & deliberatiuis.

DE PROPOSITIONIBVS communib. oratoriæ demonstrationis.



ET, quoniam circa unumquodq; genus orationum diuersus, quidam finis erat, ac de ijs omnib. dictæ sunt opiniones, & propositiones, ex quibus fidem ducūt tum consulentes, tum demonstrantes, tum controuersantes; præterea uero ex quibus moratas orationes contingit reddere, de his etiam est disputatum: reliquum est nobis, vt cōmunia omnib. explicemus.

Propositiones communes.

1 Omnibus enim necessarium est adhibere in orationibus ea, quæ sunt de eo, quód fieri, & nō fieri potest.

2 Et alios quidem conari ostendere futurum.

3 Alios uero factum esse.

4 Præterea uero de magnitudine quærendum est in omnibus orationib. utuntur enim omnes imminuendi ratione, & amplificandi; tum consulentes, siue suadeant, siue dissuadeant: tum laudātes, aut uituperantes: tum accusantes, aut defendētes. His autem explicatis conabimur dicere communiter tum de enthymematibus, tum de exemplis; ut cum reliqua addiderimus, ad finem perducamus

camus id, quod initio propositum est.

4 Ex communibus autem amplificare demonstratiuis aptissimum est, vt exposuimus.

3 Factũ vero iudicialib. de his enim iudiciũ est.

1 Atque id quod fieri potest;

2 Et futurum deliberatiuis,

Ac primum quidem de iis, quæ fieri, & non fieri possunt, dicamus.

1 Si igitur contrariũ vel esse, vel fieri pōt, & cōtrariũ videbitur eẽ posse; quẽadmodũ si fieri pōt, vt homo conualuerit, ẽt, vt ægrotauerit. eadem .n. est facultas cōtrariorũ, quatenus cōtraria existũt. *Propositiones eius, q8 fieri potest.*

2 Et, si fieri potest simile, etiam simile.

3 Et, si difficilius fieri potest, etiam facilius.

Et, si fieri potest virtute præditus, vel pulcher, etiam omnino fieri potest: difficilius enim est, domum pulchram; quàm domum fieri.

4 Et, cuius principium fieri potest, etiam finis: nihil enim fit neque incipit fieri eorum, quæ fieri non possunt; quemadmodum vt diameter sit symmeter, neq; inciperet fieri, neque fit.

5 Et cuius finis, etiam principium fieri potest: omnia enim ex principio fiunt.

6 Et si fieri potest id quod posterius est, vel oritur, etiam prius, quemadmodum si fieri potest, vt fit vir, etiam, ue fit puer: prius enim illud fit. &, si fieri potest, vt fit puer, etiam vt fit uir: principiũ enim illud est.

7 Et quorũ amor, vel cupiditas natura ẽ, nemo .n. amat ea, quæ fieri non pñt, nec cupit plerunq;

8 Et quorũ scientiæ sunt, & artes, possunt ea & esse, & fieri,

9 Et quorum principium ut oriantur, in iis est, quæ nos coegerimus, & persuaserimus; hęc vero sunt, quib. meliores sumus, vel domini, uel amici,


10 Et quorum partes fieri possunt, etiam totum fieri potest.
11 Et quorum totum fieri potest, etiam partes plerunque: si enim obstragulum, & ligula, & solea fieri possunt, etiam calcei fieri possunt: & si calcei, etiam obstragulum, & ligula, & solea.
12 Et, si genus totum eorum, quæ fieri possunt, etiam forma.
13 Et, si forma, etiam genus; quemadmodum si fieri potest nauis, etiam triremis; &, si triremis, etiam nauis.
14 Et, si alterum eorum, quæ natura inter se conferuntur, etiam alterum; quemadmodum si duplum, etiam dimidium; &, si dimidium, etiam duplum.
15 Et, si sine arte, vel apparatione potest fieri aliquid magis potest per artem, & diligentiam. unde & ab Agathone dictum est; Atqui alia quidem fortuna facere, alia uero necessitate, & arte nobis suppetit.
16 Et quod fieri potest à deteriorib. vel inferioribus, vel imprudentioribus, etiam magis a contrarijs, quemadmodum etiam Isocrates dixit, Graue esse Euthynum didicisse, ipsum vero inuenire non potuisse.
Ea uero quæ fieri non possunt, manifesta sunt ex contrarijs eorum, quæ dicta sunt.
Propositiones facti.
Factum autem sit, nec ne, ex his cõsiderandum.
1 Primum quidem, si quod minus natura aptũ est, ut fiat factum est, etiã quod natura aptius est, factum erit.
2 Et si posterius solitum fieri factum est; etiam prius factum est, quemadmodum si obliuionem cepit, etiam aliquando hoc didicit.
3 Et, si potuit, ac voluit, fecit: omnes enim quã-
do,

do, cum possint, uolunt, faciunt. nam impedimentum nullum est.
4 Et, si uoluit, & nihil extra prohibuit:
5 Et, si potuit, ac iratus fuit.
6 Et, si potuit, ac concupiuit: plerunque enim, quæ appetunt, si possint, etiam faciunt; mali quidem propter intemperantiam: boni vero, quoniam ea, quæ æqua sunt, concupiscunt.
7 Et, si debuit fieri, & facere.
8 Et, si ante facta sunt, quæcunque nata sunt ante illud, aut illius caussa, ut si fulsit, etiã tonuit. &, si conatus est, etiam fecit.
9 Et, si quæcunque naturam habent, ut posterius fiant, aut id, cuius caussa fiunt, factum est, et quod prius, & huius est caussa, ut si tonuit, etiam fulsit. &, si fecit etiam conatus est. Ex his autem omnibus alia quidem ex necessitate sunt: alia uero plerunque ita se habentia. Quod autem non est factum, apparet ex contrarijs eorum, quæ dicta sunt.
Ac de futuro ex ijsdem res est manifesta.
1 Etenim quod est in potestate, & voluntate, erit. *Propositiones futuri.*
2 Et quod est in cupiditate, & ira, & ratiocinatione cum facultate, erit. propterea si in procinctu est, ut fiat, uel futurum sit, erit. Etenim plerumque fiunt magis, quæ futura erant, quàm non futura.
3 Et, si ante facta sunt, quæcunque ut prius fiãt, naturam habent; quemadmodum si nubilatum est, verisimile est, pluiturum.
4 Et, si quod est huius caussa, factum est, etiam hoc verisimile est, factum iri, vt si fundamentum, domus.
De magnitudine autem, & paruitate rerum, &

maiori, ac minori,& oīno magnis,& paruis, ex ijs quæ ante dicta sunt, res ipsa constat. Dictum est enim in deliberatiuis de magnitudine bonorum & de maiori simpliciter, & minori. Quare, quoniam in unaquaque oratione propositus est finis id, quod bonū est, quemadmodū utile, & honestum, & iustum; apparet ex illis sumendas esse omnibus amplificationes: quærere enim aliquid præter hæc de magnitudine simpliciter, & excellentia, inanis est disputatio; quia aptiores sunt ad usum res singulares, quàm uniuersales.

Igitur de eo, quod fieri potest, & non potest, & utrum factum sit, an non factum, & erit, an non erit, præterea uero de magnitudine, & paruitate rerum hæc dicta sint.

DE DEMONSTRATIONE Oratoria ex exemplis.



Reliquum est exponere fidem omnibus communē, quoniam dictum est de propria. Est autē cōmunis fides genere duplex, exēplum, & enthymema: sententia enim pars enthymematis est. primum igitur de exemplo dicamus. Nam exemplum inductioni simile est, & inductio principium est.

Exemplorū formæ.

Exemplorum uero formæ duæ sunt. Nam una quidem exempli forma est, dicere res gestas: altera uero ipsum fingere. Atque huius quidem una pars est parabola: altera uero logi, quemadmodum Aesopici, & Libyci.

Exēplū rei factæ.

Exemplū autem est eiusmodi aliquid, ut siquis diceret oportere aduersus Regem parari, & non

finere

finere eum Aegyptum in poteſtatem redigere, propterea quia Darius non prius traiecit, quam Aegyptum cepit;cum autem cepiſſet,traiecit. Iterum Xerſes non prius irrupit, quàm occupauit; cum autem occupaſſet, irrupit. Itaque & nunc,ſi ceperit,traijciet. Quare non permittendum.

Exemplum rei fictæ quod dicitur parabola.

Parabola uero etiam,quæ Socratica ſunt, quẽadmodum ſiquis diceret, non oportere ſorte datos magiſtratũ gerere. Simile enim eſſe,ac ſiquis athletas ſortiatur,non qui poſſint decertare, ſed qui obtigerint. aut ex nautis quem oporteat gubernare,ſortitus fuerit,quaſi deceat obtingentẽ, non autem ſcientem.

Exemplum rei fictæ, quod dicitur Logus.

Logus eſt,qualis Steſichori aduerſus Phalarim, & Aeſopi de duce populari: Steſichorus enim, cũ Himerenſes ducem cum ſummo imperio elegiſſent, & tradituri eſſent cuſtodiam corporis, alia fatus dixit ipſis logum,quemadmodum equus ſolus pratum tenuit;cum autem ueniret ceruus, & corrumperet pabulum,uolens ceruum punire,interrogauit hominem quendam,an poſſet ceruum pęna afficere. ille autem affirmauit, dummodo equus acciperet frenum, & ipſe eum cõſcẽderet, tenens iacula. Cum autem equus conditionem accepiſſet, & ipſe eum conſcendiſſet, loco puniendi is confeſtim ſeruiuit homini. Sic uero etiam uos, uidete, inquit, ne uolentes hoſtes punire, eadem patiamini, quæ equus: frenum enim iam habetis, cum elegeritis ducem cum ſummo imperio; ſi uero etiam cuſtodiam tradideritis, & conſcendere permiſeritis, confeſtim Phalaridi ſeruietis.

Aeſopus uero cum patronus eſſet duci populi de capite cauſſam habenti, dixit, Vulpem, cum

traij-

traijceret flumen, decidisse in voraginem; cum exire non posset, longo temporis spatio male affe ctam esse; & multas caninas muscas ei adhæsis se; herinaceum autem uagantẽ, ut uidet ipsam, misericordia captum, interrogasse, Num caninas muscas ab ipsa abigeret. Eam uero non permisis se. & quærẽte illo, Qua de caussa, dixisse, Quoniã istæ quidem plenæ mei iam sunt, & parum sanguinis sugunt; si vero has abegeris, aliæ veniẽtes famelicæ exhaurient mihi reliquum sanguinis.

Igitur etiam Vobis, inquit, viri Samij, iste non amplius nocet: diues enim est. si vero hunc Inte r feceritis, alij venient pauperes, qui publica depe culantes uobis ea dilapidabunt.

De usu exẽ plorum.

Sunt autem logi concionibus accommodati, & habent bonum hoc, quòd res quidem inuenire similes, quæ gestæ sint, difficile est. logos uero facilius: fingere enim oportet, ut etiam parabo las, si quis possit simile intueri, quod facilius est ex philosophia. Facilius igitur apparantur, quæ sunt ex logis: sed faciliora ad consultandum, quæ sunt ex rebus gestis: similia enim plerunque sunt futura præteritis.

Oportet autem vti exemplis, non habentem quidem enthymemata, tanquam demonstrationi bus. habentem uero, tanquã testimonijs, adhiben do ea pro epilogis in enthymematibus: præposita enim similia sunt inductionibus, & Rhetoricis non est accommodata inductio, nisi in paucis: su biecta vero testimonijs. Ac testis ubique ad persuadendum aptus. Quamobrem præponentem quidem necesse est multa dicere: subiicientem ve ro etiam vnum satis. Testis enim fide dignus etiam vnus vtilis est.

Iam quot species sint exemplorum, & quomodo

modo ipsis, & quando vtendum, dictum est.

DE DEMONSTRATIONE Oratoria ex sententijs.



E sententiæ autem dictione res maximè constabit, cum dictum fuerit, quid sit sententia, & de cuiusmodi rebus, & quando, & quibus conueniat vti sententiæ dictione in orationibus. *De sententia quatuor proponuntur.*

1 Est autem sententia enunciatio non de singularibus, quemadmodum, Qualis Iphicrates, sed de vniuersalibus, neque de omnibus vniuersalibus, vt Rectum curuo contrarium esse, sed de ijs, quorum actiones sunt, & ea, quæ eligimus, aut fugimus ad agendum. Quare, quoniam enthymema de his ferme est syllogismus, & conclusiones enthymematũ, & principia ablato syllogismo, sententiæ sunt. vt Nequaquã oportet, quicunque natura vir prudens factus est, cum filios suos eximiè sapientes instruere. Hæc igitur sententia est. Addita vero caussa, & quamobrem sit, totum erit enthymema. vt, Nam præter aliam ignauiam, quam habent, inuidiam ciuium aperiunt infestã. & illud, Nemo omnino felix est. & Nemo hominum est liber, sententia. cũ eo autem, quod sequitur, enthymema; aut enim pecuniarum seruus est, aut fortunæ. *Eurip. Medea* *Eurip. Hecuba.*

2 Iam, si sententia est id, quod dictum est, quattuor species esse sententiæ necesse est. Aut enim cum epilogo erunt. aut sine epilogo. Ac demonstrationis quidem indigentes sunt, quęcunq; præter opinionem aliquid dicunt, aut controuersum. Quęcunque vero nihil præter opinionem, sine epilogo

epilogo. Ex his autem necesse est, alias quidem propterea quòd ante cognitæ sunt, nihil indigere epilogo, in hunc modum; Viro autem optimum est valere, sicut nobis uidetur. Apparet enim multis sic. Alias uero, simul cum dicuntur, manifestas esse ijs, qui intuiti fuerint, ut Nemo amator, qui non semper amet.

Eurip. Troad.

Ex ijs uero, quæ sunt cum epilogo, aliæ sunt enthymematis pars, quemadmodum, Nequaquam oportet, quicunque vir prudens natura factus est.

Aliæ enthymematicæ quidem, sed non enthymematis pars, quæ etiam probantur in primis. Sunt autem hę, in quibus si attendas, tanquam impressa cernitur caussa, quemadmodum in hoc; Immortalem iram ne serues mortalis existens. Dicere.n. Non oportet iram seruare semper, sententia est. quod uero additur, Mortalem existentem, dicit quamobrem. Simile uero etiam illud, Mortalia oportet mortalem, non immortalia mortalem sapere.

3 Apparet igitur ex ijs, quæ dicta sunt, tum quot species sint sententię, tum in cuiusmodi re unaquæque conueniat. Nam de controuersis, aut de ijs, quæ sunt præter opinionem non sine epilogo uti sententia oportet, sed aut præponendo epilogum loco conclusionis, vt si quis diceret. Ego quidem, quoniam neque inuidiæ subijci, neque ignauum esse oportet, nego eruditioni operam esse dandam. Aut dicendo prius hoc priora dicere.

De ijs autem, quę præter opinionem sunt, sed incerta adijciendo, quamobrem, concinne. Conueniunt vero in eiusmodi rebus etiam Laconica

ca apophthegmata, atque ænigmata, ut ſiquis diceret, quod Steſichorus apud Locrenſes dixit, Non oportere contumelioſos eſſe, ne cicadæ humi canant.

Ac ætate quidem ſenioribus conuenit ſententiam dicere, ſed de ijs, quorum, qui dicit, peritus eſt: quia eiuſmodi non exiſtentem dicere ſententiam indecorum eſt, quemadmodum etiam fabulam dicere. de ijs uero, quorum eſt, imperitus, res ſtulta, atque inerudita. Ac ſignum idoneum eſt, quod ruſtici maxime ſunt ſententiarum compoſitores, & facile eas proferunt.

Dicere uero in uniuerſum de re, quæ uniuerſalis non ſit, conuenit in conqueſtione, atq; indignatione, & in his aut cum exordiaris, aut cum demonſtraueris.

Ac uti oportet etiam peruulgatis, & communibus ſententijs, ſi utiles ſint. Etenim quia ſunt communes quaſi confitentibus omnibus uidentur recte ſe habere. ut adhortanti ad periculum ſubeundum eos, qui ſacrificium non fecerint, Vnum augurium optimum defendere patriam. *Lib. 12. Il.* & eos, qui inferiores exiſtunt. Mars belli communis. *Lib. 17. Il.* Et ad tollendos inimicorum filios, qui nullam iniuriam faciunt, Stultus, qui natos occiſo patre relinquit. *Staſimus,* Præterea etiam aliqua ex prouerbijs ſententiæ ſunt, ut prouerbium, Atticus inquilinus.

Et oportet ſententias dicere etiam contra ea, quæ in ore multitudinis ſunt poſita. Dico autem in ore multitudinis poſita, quemadmodum illud, Noſce te ipſum. & illud, Ne quid nimis, quando aut mores apparituri ſunt meliores, aut cum affectu

dicitur.

dicitur. Cum affectu est, si quis, dum irascitur, diceret, Falsum esse illud, quòd oportet se cognoscere. Nam si iste se cognosceret, nunquam petijsset vt imperaret. Mores vero meliores apparent, si dicatur. Non oportere vt aiunt, amare tanquam osurum, sed magis odio habere, tanquam amaturum.

Ac oportet dictione prælectionem aperire: sin minus, caussam subijcere, quemadmodum aut sic dicendo, Oportere amare, non ut aiunt, sed tanquam semper amaturum: insidiatoris enim alterum est. aut sic, Non placet mihi, quod dicitur; oportet enim uerum amicum amare tanquã semper amaturum. Neque illud, Nequid nimis; oportet enim malos nimio odio habere.


4 Afferunt uero orationibus auxilium magnũ; vnum quidem, propter vanitatem auditorum. gaudent enim si quis dicens in vniuersum incidat in opiniones, quas illi habent in parte. Iam, quod dico, manifestum sic erit; & simul, quomodo ipsas venari oporteat. Sententia enim est, quemadmodum dictum est, enunciatio in vniuersum, gaudent autem, cum in vniuersum dicitur id, quod in parte ipsi existimant; quemadmodum si quis vicinis vteretur, aut filijs improbis, probaret, qui diceret, Nihil vicinitate molestius, aut Nihil demẽtius filiorum procreatione. Quare oportet spectare, cuiusmodi res ante existimauerint. sic postea in vniuersum de his dicere.

Ac sententię dictionem habere opórtet cum vsum hunc, qui dictus est, tum illum alterum meliorem, quòd moratas efficit orationes. Mores vero habent orationes illæ, in quib. manifesta est prælectio: Sententiæ enim omnes hoc faciunt; propterea quòd qui sententiam dicit, enunciat in vni-

vniuerſum de rebus præeligendis. Quare ſi bonæ ſint ſententiæ etiam faciunt, ut, qui dicit, boni s moribus præditus appareat.

Ac de ſentẽtia quidẽ { & quid ſit: & quot ſpecies ipſius: & qũo vtendum ſit ipſis: & quam vtilitatem habeãt, tá multa dicta ſint.

DE DEMONSTRATIONE Oratoria ex enthymematib.


Amuero de enthymematibus dicamus, quomodo ea oporteat quærere, & præterea eorum locos: diuerſa enim vtriuſque horum ſpecies eſt. Ac enthymema quidem ſyllogiſmum eſſe aliquem, dictum eſt prius, & quo modo ſyllogiſmus, & quid differat à Dialecticis. Neque enim longe, neq; omnia aſſumendo, oportet colligere. illud enim obſcurum eſt propter lõgitudinem; hoc uero nugatoriũ, proptereaquòd manifeſta dicuntur, quæ cauſſa eſt, cur magis idonei ſint ad perſuadendum inerudıti, quàm eruditi inter vulgares, quemadmodum poetæ dicunt, Ineruditos apud turbã concinnius dicere. illi enim communia, & quæ ſunt in vniuerſum, dñt: hi vero, quę ſciunt, & quæ propinqua ſunt.

Non longe, nec omnia ſumenda.

Quare non ex omnibus, quæ probabilia ſunt, ſed ex definitis dicere oportet, nempe aut iudicantibus, aut ijs, quos approbant. manifeſto autem ſic apparere aut omnibus, aut plurimis. & nõ ſolum colligere oporret ex neceſſarijs, ſed etiam ex ijs, quæ plerunque ſe habent.

Dicendum ex definitis

Ac

Quærenda, quæ in re in sunt.

Ac primum assumendum est, de quo oportet dicere, & syllogismo concludere, siue ciuili syllogismo, siue quocunque necessarium esse de hoc tenere ea, quæ insunt, uel omnia uel non nulla: nã nihil tenens; ex nihilo posses colligere.

In genere deliberatiuo.

Dico autem exempli gratia, quomodo possemus consulere Atheniensibus vtrum bellandum, an non bellandum sit, non tenentes, quæ potentia ipsorum sit, utrum naualis, an pedestris, uel vtrunque, & ipsa quanta, & reditus qui; uel amici, uel inimici; præterea uero quæ bella gesserint, & quomodo, & alia huiusmodi?

In demonstratiuo.

Ac laudare eos, si non teneamus prælium nauale ad Salaminẽ, aut pugnã in Marathone, aut quæ pro Heraclidis gesta sunt, aut aliquid aliud tale? Nam ex insitis, aut ex ijs, quæ videntur inesse, honestis laudant omnes. Similiter uero etiam uituperant ex contrarijs, considerantes, quid eiusmodi in ipsis insit, aut uideatur inesse, quemadmodum quod Græcos ad seruitutem redegerunt, & subegerunt, qui simul bellum gesserant aduersus barbarum, & optime se gesserant, Aeginetas, & Patidęatas. & quæcunque alia talia, & siquid aliud peccatum eiusmodi insit in ipsis.

In iudiciali.

Eodem autem modo & accusantes, & defendentes, dum ex insitis considerationem habent, accusant, & defendunt.

Ac nihil interest, fiat ne hoc de Atheniẽsibus an Lacedęmonijs, de homine, an Deo: Etenim consilium danti Achilli, & laudanti, & uituperãti, & accusanti, & defendenti eum, assumenda sunt ea, quæ insunt, aut uidentur inesse, vt ex his dicamus laudantes, aut uituperantes, siquid honesti insit, aut inhonesti: accusantes, aut defendentes, siquid iusti insit, aut iniusti: consulentes,

tes, ſiquid vtilis, aut pernitioſi. Similiter autem his & de re quacunque, vt de iuſtitia, bonum nè, an non bonum, ex ijs, quæ inſunt iuſtitiæ, aut bono. *In quæſtione infinita.*

Iamuero quoniam & omnes uidentur in hũc modum demonſtrare ſiue accuratius, ſiue negligentius ſyllogiſmo concludant (non enim ex omnibus aſſumunt, ſed ex ijs, quæ in vna quaque re inſunt) & propter rationem; manifeſtum enim eſt fieri non poſſe alio modo, vt demonſtretur: apparet neceſſarium eſſe, quemadmodum in Topicis, ut circa unumquodque teneantur ſelecta de ijs, quæ contingunt, & oportuniſſima ſunt. de ijs vero, quæ de repente fiunt, quæratur eodẽ modo, ut ſpectentur non indefinita, ſed inſita, de quibus oratio habetur, & comprehendantur plurima, ac rei proxima. Nam quò plura habeantur inſitorum, eò facilius eſt, vt res demonſtretur: quò uero propiora, & minus communia, eò magis proprium demonſtrationis. *Tenenda ſelecta.* *Plurima inſita, ac proxima.*

Dicimus autem communia, cum quis laudat Achillem, quòd homo ſit, & quòd ex ſemideis, & quòd ad Ilium militauerit: hæc enim etiam alijs in ſunt multis. Quare nõ magis iſte Achillẽ laudat, quàm Diomedem.

Propria uero, quæ nemini alij acciderunt, niſi Achilli, vt interfeciſſe Hectorem fortiſsimum Troianorum, & Cycnum, qui prohibebat omnes exſcendere, cum eſſet inuulnerabilis. & admodum iuuenem, ac iniuratum militaſſe, & quæcunq; alia eiuſmodi.

Ac vnus quidem locus ſelectionis eſt, & primus iſte Topicus.

DE LOCIS TOPICIS enthymematum.

Elemētum, & locus enthymematis idem.



Lementa vero enthymematum dicamus. dico autem idem elementum, & locum enthymematis. Ac prius dicamus, de quibus necessariū est prius dicere.

Enthymematum duæ species.

Sunt enim enthymematū duæ species. nam alia valent ad demonstrandum rem esse, aut non esse: alia ualent ad refutandum. & differunt, ut in Dialecticis Elenchus, & Syllogismus. Est autem enthymema, quod ualet ad demonstrandum, colligere ex confessis. quod uero valet ad refutandum, colligere ex inconfessis. Ac nobis quidem ferme de singulis formis vtilibus, & necessarijs habentur loci: selectæ enim sunt de vnoquoq; ꝓpositiones. Quare ex quibus locis oportet ducere enthymemata de bono, aut malo, aut honesto, aut turpi, aut iusto, aut iniusto, & de moribus, & affectibus, & habitibus, eodem modo nobis parati sunt prius loci. Iamuero alio modo in vniuersum de omnibus assumamus, & dicamus, adnotantes, tum qui ad refutandum, tum qui ad demonstrandum valeant. & eos, qui sunt apparentiū enthymematū, cum tamen enhymemata non sint, siquidem neq; syllogismi. Hæc cum fuerint demonstrata, de solutionib. & obiectionibus explicabimus, unde eas ducere oporteat ad enthymemata labefactanda.

Loci Topici, qui valēt ad demonstrandum.

1 Est autem unus quidem locus ex ijs, qui ualent ad demonstrandū, A contrarijs. oportet enim uidere, an contrariū contrario insit, an non insit, refu-

refutanti quidem,an non insit:cōfirmanti uero: an insit;ut temperanter agere bonum esse: intemperanter enim agere pernitiosum.

Aut quemadmodum in Messeniaca;si enim bellum caussa est præsentium malorum, pace oportet correctionem adhibere. *Alcidamas.*

Si enim ijs,qui inuiti male egerunt,iustum nō est irasci,neque etiā,si coactus aliquis benefecerit alicui,conueniens est gratiam habere.

At si inter mortales falsum dicere appositum est ad persuadendum, existimare oportet etiam contrarium, multa uera mortalibus euenire,quæ fide carent.

2 Alius ex similibus casib. Similiter enim oportet inesse, aut non inesse, quemadmodum, Non omne iustum bonum esse; alioquin etiam quod iuste: uerum iuste mori non eligendum.

3 Alius ab ijs, quæ conferuntur ad se inuicem.

Si enim in altero inest,vt honeste, & iuste fecerit, in altero etiam,ut passus sit.

Et, si ut iusserit,etiam ut fecerit.

Et quemadmodū publicanus Diomedon de vectigalibus.si enim uobis non est turpe vendere, neque nobis emere.

Et,si ei,qui passus est,accidit,ut honeste, & iuste passus sit, etiam ei, qui fecit. Et, si qui fecit, etiam qui passus est.

Licet uero in hoc captionē facere: si enim iuste necatus est,iuste passus est;verum fortasse non ā te. Quamobrem oportet cōsiderare separatim,an qui passus est, dignus fuerit, qui pateretur, & qui fecit, dignus fuerit,qui faceret. deinde uti in utram partem conuenerit: non nunquā enim differt hoc,& nihil prohibet,vt in Alcmęone Theodectis; Matrem tuam nemo mortalium

odio habebat? Affirmat uero reſpondens.

Sed diſtincte conſiderare oportet, Quærente vero Alpheſibœa, Quomodo? Aſſumens dixit; Necari quidem decreuerunt, verum me non interficere. & quemadmodum iudicium de Demoſthene, & ijs, qui interfecerunt Nicanorem. Quoniam enim iuſte necaſſe iudicati ſunt, exiſtimatus eſt iuſte necatus. Et de eo, qui Thebis necatus eſt, de quo mandatum eſt iudicium, Num dignus eſſet, qui moreretur, quaſi non iniuſtum eſſet mori, qui iuſte moreretur.

4 5 Alius à maiori, & minori, quemadmodum ſi neque dij omnia ſciunt, multo minus homines. Hoc autem eſt; Si cui magis ineſſe deberet, non ineſt, profecto neque cui minus. Illud autem, Proximum cædit, quicunque etiam patrem, ab eo eſt; Si quod minus ineſt, etiam quod magis ineſt, in utram partem oportebit demonſtrare, ſiue eſ-
6 ſe, ſiue non. Præterea, ſi neque magis, neq; minus. Vnde dictum eſt; Et tuus quidem miserandus pater, cum amiſerit filios; Oeneus autem non, cum amiſerit filium præſtantiſſimũ Græciæ.

Et, ſi nõ fecit iniuſte Theſeus, neq; Alexãder.

Et, ſi non Tyndaridæ, neque Alexander.

Et, ſi Patroclum Hector, etiam Achillem Alexander.

Et, ſi non alij artifices mali, neq; philoſophi.

Et, ſi non Imperatores mali, quòd ſæpe vincuntur, neque ſophiſtæ.

Et, ſi oportet priuatum veſtræ gloriæ curam habere, & uos Græcorum.

7 Alius in tẽpus intueri, ut Iphicrates fecit in ea oratione, quã habuit aduerſus Harmodium; ſi prius quam facerẽ, poſtulaſſem, vt ſtatua donarer, ſi feciſſem; mihi illam conceſſiſſetis;

nunc

hunc, cum fecerim, non concedetis? Ne igitur beneficium expectantes promittatis, beneficiò autem accepto denegetis.

Et rursus ut Thebani Philippo aditum darent in Atticam, si priusquam opem ferret cōtra Phocenses, postulasset, promisissent: absurdum est, si propter ea quia neglexit, & credidit, traijcere non permiserint.

8 Alius ex dictis secundum ipsorum mores aduersus eum, qui dixit. Eminet autem hic modus, quemadmodum in Teucro. Vsus est eo ipso Iphicrates contra Aristophontem, cum quæreret, num proditurus esset naues propter pecunias; isq; id negaret, Ergo tu Aristophon existens, non proderes: ego uero prodidi, existens Iphicrates? Oportet autem illum existimari iniuriosiorem: sin minus, ridiculum apparebit, si aduersus Aristidem accusantem hoc aliquis diceret: sed conuenit id in exiguam fidem accusatoris: Omnino enim accusans debet esse melior reo. Hoc igitur semper conuincendum est. In vniuersum autem absurdus ille est, qui obiurgat alios in ijs, quæ ipse faciat, aut facturus esset. vel suadet facere, quæ ipse non faciat, nec facturus esset.

9 Alius à definitione, in hunc modum, Dęmonium nihil est aliud, nisi Deus, aut Dei opus. Atqui quicunq; existimat Dei opus esse, hunc necesse est existimare etiam Deos esse.

Et vt Iphicrates, Generosissimum esse optimū. Etenim Harmodio, & Aristogitoni nihil prius extitit generosi, quàm generosi aliquid egissent. & se propinquiorem esse; Nam opera mea propinquiora sunt operibus Harmodij, & Aristogitonis, quàm tua.

Et, quemadmodum in Alexandro, omnes con fessuros esse non esse temperatos, qui vno corpore contenti non sint, quo perfruantur.

Et caussa, quamobrem negauit Socrates se iturum ad Archelaum. Dixit enim esse contumeliam non posse referre eum, qui accepit beneficium, perinde ac eum, qui maleficium: omnes.n. hi definitionem adhibentes, & assumentes prius, quid sit, syllogismo concludunt ea, de quibus dicunt.

10 Alius à quotupliciter, vt ĩ Topicis de eo recte.

11 Alius à diuisione, quemadmodum si omnes trium rerum caussa iniuriosi sunt; nempe aut huius caussa, aut huius, aut huius: & propter duas fieri non potest, ut fuerint iniuriosi: propter tertiam autem ne ipsi quidem dicunt.

12 Alius ab inductione, vt ex Peparethia; de liberis ubique mulieres verum discernunt: hoc enim Athenis Mantiæ oratori controuersanti de filio mater indicauit; hoc item Thebis, Ismenia, & Stilpone controuersantibus Dononis demonstrauit Ismeniæ filium; & ob id Thessaliscũ esse Ismeniæ existimarunt.

Et rursus ex lege Theodectis; Iis, qui male curarunt alienos equos, non committunt suos. Neque ijs, qui euerterunt alienas naues. Si igitur res similiter se habet in omnibus, neque ijs, qui male custodiuerunt alienam salutem, debemus uti ad nostram.

Et ut Alcidamas, quòd omnes honorant sapientes. Parij igitur Archilochum, quamuis male dicum honorarunt: & Chij Homerum, non existentem ciuem: & Mytilenæi Sapphonem, etiam existentem fœminam: & Lacedæmonij Chilonem in Senatorum numerum receperunt existen

tes

tes parum studiosi bonarum litterarum : & Itali Pythagoram, & Lampsaceni Anaxagoram, existẽtem peregrinum ,sepeliuerunt , & adhuc honorant.

Et Athenienses usi legibus Solonis felices fuerunt : & Lacedæmonij legibus Lycurgi : & Thebis,simul atque prȩsides philosophi electi sunt,felix illa ciuitas fuit.

13 Alius à iudicio de eodem,aut simili, aut contrario,maxime quidem,si omnes, & semper iudicarunt : sin minus,at saltem plurimi, aut sapientes,aut omnes,aut plurimi ,aut boni ,aut si ipsi iudicantes aliàs ita iudicarunt, aut quos ipsi approbant , aut contra quos iudicium esse non potest,,vt dominos , aut cõtra quos nõ est honestũ iudicare ut Deos , aut patrem , aut præceptorẽ.

ut in Mexidemidem dixit Autocles ;si seueris deabus honestum fuit in Areopago caussam dicere;cur Mexidemidi non erit ?

Aut quemadmodum Sappho, Mori malum esse : Dei enim sic iudicarunt ; alioquin mortui essent .

Aut quemadmodũ Aristippus , aduersus Platonem iactantius quiddam dicentem , vt putabat ; Atqui sodalis nôster,inquit,nihil eiusmodi, significans Socratem .

Et Hegesippus Delphis percunctatus Deum, qui prius Olympiæ oraculum habuerat, num ipsi eadem uiderentur, quæ patri , quasi turpe esset contraria dicere.

Et Helenã,ut Isocrates scripsit,uirtute præstantem fuisse : Theseus enim iudicauit .

Et Alexandrum , quem deæ iudicẽ elegerunt.

Et Euagoram , virtute præstantem fuisse , ut Isocrates ait, quia Conon , cum aduersa fortuna

vteretur, omnes alios omisit, & ad Euagorã venit.

14 Alius à partibus, ut in Topicis, Qualis motus animus? aut enim hic: aut hic. Exemplum ex Socratis Theodecte; Quale templum violauit, quos Deos non coluit ex ijs, quos ciuitas existimat?

15 Alius, quoniam in plurimis rebus accidit, ut sequatur eas aliquid boni, & mali, à consequẽti suadere, aut dissuadere, & accusare, aut defendere, & laudare, aut uituperare. ut eruditionẽ illud mali cõsequitur, ut ei inuideatur: illud vero boni, ut sapientẽ hoĩem reddat. Non igitur oportet erudiri, quia non oportet inuidiæ subijci. Oportet igitur erudiri, quia sapientem esse oportet. Iste locus est Callippi ars, quæ assumpsit & id, quod fieri potest, & alia, vt dictum est.

16 Alius, quando de duobus oppositis suadere, aut dissuadere oporteat, eodem, qui dictus est, modo, vti in utramq; partem. Differt autem, quòd ibi quidem quæuis opponuntur: hic vero contraria; vt sacerdos non sinebat filium cum populo agere: si enim inquit, iusta dicas, homines te odio habebunt: si vero iniusta, Dei. Immo oportet cum populo agere: si enim iniusta dicas, homines te amabunt: si vero iusta, Dei. Hoc autem est idem cum eo, quod dicitur; Oleum, & salem emere. Et hæc est inuersio, quando duorum contrariorum vtrique bonum, & malum cõsequens est, vt contraria sint utraque vtrisque.

17 Alius, quoniam non eadem laudant aperte, & occulte; sed aperte quidem iusta, & honesta maxime laudant; priuatim autem utilia magis uolunt: ex his conari alterum colligere; hic enim locus est potentissimus inter eos, qui sunt præter opinionem.

Alius

18 Alius ab eo,quòd contingit ex proportione, quemadmodum Iphicrates, cogentibus filium ipsius,qui erat iunior ætate,munus obire, quia magnus esset,dixit, si ex pueris,qui magni sunt, existimant uiros;ex viris, qui parui sunt, pueros esse constituent. Et Theodectes in lege, si ciues facitis stipēdiarios milites, vt Strabacem,& Charidemum propter probitatem, in exilium non pelletis ex stipendiariis militibus, qui nefarie se gesserunt.

19 Alius,si quod contingit,sit idem,etiam ea, ex quib.cōtingit,esse eadem; quemadmodum Xenophanes dicebat,similiter esse impios, qui asserūt Deos nasci, ac eos, qui dicunt mori: utroque enim modo contingit, non esse aliquando Deos. & omnino quod contingit ex utroque, assumere tanquam idem semper. Debetis autem iudicare non de Socrate, sed de professione,an oporteat philosophari. Et dare terram,atq; aquā nihil esse aliud, nisi seruire. Et participes esse communis pacis facere,quod imperatum est. Assumendum autem,utrum sit utile.

20 Alius ab eo, quòd non idem semper ipsi eligunt posterius,ac prius,sed è conuerso,ut hoc enthymema; si fugientes quidē pugnabamus,vt restitueremur; restituti fugiemus, ne pugnemus: aliquando .n. manere,ut pugnarent, elegerunt: aliquando uero pugnare,ut manerent.

21 Alius, si non factum sit id, cuius gratia sit, affirmare huius caussa esse, aut factum esse; quemadmodum siquis daret alicui, ut auferens molestus esset. unde & illud dictum est, Multis Fortuna non ex beneuolentia conferens magnas dat prosperitates,sed ut illi insigniores accipiant calamitates. Et illud ex Meleagro Antiphontis,

Non

Non ut occidant feram, sed ut testes fiant uirtutis Meleagri in Græcia. Et illud ex Aiace Theodectis, quòd Diomedes prælegerat Vlyssem non honoris caussa, sed ut haberet comitem se ipso minorem.

22 Alius, communis & controuersantibus, & cõsulentibus considerare, quæ suadeant, & dissuadeant, & quorum caussa & agant, & fugiant: hæc enim sunt, quæ si adsint, oportet agere; quemadmodum si fieri potest, & facile est, & vtile, aut ipsi, aut amicis aut pernitiosum inimicis, & noxiũ, aut minor noxa, quàm res. Et suadent quidem ex his, ac dissuadent ex contrarijs. Ex ijsdem autem his & accusant, & defendunt. Ex dissuadentibus quidem defendunt. Ex suadentib. vero accusant. Est autem locus iste tota ars tum Pamphili, tum Callippi.

23 Alius ab ijs, quæ fieri quidem videntur, sed fidem non habent; quòd ita visa non essent, si nõ essent, aut prope essent. & quòd magis: aut enim existentia, aut uerisimilia existimant. Si igitur incredibile, & non uerisimile, uerum erit. Non enim quia est verisimile, & appositum ad persuadendum, uidetur ita, ut Androcles Pitheus legem accusans dixit, cum obstreperent ipsi dicenti, Indigent leges lege corrigeñte: etenim pisces sale. Atqui neque verisimile, neque appositum ad fidem est, qui aluntur in salo, eos indigere sale. Et oliuæ oleo. Atqui incredibile est ex quibus oleum fit, ea oleo indigere.

Loci ad refutãdum appositi.

1 Alius, qui valet ad refutandum, Repugnantia considerare, si quid repugnans sit ex omnibus, & temporibus & actionib. & sermonibus separatim quidem in controuersantem in hunc modum, Et ait quidem se amare uos, sed conspirauit cum

Tri-

Triginta. Separatim uero in se ipso; Et ait me esse litigiosum, neque potest demõstrare, me intentasse iudicium ullum. Separatim uero in se ipso, & controuersante; Et hic quidem nihil unquam dedit mutuo: ego uero multos uestrum liberaui.

2 Alius in calumniam uocatis & hominibus & actionibus, quæ non existimentur, dicere caussam paradoxi. Est enim aliqua caussa, quamobrem appareat, quemadmodum, cum quædam affecta esset calumnia, propterea quòd suum ipsius filium complecteretur, uidebatur concumbere cum adolescente: dicta uero caussa, soluta est calumnia. & quemadmodum in Aiace Theodectis Vlysses dicit apud Aiacem, quamobrem cum fortior existat Aiace, non tamen uideatur.

3 Alius à caussa, & si existat esse, & si non existat, non esse. Simul enim sunt caussa, & cuius caussa; & sine caussa nihil est; ut Leodamas se defendens dicebat, accusante Thrasybulo, cum notatum esse infamia in arce, uerum abrasisse, dominantibus Triginta, Non contingit, inquit: magis enim credidissent mihi Triginta scripta inimicitia cum populo.

4 Alius considerare, num licuit melius, aut licet, quàm ea, quæ deliberat, aut agit, aut egit. Apparet enim, si ita se non habet, non egisse: nemo enim sponte mala, & sciens præeligit. Est autem hoc falsum: sæpe enim hoc fit posterius manifestum, quemadmodum esset melius agere: prius uero incertum.

5 Alius, simul considerare, quando aliquid agẽdum sit, cõtrarium ijs, quæ acta sunt; quemadmodum Xenophanes Eleatis rogantibus, num sacrificarent Leucotheæ, & lugerent, nec ne; consuluit,

luit, si existimarent deam, ne lugerent, si hominem ne sacrificarent.

6 Alius locus, ab ijs, in quib. peccatum est, accusare, aut defendere, queădmodum in Carcini Medea. Hi quidem accusant, quòd filios occiderit. neque enim eos apparere. peccauit enim Medea in filiorum missione. Illa uero se defendit, quòd non filios, sed Iasonem interfecisset. Hoc enim si non fecisset, peccasset, si mòdo alterum fecisset. Est autem locus iste, & enthymematis species tota prior Theodori ars.

7 Alius à nomine, ut Sophocles, Aperte ferrea, & ferens nomen. & ut in laudibus Deorum solent dicere. & ut Conon Thrasybulum nominabat vere Thrasybulum. & Herodicus Thrasymachum sic, semper Trhasymachus es. & Polum sic; semper tu Polus es. Et Draconem legumlatorem, quòd non hominis leges essent, sed draconis, quia aspere. & ut Euripidis Hecuba in Aphroditem, Ac nomen recte demẽtiæ initiũ deæ. & ut Cheremõ Pẽtheus futurę calamitatis nomẽ fert.

Quæ enthymemata magis probentur.

Probantur autem magis ex enthymematibus ea, quæ valent ad refutandum, quàm quæ ad demonstrandum: propterea quòd enthymema, quod ualet ad refutandum, est collectio contrariorum in angusto: quę vero iuxta se posita sunt, apparẽt magis. Ex omnibus autem tum qui ad refutandũ, tum qui ad demonstrandum ualent [syllogismis, perturbant maxime quæcunque sunt talia], ut cũ incipiunt proferri, ea auditores [prouideant, non ea de caussa, quia ipsa in promptu sint: simul enim & ipsi præsentientes gaudent sibi ipsis; & quæ eatenus subsequuntur, ut simul ipsi ea cognoscant, ac dicta fuerint.]

Quoniam aũt contingit, hunc quidem esse syl

logismum

ogiſmum, illum uero non eſſe, ſed apparere; neceſſe eſt etiam enthymema hoc quidem eſſe enthymema, illud uero non eſſe, ſed apparere, ſiquidem enthymema ſyllogiſmus eſt quidam.

Loci aūt ſunt apparentium anthymematum; *Loci apparentium enthymematū in dictione.*

1 Vnus quidē ī dictione. Atq; huius una pars eſt, ut in Dialecticis, cum quis nihil ſyllogiſmo concluſerit, in modum concluſionis extremū dicere. Non eſt hoc, & hoc. Neceſſe igitur eſt hoc, & hoc. Et in enthymematibus contorte, & oppoſite dicere, apparet enthymema. talis enim dictio cāpus eſt enthymematis, & tale uidetur eſſe à figura dictionis. Eſt autem utile ad dicendum ſyllogiſtica dictione, ſyllogiſmorum multorū capita dicere. Hos quidem ſeruauit: illos uero ultus eſt: Græcos autem in libertatem vēdicauit. horum enim unumquodq; ex aliis demonſtratum eſt. Atq; ex his coniunctis, aliquid confici apparet.

2 Altera uero pars eſt in homonymia, ut dicere uirtute præſtantem eſſe Myn, à quo honoratiſſima omnium feſtiuitas. Nam myſteria ſunt omniū honoratisſima feſtiuitas. Aut ſiquis canem encomio exornans, cœleſtem complectatur, aut Pana, quia Pindarus ait, ò beate, quem magnæ deæ canem uarium vocant Olympij. Aut nullum eſſe canem ualde inhonoratum eſſe. Quare canē eſſe, honoratum. & dicere cenomicum Mercurium eſſe maxime inter Deos: ſolus enim uocatur cenus Mercurius. Et logum eſſe rem præſtantiſſimam, quia boni uiri non pecunijs, ſed logo ſunt digni. logo enim eſſe dignum non ſimpliciter dicitur.

3 Alius, quod diſiunctum eſt coniungendo dicere, aut quod coniunctum eſt, diſiungendo: quoniā enim idem uidetur eſſe, cum ſæpe idem non exiſtat,

existat, vtrum vtilius erit, id oportet facere. Atq; hoc Euthydemi oratio est, quemadmodum scire triremem in pirӕeo esse, quia unũquodq; nouit. Et scientem elementa cognoscere carmen: idem enim carmen est. Et quia bis tantum morbosum est, neque vnum salubre esse affirmare: absurdum enim est, ut duo bona, vnum malum sit. Sic igitur ualet ad refutandum. ita vero ad demõstrandum: non enim unum bonum, duo sunt mala. Ac totus locus captiosus est. Rursus illud Polycratis in Trasybulum, Triginta tyrannos sustulit: coniungit enim. Aut illud in Oreste Theodectis: ex distinctione enim est. Iustum est, si quæ interficiat maritum, eam mori. & filium patrem vlcisci. Atque hæc facta sunt. Nam siquis coniunxerit, fortasse non æquum. erit etiam à defectione, quoniam tollitur à quo.

4 Alius locus est, cum indignatione confirmare, aut infirmare. Hoc uero est, quando quam rem non demonstrauerit factam esse, eam amplificet: efficit enim, vt non appareat, aut non fecisse, quando caussam dicens amplificat, aut fecisse, quando accusans irascitur. Non tamen est enthymema: decipitur enim auditor, quòd fecerit, aut non fecerit id;, quod demonstratum non est.

Loci enthymematum adumbratorum in re.

1 Alius à signo. neque enim hoc sub syllogismum cadit; quemadmodum siquis diceret, ciuitatibus prosunt amatores: Harmodij enim, & Aristogitonis amor euertit tyrannum Hipparchum. Aut siquis diceret, furem Dionysium esse, quia improbus. Nam neque hoc cadit sub syllogismum: non enim omnis improbus est fur.

2 Alius propter id, quod accidit; ut quod dicit Polycrates in mures, quòd opem tulissent, comedentes

dentes neruos, Aut siquis dicat, Ad cœnam uocari honorificentissimum: etenim quia non uocatus fuit Achilles, succēsuit Achiuis in Tenedo. At, quia non ęstimatus fuerat, succensuit. Accidit autem hoc ex eo, quia non uocatus fuit.

3 Alius à consequenti, ut in Alexandro, Magnanimū eum esse: nam contemnens multorum consuetudinem in Ida secum versatur. magnanimi enim eiusmodi sunt: Et quoniam se comit, & noctu uagatur, eum adulterum esse: adulteri.n. eiusmodi sunt. Similiter vero quia in templis mendici & cantant, & saltant, & quia exulibus licet habitare, vbi uolunt. quia enim iis, qui uidentur esse felices, hæc ipsa existunt, etiam ij, quibus existunt hæc, videbuntur esse felices. Differt autem, quomodo. Quamobrem & in defectionem cadit.

4 Alius à non caussa, quasi caussa; ut eò quòd simul, aut post eam factum sit: quòd enim est post eam, accipiunt, ut propter eam, & maxime qui sunt in Rebusp. ut Demades Demosthenis administrationem publicam omnium malorum caussam fuisse: post ęam enim accidit bellum.

5 Alius, cum deficit. Quando, & Quomodo; ut iuste Alexandrum rapuisse Helenam: quia optio ipsi data est à patre: non enim semper fortasse; sed primum, etenim pater eatenus fuit dominus. Aut siquis dicat, cædere liberos homines esse contumeliam, neque enim omnino: sed quando prior lacessiuit iniuria.

6 Præterea ut in Eristicis ab eo, quod est simpliciter, & non simpliciter, fit apparens syllogismus, sed quiddam. ut in Dialecticis, Esse; quod non est, quia id, quod non est, est id, quod non est. Et quod cognosci non potest, sciri posse,

quia

quia quod cognosci non potest, sciri potest, id cognosci non posse. sic etiam in Rhetoricis est apparens enthymema, ab eo, quod non simpliciter verisimile est, sed quiddam uerisimile, Atque hoc generale non est, ut & Agathon inquit. Fortasse aliquis verisimile esse dixerit, Mortalib. multa euenire non uerisimilia. Fit enim id, quod est præter uerisimile. Quare verisimile etiam est, quod præter uerisimile est. si autem hoc, quod non est uerisimile, erit uerisimile, non autem simpliciter, sed ut in Eristicis, nisi addantur secundum quid, & ad aliquid, & alicubi, patefaciunt uiam fallacijs. Etiam hic præter uerisimile est, non simpliciter, sed quoddam uerisimile. Constituta autē est ex hoc loco ars Coracis: si enim culpæ non sit obnoxius, quemadmodum si cum debilis existat de uerberatione arguatur, non est uerisimile, & si sit obnoxius, quemadmodum, si cum robustus existat, nec est quidem uerisimile, quia futurum erat, ut uideretur verisimile. Similiter uero etiam in alijs; aut enim culpæ obnoxium esse necesse est, aut non culpæ obnoxium. Ac apparent quidem ambo uerisimilia; uerum illud quidem est uerisimile: hoc uero non simpliciter, sed ut dictum est. Et hoc est inferiorem caussam facere superiorem. Atque hinc merito moleste ferebāt homines Protagoræ professionē.

Etenim falsum est, & non uerum, sed apparens uerisimile. & in nulla arte, nisi in Rhetorica, & Eristica.

Ac de enthymematibus quidem & existentib. & apparentibus dictum est.

DE

DE DISSOLVTIONIBVS Enthymematum.



E dissolutionibus autem consequens est iis, quæ dicta sunt, vt disputemus.

Licet uero dissoluere,

1 aut contra ratiocinando:

2 aut obiectionem afferendo.

1 Ac contra quidem ratiocinari manifestum est ex iisdem locis posse contingere: ratiocinationes enim ex probabilib. existunt: quæ aūt probātur, multa contraria inter se sunt.

2 Obiectiones uero afferuntur, ut etiam in Topicis, quattuor modis.

aut enim ab eodem
aut à simili,
aut à contrario,
aut à iudicatis

1 Dico ab eodem, quemadmodum si enthymema esset, amorē bonū eē, dupliciter obiici posset. aut enim in vniuersum dicendo, omnem indigentiam esse malum.

aut secundum partem, quia non diceretur Caunius amor, nisi existerent etiam amores mali.

2 A contrario obiectio affertur, quemadmodū si enthymema esset probum virum omnibus amicis bene facere. At neque improbus male.

3 A similibus. Si esset enthymema, qui malū acceperunt eos semper odio habere. At neque qui bonum acceperunt semper diligunt.

4 Iudicia existunt à claris uiris, quēadmodum siquis enthymema proferret, temulentis oportere veniā dare, quia ignorātes peccāt, obiectio ē, Nō

igitur Pittacus laudandus : non enim grauiores pœnas lege constituisset, si quis temulentus peccasset.

Enthymemata ducuntur ex quattuor

Et, quoniam ducuntur ex quattuor enthymemata, & hæc quattuor sunt

{ verisimile,
exemplum,
tecmerium,
signum;

1 & quæ colliguntur ex ijs, quæ plerunq; fiunt, aut existentibus, aut quæ uidentur existere, sunt à uerisimilibus.

2 Quæ ex inductione rei similis, aut unius, aut plurium, quando aliquis, qui assumpserit vniuersale, concludat, deinde id, quod est in parte, ab exemplo.

3 quæ ex necessario, atq; existente, à tecmerio:

4 quæ ab eo, quod est in uniuersum, aut ab eo, quod est in parte, siue existat, siue non, à signis: apparet talia enthymemata semper licere dissoluere, afferendo obiectionem. dissolutio autem apparens, & non uera semper erit.

1 Non enim soluit, qui obijcit uerisimile non esse, sed qui necessarium non esse. Quamobrem semper est meliore conditione, qui defendit, quàm qui accusat propter hanc captionem.

Quoniam enim accusans demonstrat ex uerisimilibus (non est autem idem dissoluere, aut uerisimile non esse, aut necessarium non esse) semper uero habet obiectionem id, quod plerumque est, non enim esset uerisimile, sed semper, ac necessarium; disceptator putat, si sic solutum sit, aut non esse uerisimile, aut non sibi iudicandum, cum decipiatur, ut dicebamus, non enim ex necessarijs solum oportet ipsum iudicare, sed etiam ex

ex verisimilib. hoc enim ē mēte optima iudicare. Non igitur sufficit, si soluerit, non necessarium esse, sed oportet soluere, verisimile non esse. hoc autem continget, si sit obiectio, frequētius fieri. Contingit autem esse talem duobus modis, aut tempore, aut rebus. potentissima autem est, si ab utrisque: si enim sæpius ita, id verisimilius est.

4 Soluentur autem signa, & quę à signo ducūtur enthymemata, etiam si existant, vt dictum est in superioribus: nullum enim signum sub syllogismum cadere manifestum est nobis ex Analyticis.

2 Ad exempla uero eadem dissolutio est, quæ ad uerisimilia: si enim habeamus aliquid, quod non sic euenerit, solutum est, quia non necessarium. & si plura, aut sæpius aliter euenerunt: si enim plura, & sæpius sic, pugnandum est, aut id, quo de agitur, non esse simile, aut non similiter, aut differentiam aliquam habere.

3 Tecmeria uero, & quæ tecmerijs constant enthymemata, dissoluere quidem non licet, eo quòd sub syllogismum non cadant (manifestum est autem etiàm hoc nobis ex Analyticis) sed relinquitur, ut ostendamus, non existere id, quod dicitur. Si uero appareat & existere, & tecmerium esse, iam hoc solui non potest. Iam enim omnia patefacta sunt demonstratione.

Amplificare autem, & diminuere, nō est enthymematis elementum (idem enim dico elementū, & locum; estque elementum, & locus, in quem multa enthymemata cadunt) sed amplificare, & diminuere sunt enthymemata ad demonstrandum magnum, aut paruum esse, quemadmodum etiam bonum, aut malum, aut iustum, aut iniustū

Amplificatio, & diminutio non sunt loci enthymematis

aut unumquodque aliorum. Hæc autem omnia sunt, in quib. Syllogismi, & enthymemata uersantur.

Quare si nullum horum est enthymematis locus, neque amplificare quidem, & diminuere.

Eadem vis enthymematum, quæ ualet ad soluendum, & quæ ad cōfirmandū.

Neque ea, quæ habent uim soluendi, enthymemata, diuersi generis sunt ab ijs, quæ habent vim confirmandi. Manifestum enim est, soluere eum, qui aut demonstrat, aut obiectionem affert. Sed contra demonstrat oppositum. quemadmodum si demonstrat, factum esse, iste non factum esse. sin autem non factum esse, iste factum esse. Quare nulla erit differentia; iisdem enim utuntur ambo: quia enim non est, aut est, enthymemata; afferūt. Obiectio autem non est enthymema; sed, quemadmodum in Topicis, dicere opinionem aliquam, ex qua erit manifestum, aut non esse syllogismo conclusum, aut falsi aliquid assumptum esse.

De exemplis quidem, & sententijs, & enthymematibus, & omnino ijs, quæ ad mētis conceptionem pertinent, & unde ijs abundabimus, & quomodo ea dissoluemus, dicta sint nobis tam multa. Reliquum est explicare, quæ pertinent ad elocutionem, & dispositionem.

Finis Libri Secundi.

ARISTOTELIS ARTIS RHETORICAE, ANTONIO RICCOBONO Interprete,

Liber Tertius.

DE ELOCVTIONE, ET SIMVL DE ACTIONE.



VONIAM tria sunt, quæ oportet præcipere de oratione; unum quidem, ex quibus ipsa fides existet: alterum uero de elocutione: tertium autem, quomodo conueniat ordinare partes orationis, ipsa quidem fides, dictum est, tum ex quot sit, quia ex tribus existit, & hæc cuiusmodi sit, & quamobrem hæc pauca: aut enim eo quòd ipsi aliquo modo affecti sint iudicantes: aut eo quia existiment cuiusdammodi dicentes: aut eo quòd demonstratum sit, omnes persuadentur. Dictũ uero est ẽt, enthymemata unde paranda sint. Nam existunt partim formę enthymematum, partim loci. De elocutione uero consequẽs est dicere. Nõ.n. sufficit habere, q̃ oportet dicere: sed necesse est ẽt *Tria de oratione præcipienda.*

hæc dicere,quemadmodum oportet, ualetq; multum ad id, ut is, qui dicit, cuiusdam modi appareat. Ac primum quidem quæsitum est secundū naturam, quod natura factum est primum, res ipsæ unde possint persuaderi. Alterum uero, quo modo eædem exponantur elocutione. Tertium autem, quod vim habet maximam, & nondum tentatum est, ea, quæ pertinent ad actionem. Nam in Tragicam, & Rhapsœdiam sero uenit. Agebant enim ipsas Tragœdias primum poetæ. Manifestum igitur est idem esse in Rhetorica, ac in Poetica, quod quidam alij tradiderūt, & Glauco Teius. Atque ipsa consistit in uoce, quemadmodum ea uti oporteat ad vnūquemq; affectum, ut quando magna, & quando parua, & quemadmodum tonis, ut acuto, & graui, & medio. & quibus rhithmis ad vnumquemq;. Tria enim sunt, de quibus considerant. & hæc sunt, magnitudo, concentus, rhithmus. Ac prœmia quidem ferme accipiunt isti ex certaminibus. Et, quemadmodum magis ualent actores, quàm poetæ; ita manifestum est idem euenire in ciuilibus certaminibus propter improbitatem Rerump. Nondum autem constat de ipsis ars, quoniam etiam id, quod pertinet ad elocutionem, sero prodijt. Et videtur esse res leuis, si recte existimetur. At, cum ad opinionem tota Rhetorica traditio existat, eius cura suscipienda est non tamquam rei recte se habentis, sed tamquam necessariæ. quoniam iustum est, nihil amplius quærere circa sermonē, quàm ut neque molestiam, neque iucunditatem afferamus. iustum enim est, ipsis decertare reb. Quare alia præter demonstrationem superuacanea sunt. uerum tamen multum ualent, ut dictum est, propter auditoris improbitatem.

Fides. *Elocutio.* *Actio.* *Tria considerantur in uoce.*

Atq; id quidē, quod pertinet ad elocutionē, habet non nullam paruam necessitatem in omni doctrina. interest enim quiddam ad declarandum, itane, an ita dicas. non tamen tantopere: sed omnia hæc phantasia existunt, & ad auditorem.

An elocutio necessaria.

Ac illa quidem cum prodibit, idem efficiet, atque histrionica. Conati autem sunt non nihil de ipsa dicere non nulli, ut Thrasymachus in Miserationibus.

Pauci quidam scripserunt de elocutione.

Naturæ autem est ualere ad actionem, ac magis expers artis. In elocutione uero ualet artificiū. Quamobrem oratoribus, qui huius facultatem habent, existunt rursus prœmia, quemadmodum etiam, qui actionis. Orationes enim, quæ scribuntur, plus ualent propter dictionem, quàm propter sententiam.

Confertur actio cum elocutione.

Ac cęperunt quidem poetæ mouere primum, ut natura tulit. nomina enim imitationes sunt. Existit uero etiam nobis uox, omnium partium aptissima ad imitationem. Quamobrem & artes constitutę sunt, tum rhapsœdia, tum histrionica, tum aliæ.

Quoniam uero poetæ dicentes inania, ex elocutione uidebantur hanc gloriam comparasse; propterea poetica prima extitit elocutio, ut Gorgię. Et nunc etiam multi eorum, qui ineruditi sunt, tales arbitrantur pulcherrime disputare. At non est ita. sed altera orationis: altera poesis est elocutio. Euentus autem id manifestum facit: Neq; enim facientes Tragœdias amplius utuntur eodē modo, sed quemadmodum ex Tetrametris ad Iambicum se contulerunt, quia inter alia metra hoc sermoni simillimū est, sic abiecerunt nomina, quæcunque sunt præter consuetudinem loquendi, & quibus primum ornabant, & adhuc etiam,

Elocutio oratoria diuersa est à poetica.

qui nunc exametra faciunt, abiecerunt. Quamobrem ridiculum est imitari eos, qui ipsi non amplius illo modo vtuntur. Quare apparet non omnia, quæcunque de elocutione licet dicere, exacte nobis esse explicanda, sed quæcunque de eiusmodi, qualem dicimus. de illa uero dictum est in iis, quæ sunt de Poetica.

DE VERBIS SIMPLICIBVS.

Elocutio debet esse perspicua, non humilis, nec elata.



Int ergo illa cogitata. & definita sit elocutionis virtus, vt perspicua sit. Signum enim est, quod oratio si non declaret, suum ipsius munus non obibit. & ut neque humilis, neq; supra dignitatem, sed decora. Nam poetica fortasse non humilis, sed nec decora quidem orationi.

Adhibenda propria, & immutata.

Ex nominib. autem, & uerbis perspicuã quidẽ efficiunt propria. nõ humilem uero, sed ornatam alia nomina, quæcunq; dicta sunt in præceptis de poetica. Cum enim immutatur, efficitur, ut grandior appareat: quemadmodum enim homines ad peregrinos & ad ciues, sic etiam ad elocutionem afficiuntur. Quamobrem oportet efficere peregrinum sermonẽ. admiratores enim sunt absentium. iucundum uero est admirabile. Ac in metris quidem & multa hoc faciunt, & conuenit illic facere. Plus enim excellunt res, & homines, de quibus habetur oratio: in nudis autem orationibus multo paucioribus uti licet; argumentũ enim inferius est. quoniam & ibi, si seruus ornate loqueretur, aut ualde iuuenis, minus decorum esset, aut si de admodum paruis. Sed est etiã in his quod contrahitur, & dilatatur.

Quam-

Quamobrem oportet latere, dum id facimus, & non uideri ficte dicere, sed naturaliter. hoc enim appositum est ad persuadendum: illud uero contrarium. Nam cauent tamquam ab insidiatore, quemadmodum à vinis permistis. & ut Theodori uox affecta est ad aliorum histrionum vocem: hæc enim dicentis videbatur esse: illæ uero alienæ. Bene autem occultatur, si quis ex solito sermone seligens componat; id quod Euripides facit, & ostendit primus. *Domestica*

Cum autem nomina, & verba sint ea, ex quib. oratio constat; & nomina tam multas habeant species, quàm multæ considerate sunt in præceptis de poesi: ex his quidem utendum est linguis, & duplicib. nominibus, & factis, raro, & pan cis in locis. ubi uero, posterius dicemus. dictum enim est, quamobrem. Nam in maius, quàm decet, immutant. *Insitata, duplicia, facta.*

Proprium autem, & domesticum, & translatio prosunt tantum ad elocutionem nudorum sermonum. Signū uero est, ꝙ his solis omnes utuntur. omnes enim translationib. loquuntur & domesticis, & proprijs. Quare manifestum est, si quis recte faciat, peregrinitatem fore, & posse latere, & perspicue dicere. hæc autem est uirtus oratoriæ orationis.

Ex nominibus uero sophistæ quidem homonymiæ sunt utiles. Nā circa has fraudē facit. poetæ uero synonymiæ. Dico autem & propria, & synonyma, ut & ire, & proficisci. hæc enim ambo & propria, & synonyma inuicem sunt. *Homonymia* *Sinonymiæ*

I Ac quid sit quidem unumquodq; horum, & quot species translationis, & quemadmodum ualeant potissimum translationes tum in poesi tum in orationibus dictum est, ut expon ebamus, in *De metaphora.*

in ijs,quæ de poetica conſcripta ſunt.

2 Tanto autem magis in orationibus oportet laborare de ipſis, quanto pauciora auxilia oratio habet, quàm metra.

3 Et perſpicuum, & iucundum, & peregrinum maxime habet translatio.

4 Et non licet accipere ipſam ab alio.

5 Oportet uero & epitheta, & translationes congruentes dicere. Atque hoc erit ex proportione.ſin minus indecorum apparebit, propterea quòd contraria iuxta ſe poſita maxime apparent. Sed oportet conſiderare,ut iuuenem decet purpura,ſic quid deceat ſenem. non enim eadem decet ueſtis.

6 Et ſi ornare uelis, à melioribus in genere translationem ducere. &,ſi uituperare, à peiorib.

Dico autem, ut, quoniam contraria ſunt in eodem genere, exponere mendicantem quidem precari, precantem uero mendicare. quia utrunque petitio eſt, id eſt,quod dicitur,facere.

quemadmodum & Iphicrates Calliam Matragyrtam, non daduchum. ille autem dixit. non eſſe ipſum initiatum.Non enim Matragyrtam appellaſſet,ſed daduchum.utrunque enim refertur ad deam. ſed illud honoratum. hoc non honoratum.

ideſt,qui p ſacris Magnæ Matris numos cogeret. qui in ſacris lampada geſtaret.

Ac alij quidem ſunt Dionyſij aſſentatores: ipſi uero ſe artifices uocant. ambo enim hæc translationes.illa inquinantium: hæc contra.

Ac alij ſunt prædones: ipſi uero ſe lucri factores nunc appellant,

Quamobrem licet dicere illum, qui iniuriam facit,peccare:illũ uero,qui peccat iniuriã facere.

Et eum, qui ſurripuit, & ſumpſiſſe, & populatum eſſe.

Illud

Illud autem, quod Telephus Euripidis inquit, indecorum, Remo imperare. Nam imperare maius est, quàm pro dignitate. Non igitur occultum est.

7 Est etiam in syllabis error, si non sint signa iucunda uocis, quemadmodum Dionisiyus Chalcheus in Elegis Clangorem Calliopes poesim; quia ambæ sunt uoces. mala autem translatio ex uocibus significationis expertibus.

8 Præterea uero non oportet longe, sed ex cognatis, & conformibus transferre innominata cum nomine. quod dictum manifestum sit cognatum esse, ut in ænigmate illo probato, Virum uidi igne æs uiro agglutinantem: innominata enim est affectio. est autem utrunque appositio quædam. Quare dixit agglutinationem cucurbitæ applicationem.

9 Et omnino ex probe factis ænigmatibus licet translationes elegantes assumere. Translationes enim faciunt ænigmata. Quare manifestum est bene translatum esse.

10 Et ab honestis. Honestas autem nominis, ut Licymnius dicit, posita est in sonis, & significato. Et turpitudo eodem modo præterea tertia honestas existit, quæ soluit sophisticam rationē. Non enim est ut dixit Bryson, Neminem turpiter dicere, siquidem idem significat hoc pro illo dicere, hoc enim est falsum. Nam est aliud alio magis propriū, & similius, & accommodatius ad ponendam rem ante oculos. præterea non similiter se habens significat hoc, & illud. Quare sic etiam aliud alio honestius, & pulchrius ponendum est. ambo enim honestum quidem, & turpe significant: sed non quatenus honestum, aut non quatenus turpe. aut hæc quidē: sed magis, & minus.

nus. Translationes autem hinc ducendæ ab honestis aut uoce, aut facultate, aut aspectu, aut alio aliquo sensu. Differt uero dicere exempli caussa roseodigitam auroram magis, quàm purpureodigitam, uel adhuc deterius rubrodigitam.

Epitheta. Et in epithetis licet appositiones fieri à malo, aut turpi, quemadmodum Matricida. & licet à meliori, ut patris uindex. Et Simonides cum ipsi paruum daret præmium is, qui mulab. uicerat, noluit carmen facere, quasi grauaretur carmen facere in semiasinas. Vbi uero idoneum dedit, cecinit, Saluete uolucrum filiæ equorum.

Diminutiua Et idem diminuere. Est autem diminutio, quæ minus reddit & malum, & bonum, ut Aristophanes cauillatur in Babylonijs pro auro aurulum, pro toga togulâ, pro conuicio aũt conuiciolum, & morbulum. oportet uero cauere, & tenere, atque obseruare modum in utroque.

Frigida elocutio. Frigora in quattuor rebus fiunt secundum elocutionem.

1 In duplicibus nominibus, ut Lycophron, Multiforme cœlum magniceruicæ terræ. & littus angustiuium. & ut Gorgias dicebat, Ptochomusus adulator, Praueiuros, & probeiuros, Et vt Alcidamas, Furore quidem animum repletum, igniuomum uero aspectum factum. Et Finiferentem putauit alacritatem ipsorum futuram. & Finiferentem suadelam orationum constituit. & Cœrulicolor maris solum: omnia enim hæc poetica apparent propter duplicationem. Ac vna quidem hæc caussa est.

2 Altera vero, uti linguis; vt Lycophron Xersem uirum Pelorium. Et Sciron Sinnis uir. Et Alcidamas, Athyrma poesi: Et naturę atasthaliam. Et mera animi ira exacutum.

Tertium

3 Tertium in epithetis aut longis, aut intēpestiuis, aut frequentib. adhibendis. In poesi n. decet dicere lac album. At in oratione partim indecora sunt: partim si sint nimia, arguunt, & manifestum reddunt, esse poesim: Et quoniam ipsa uti oportet; immutat enim consuetum, & peregrinā efficit elocutionem: saltē oportet intueri modū; quoniam maius malum facit, quàm si temere dicas. illa enim non habet, quod bene est: hæc vero habet quod male. Quamobrem Alcidamantis frigora apparent. non enim epithetis utitur, vt condimentis, sed ut cibis. sic crebris, & maioribus, & apertis.

quemadmodum non sudorem, sed humidum sudorem.

Nec ad Isthmia, sed ad Isthmiorum mercatum.

Et non leges, sed ciuitatum reginas leges.

Et non cursu, sed cursorio animi impetu.

Et non Museum, sed naturæ Museum cum accepisset.

Et tristem curam animi.

Et non gratiæ, sed popularis gratiæ opifex.

Et dispensator audientium uoluptatis.

Et non ramis, sed syluæ ramis occultauit.

Et non corpus uelauit, sed corporis pudorem.

Et repræsentatricem animi cupiditatem. Hoc autem simul & duplex, & epithetum est. Quare poema efficitur.

Et sic immensam improbitatis exuperantiam.

Quamobrē poetice dicentes cū indecoro ridiculū, & frigus immiscent, & obscurū propter loquacitatē. quod. n. cognoscenti inculcas, dissoluit perspicuum offusione obscuritatis. Homines

autem

autem duplicibus utuntur, quando aliquid sit sine nomine,& oratio facile iungi possit, ut diemterere Sed si multum sit,omnino poeticũ existit. Quamobrem utilissima res est duplex elocutio di thyrambis:isti enim pleni strepitus sunt. Linguæ autem Epicis:res enim grandis est, & superba. Translatio uero iambicis : his enim nunc utuntur,ut dictum est.

4 Efficitur præterea quartum frigus in translationibus. sunt enim translationes indecoræ, partim quidem propter ridiculum ; nã etiam comici utuntur translationibus, partim propter rem nimis grãdem, & Tragicam. Obscuræ autem, si longe petitæ, ut Gorgias, pallidas, & exangues res. Tu uero hæc turpiter seminasti,male autem metisti. nimis enim poeticum est. Et ut Alcidamas, Philosophiam propugnaculum legum. & Odysseam pulchrum humanæ uitæ speculum. & nullum tale athyrma poesi afferens. omnia enim hæc parum ualent ad fidem propter illa, quæ dicta sunt. Illud autem Gorgiæ in hirundinem, cum aduersus eum uolans residuum demisisset, optime inter Tragicos : inquit enim,Turpe sane ò Philomela. Aui enim,si fecisset, non turpe: uirgini uero turpe. recte igitur conuicium dixit, cõ memorans,quod fuit,non quod est.

Imago. Est uero etiam imago translatio : differt enim parum. Nam, cum inquit de Achille, Vtque leo ruit;imago est; cum autem, Leo ruit, translatio. Etenim,quia ambo fortes sunt, transferendo appellauit Leonem Achillem.

Vtilis uero etiam imago est in oratione: sed raro,cum poetica sit. eliciendæ autem sunt, quomodo translationes : nam sunt translationes in eo ipso,quod dictum est,differentes.

Ac

Ac imagines ſunt, ut quam Androtio in Idrieum, ſimilem eſſe canibus, qui ex uinculis ſoluti ſint : illi enim obuium mordent. & Idrieum ſolutum ex uinculis difficilem eſſe.

Et ut Theodamas aſſimilabat Archidamum Euxeno qui neſciebat Geometriam exercere. Et ex proportione. Eſt enim & Euxenus Archidamus Geometricus.

Et illud in Politia Platonis, qui mortuos ſpoliant, eos ſimiles eſſe canibus, qui lapides mordent, nec iacientes attingunt.

Et in populum, ſimilem eſſe nauclero robuſto quidem, ſed ſurdaſtro.

Et in uerſus poetarum, ſimiles eſſe uenuſtis ſine pulchritudine : illi enim, cum defloruerint, hi uero, cum diſſoluti ſunt, nō apparent ſimiles.

Et illa Periclis in Samios, ſimiles eſſe ipſos infantibus, qui manſum recipiunt, ſed plorātes.

Et in Bœotos, Similes eſſe ilicibus. ilices enim à ſe contundi : & Bœotos inter ſe pugnare.

Et Demoſthenes in populum, ſimilem eſſe nauſeantibus in nauibus.

Et ut Democrates aſſimilauit oratores nutricibus quæ manſum deglutientes ſaliua infantes inungunt.

Et ut Antiſthenes Cephiſodotum gracilem thuri aſſimilauit, quia dum conſumitur, iucunditatem affert.

Oēs enim has & ut imagines, & ut translationes licet dicere. Quare quæcunque probatæ fuerint, cum dictæ ſint tanquam translationes, manifeſtum eſt ipſas etiam imagines futuras. & imagines translationes rationes indigentes. ſemper uero oportet, translationem ex proportione referre etiam in alteram partem. & in iis, quæ

ciuſ-

eiusdem generis sunt, vt si poculum est scutum Dionysi, etiam scutum dici debet poculum Martis. Ac oratio quidem ex his constituitur.

DE VERBIS CONIVNCTIS.

Elocutio emendata.



S. T autem principium elocutionis, ut emendate loquamur. Atq; id positum est in quinq;.

1 Primum quidem in coniunctionibus, si quis reddiderit, prout naturam habent, vt inter se antecedant, & consequãtur. quemadmodum aliquę requirunt, ut Quidem, & & Ego quidem, requirit Vero, & Ille uero. Oportet autem, quoad meminerit, referre inter se, neq; longe separare, neque coniunctionem ante coniunctionem necessariam reddere: paucis. n. in locis conuenit. Ego uero, postquam mihi dixit, uenit enim Cleon rogans, atque obsecrans, profectus sum, cum assumpsissem illos; in his enim multæ ante reddendam coniunctionem redditæ sunt coniunctiones. Si uero multum interiectum est inter Profectus sum, obscurum est. Ac unum quidem, quod bene se habet, in coniunctionibus spectatur.

2 Alterum uero est, ut loquamur propriis nominibus, & non ambientibus.

3 Tertium, ut non ambiguis. Nisi quis contraria prælıgat. id quod faciunt, quando nihil habent, quod dicant, & simulant aliquid dicere: tales enim de industria hæc proferunt, ut Empedocles. Nam decipit circuitus, si multus existat, & afficiuntur auditores, ut uulgares inter ariolos, quando dicentibus ambigua annuunt.

Cræsus Halym penetrans magnam peruertet opum uim. Et quia omnino minor est error, per rei genera loquūtur arioli. Verbi gratia si quis in ludo paris, & imparis paria, aut imparia dicat magis, quàm quot habeat. & futurum esse, q̃ quando. Omnia igitur hæc similia sunt. Quare fugienda sunt, nisi alicuius eiusmodi rei gratia. *Herod. in Ci:. de diuin. lib. 2.*

4 Quartum, ut Protagoras genera nominum diuidebat in uirilia, & fœminina, & instrumenta. oportet enim reddere etiam hæc recte. Illa vero reuersa, & colloquuta discessit.

5 Quinctum in nominandis multis, & paucis, & vno recte. Illi uero reuersi verberarunt me.

1 Omnino autem oportet, quod scriptum est, facile legi, & proferri posse. Est uero idem, quod multæ coniunctiones non habent. Nec quæ nō facile est interpungere. vt quæ sunt Heracliti. Nam illa Heracliti interpungere operosum est. propterea quòd incertum est, utri adiaceat, posteriori ne, an priori, ut in principio ipsius libri. Inquit enim, Rationis huius existētis semper imperiti homines fiunt. Incertum enim est, illud Semper, vtri interpungendo adiungas.

2 Præterea ipsum nō reddere efficit solœcismū, si non adiūgas ambobus, quod conuenit, quemadmodum aut strepitum, aut calorem. videns quidem non est commune: sentiens vero commune.

3 Obscuritas autem est, si non præponendo dicas, in medio multa inculcaturus, vt Debebam enim, loquutus cum illo hæc, & hæc, & sic proficisci. non autem, Debebam enim loquutus proficisci. deinde hæc, & hæc, & sic facta sunt.

Ad tumorem elocutionis valent hæc; *Tumida elocutio.*

1 Oratiône uti pro nomine, ut non circulum, sed planiciem à medio æqualem: ad cōcisionem vero contrarium, pro oratione nomen. Et, si turpe, aut indecorum sit, si in oratione sit turpe, nomen dicere: si uero in nomine, orationem.

2 Et translationibus declarare, & epithetis, uitando id, quod poeticum est.

3 Et multa facere, quod poetæ faciunt. existente uno portu tamen dicunt, Portus in Achaicos & Tabulares multifores apertiones.

4 Et non coniungere, sed vtrique vtrunque adiungere. Huius mulieris, huius nostræ. si uero concise, contrarium, huius nostræ mulieris.

5 Et cum coniunctione dicere. Si vero concise, sine coniunctione non incōiūcta autem, vt Profectus, & Loquutus, Profectus Loquutus sum.

6 Et illud Antimachi utile, quæ non habet, dicere, ut ille facit in Teumesso; Est quidā uentosus paruus collis. augetur enim sic in infinitum. Atq; hoc tum in bonis, tum in malis valet, quod non habet, utro modo sit vtile. vnde etiam nomina poetæ dicunt. Sine chordis, & sine lyra concentum: quia ex priuantibus inferunt. Probatur autem hoc in translationibus, quod dictū est ex proportione, ut dicere tubam esse sine chordis concentum.

Decora elocutio.

Decorum autem habebit elocutio,

1 si sit tum affecta:

2 tum morata:

3 tum proportione respondens subiectis rebus.

3 Ac proportione respondet, si neque de amplis summisse dicatur, neque de tenuibus grauiter, neque tenue nomen ornatus consequatur: sin minus, comœdia apparet, ut facit Cleophon.

simi-

ſimiliter enim aliqua proferebat, ac ſi diceret, Veneranda ficus.

1 Affecta conſiſtit in eo, vt ſi contumelia ſit, irati elocutio ſit; ſi impia, & turpia ſint, indignabunde, & caute dicat. ſi laudabilia, admirabunde; ſi miſerabilia, humiliter; & aliis ſimiliter. perſuadet etiam rem domeſtica elocutio: capitur enim animus, quaſi ille vere dicat. quia in talibus ſic ſe habent. Quare arbitrantur etiamſi non ſe habeat ita, ut dicit orator, rem ita ſe habere. & ſimul afficitur is ſemper, qui audit, cum eo, qui affecte dicit, etiam ſi nihil dicat. Quamobrem multi tumultum excitantes auditores turbant.

2 Et morata ipſa eſt ex ſignis demõſtratio, quia conſequitur conueniens cuiq; generi, & habitui.

Dico autem genus ſecundum ætatem, ut puer,
aut uir, aut ſenex.
& mulier, aut uir.
& Laco, aut Theſſalus.

Habitus autem, ſecundum quos cuiuſdam modi in uita aliquis eſt: non enim ſecundum omnem habitum uitæ ſunt cuiuſdam modi. ſi igitur & nomina accommodata habitui dicat exprimet mores. Non enim eadem, neque eodem modo agricola, & eruditus loquitur.

1 Afficiuntur uero aliquantiſper auditores eo ipſo, quo affatim vtuntur ſcriptores orationũ; Quis autem non intelligit? Omnes ſciunt. Confitetur enim audiens pudore captus, ut eius particeps ſit, cuius & alij omnes.

2 Oportune autem, & non oportune vti, omnium formarum commune eſt. Medela uero eſt in omni exuperatione, quod uulgo dicitur. oportet enim ſe ipſum increpare. nam videtur

uerum esse, quoniam, quod facit, dicentem non latet.

3 Præterea non omnibus ex proportione respõdentibus uti oportet. Sic enim decipitur auditor. Dico autem, ut si nomina dura sint, non & voce, & uultu, & conuenientibus dicere sin minus, apparet, quid unũquodque sit. sin autem hoc quidem, illud uero non, latens idem efficit. Si igitur mollia duriter, & dura molliter dicantur, fit minus appositum ad persuadendum.

2 Nomina autem epitheta, & duplicia plura, & peregrina maxime cõueniunt dicenti affecte: venia enim datur irato, si dicat malum Cœliuagum, aut pelorium.

Et quando iam teneat auditores, & ad furorẽ traxerit, aut laudibus, aut uituperationibus, aut ira, aut amicitia, ut etiam Isocrates facit in Panegyrico ad extremum; Famam autem, & memoriam. Et, Qui tolerarunt oculis spectare. Loquuntur enim talia furore perciti. Quare etiam recipere eodem modo se habentes manifestum est. Quamobrem & poesi conueniunt. diuina enim res est poesis. aut igitur sic oportet, aut cum ironia, ut Gorgias fecit, & illa in Phædro.

Elocutio nu merosa. Elocutionis autem figuram oportet neque metri cõpotem esse, neque rhythmi expertem. illud enim minus appositum est ad persuadendum: nam fictum uidetur esse, & simul etiam auocat, siquidem facit, ut attendatur, quando simile iterum reuertetur. Vt igitur præcones præoccupant pueri, quem eligat patronum is, qui manumittitur, Cleonem. Quod autem sine rhythmo est, sine termino est. oportet uero terminari; sed non metro. iniucundum

enim

enim est, & non accommodatum cognitioni. Terminantur autem numero omnia. rhythmus uero figuræ elocutionis numerûs est, cuius etiam metra segmenta sunt. Quamobrem rhythmum oportet habere orationem, metrum autem nequaquam: alioquin poema erit. Neque uero rhythmum exquisite. Id autem fiet, si quadamtenus sit.

Ex rhythmis uero herous grandis; & dictioni accommodatus, & indigens harmoniæ. Iambus autem ipsa multitudinis elocutio est. Quam obrem maxime omnium metrorum dicentes effundunt iambica. At oportet grandiorem effici, & excitari.

Trochæus cordacior est. id manifestum faciũt Tetrametra: sunt enim Tetrametra uolubilis rhythmus,

Relinquitur pæan, quo usi sunt, incipientes à Thrasymacho. minime uero potuerunt dicere qui nam esset. Tertius autem est pœan, & iis, qui dicti sunt, coniunctus. ac tria ad duo est. Ex ijs ille quidem unum ad vnum: hic uero duo ad vnum. Coniuncta est his rationibus sesquialtera. Atque hic est pæan.

Ac alij quidem & ob ea, quæ dicta sunt, abijciendi, & propterea quia metrici: pæan uero sumendus: ex solo enim eorum, qui dicti sunt, rhythmorum non existit metrum, ut maxime lateat. Nunc igitur quidem utuntur uno pæane etiam incipientes. oportet uero differre finem à principio. Ac pæanis duæ species inter se oppositæ, quarum una quidem principio conuenit, ut etiam utuntur; iste uero est, quem incipit longa, ac terminant tres breues. Delogena, siue Lyciam. & Auricome ò Hecate, nate Iouis.

te Iouis.

Alter vero contra, quem breues incipiũt tres, ac longa terminat. Humum,& aquam, Oceanum & occuluit horrifera nox. iste autem finem efficit: breuis enim, proptereaquòd imperfecta existit, mutilum facit. Sed oportet in longa amputari,& manifestum esse finem, non per librarium, neque per paragraphen, sed per rhythmum. Ac elocutionem quidem oportere esse numerosam, & non expertem rhythmi, & qui rhythmi numerosam efficiant, & quomodo se habentes, dictum est.

Elocutio aut fusa, aut uersa.

Necesse autem est elocutionem esse aut fusam, & vinculo unam, vt in dithyrambis dilationes: aut uersam, & similem conuersionibus ueterum poetarum.

Ac fusa quidem elocutio prisca est, Herodoti Thurij hæc est historiæ expositio. Hac enim primum omnes, nunc uero non multi utuntur. Dico autem fusam, quæ nullum habet finem per se, nisi res, quæ dicitur, terminetur. est autem iniucunda propter infinitatem: finem enim omnes uolunt intueri. Quamobrem etiam cursores in flexionibus anhelant, & deficiunt. videntes autem terminum, non laborant prius. Atque hæc quidem est elocutio fusa.

Versa autem est, quæ habet periodos. Dico uero periodum, elocutionem habentem principiũ, & finem per se, & magnitudinem facilem conspectu. Iucunda autem eiusmodi est, & quæ facile percipi potest; iucunda quidẽ, proptereaquòd contrario modo se habet, ac interminatum; & quia semper aliquid se habere arbitratur auditor, eò quòd semper ipsi aliquid terminatum sit. Illud autem nihil præsentire esse, neque aperire,

iniucundum est. Facilis uero ad percipiendum, quòd facile memoria retineri potest. idque, quiã numerum habet in periodis elocutio, qui omnium est aptissimus ad memoriam. Quamobrē & metra omnes magis recordãtur, quàm soluta: numerum enim habent, quo mensurantur.

Oportet uero etiam periodum sententia terminari, neque abrumpi, ut Sophoclis iambica, Calydon quidem hæc terrã Pelopei soli. contrarium enim licet existimare, quàm si diuidatur, vt & in eo, quod dictum est, Calydona esse Peloponnesi.

Periodus autem una quidem in colis est: altera uero simplex. Est in colis quidem dictio perfecta, & distincta, & quæ facile spiritu comprehē ditur. non in dictione, ut & quæ dicta est periodus, sed tota. Colum uero est altera pars eius. simplicem autem uoco vnimembrem.

Oportet autem & cola, & periodos neque mutilas esse, neque longas. pusillum enim hærere sępe facit auditorem. Necesse enim est, quoties adhuc tendens ad id, quod ultra est, & ad modũ termini, quem in se ipso habet, retrahitur, quodammodo fieri offensionem propter repulsionē. Longa uero efficiunt, ut deficiat, quemadmodũ se conuertentes ultra terminum, derelinquũt. n. & isti simul deambulantes. Similiter uero & periodi existentes longæ oratio fit; & simile anabolæ. Quare fit, quod iocatus est Democritus Chius in Menalippidem, qui fecerat pro antistrophis anabolam. Nempe sibi mala fabricans vir, alteri mala fabricans. Longa uero anabola ei, qui fecit, pessima. Conuenit enim tale etiam dicere in eos, qui longis colis utuntur. Quæ vero nimis breuia cola habent, non sunt periodi,

in præceps igitur agunt auditorem.

Elocutio autem, quæ est in colis, una quidem distincta est: altera uero opposita; Distincta quidem, ut Admiratus sum sæpenumero, qui coegerunt conciliabula, & instituerunt gymnica certamina. opposita uero, in qua in utroque colo aut cum contrario contrarium componitur, aut idem iungitur contrarijs in hunc modũ;

1 Vtrisque autem profuerunt & qui remanserunt, & qui sequuti sunt. illis enim plura ijs, quæ domi essent, acquisiuerunt: his uero satis eorum, quæ domi essent, reliquerunt. Contraria mansioni consecutio, ei, quod satis est, id, quod plus est.

2 Quare & pecuniarum indigentibus, & uolentibus frui, possessioni fruitio opponitur.

3 Et præterea contingit sæpe in his & prudentes aduersa fortuna uti, & ĩprudẽtes recte agere.

4 Statim quidem obtinuerunt præmia fortium. non multo uero post imperium maris assumpserunt.

5 Nauigasse quidem per terram: ambulasse uero per mare.

6 Cum Hellespontum quidem iunxisset, Athon uero perfodisset.

7 Et natura ciues existentes per legem ciuitate priuari.

8 Alij enim ipsorum male perierunt: alij vero turpiter seruati sunt.

9 Ac priuatim quidem barbaris seruis vti. pulchre uero multos ex socijs despicere seruientes.

10 Aut habituros uiuentes, aut mortuos relicturos.

11 Et quod in Pitholaum quidam dixit, & Lycophronẽ in iudicio; Isti aũt uos domi existẽtes uẽdebant. profecti uero ad uos uenditi sunt.

Omnia

Omnia enim hæc efficiunt id, quod dictum est. Ac iucunda est eiusmodi elocutio,

1 quia contraria notissima, & iuxta se posita notiora sunt.

2 & quia uidentur similia syllogismo: elenchus enim est collectio oppositorum. Atque eiusmodi quidem est oppositio.

Compar uero, si sint æqualia cola.

Et assimilatio, si similes exitus habeant utraque ex colis. Necesse uero est habere aut in principio, aut in fine.

Ac principium quidem semper nomina.

Finis uero extremas syllabas.

Aut eiusdem nominis casus.

Aut idem nomen.

In principio quidem sic; Agrum enim accepit ægrum ab eo.

Placati donis, pacatique ore fuerunt.

In fine autem; Non putarunt ipsum puerum peperisse, sed eius caussam extitisse.

In cura quidem plurima, in spe uero minima.

Casus autem eiusdem, Dignus uero, qui statuam habeat æream, non existens dignus ære.

Idem uero nomen, Tu illi, cum uiueret, dicebas male, & nunc scribis male.

A syllaba autem, Quidnam passus esses malũ, si hominem uidisses ignauum.

Ac licet simul omnia idem habere, & idem esse oppositionem, & compar, & similiter desinens.

Principia uero periodorum ferme in Theodectij enumerata sunt.

Sunt vero etiã falsæ oppositiones, quales faciebat Epicharmus. Interdum enim cum illis ego eram, interdum uero apud illos ego.

Iam,

Vrbana elocutio.

Iam, quoniam de his explicatum est, dicendũ est, unde ducantur urbana, & quæ dicta probentur. Ac fingere quidem est ingeniosi, aut exercitari: demonstrare uero methodi huius.

Dicamus igitur, & enumeremus. Et principium hoc nobis erit, quòd facile discere omnibus natura iucundum est. Nomina uero significant aliquid. Quare quæcunque ex nominibus efficiunt, ut discamus, iucundissima sunt. Ac linguæ quidem incognitæ, propria uero scimus. Translatio autem facit hoc maxime. Cum enim dixit senectutem stipulam, fecit, ut disceremus & cognosceremus ex genere. ambo enim defloruerunt. Ac faciunt quidem idem etiam poetarum imagines. Quamobrem si recte adhibeantur urbanum apparet. Est enim imago, quemadmodum dictum est prius, translatio differẽs adiũctione. Itaque minus iucunda, quia longior, & non dicit hoc illud esse. Verum neque hoc quærit animus.

Iam necesse est & elocutionem, & enthymemata ea esse urbana, quæcunque faciunt, ut discamus celeriter. Quamobrem neque eminentia enthymemata probantur (eminentia uero dicimus omnibus nota, & quæ non oportet scrutari) neque quæcunque dicta ignorantur. sed quorũ aut simul dictorum cognitio fit, etiam si prius non existeret, aut paullo post sequitur mentis agitatio. fit enim tamquam perceptio. illo uero modo neutrum. Ac secundum quidem sententiam eius, quod dicitur, talia enthymemata probantur.

Secundum elocutionem uero in figura quidẽ, si opposite dicatur in hunc modum; Et existimãtibus. pacem communem alijs, suis vero pri-

uatis

uatis rebus bellum. Opponitur enim bellum paci. Nominibus uero, si habeant translationem, & eam neque alienam: difficile enim contueri. neque eminentem: non enim facit affectum. Præterea si ante oculos ponant: cernere enim oportet, quæ aguntur magis, quàm quæ futura sunt. Præterea oportet tria hæc spectare, translationem, oppositionem, actum.

Tres loci urbanorum in dicto.

Cum autem translationes quattuor existant, probantur maxime, quæ sunt ex proportione.

1 quemadmodum Pericles dixit, iuuentutem mortuam in bello sic sublatam esse ex ciuitate, ut siquis Ver ex anno tolleret.

2 Et Leptines de Lacedæmonijs, Non oportere pati, ut Græciæ alter oculus erueretur.

3 Et Cephisodotus, studente Charete rationes reddere, de Olynthiaco bello, ægre tulit, cum diceret, in furno populum habentem rationes conari reddere.

4 Et cohortans aliquando Athenienses, ut frumentatum irent in Eubœam, dixit, oportere exire Miltiadis decretum.

5 Et Iphicrates, cum percussissent fœdus Athenienses cum Epidauro, maritimaq; ora, moleste tulit, dicens, ipsos belli uiatica sustulisse.

6 Et Pitholaus Paralum clauam populi.

7 Sestum uero cellam frumentariam Piræei.

8 Et Pericles, Aeginam iubebat tollere, lippitudinem Piræei.

9 Et Merocles dixit, se illo nihilo nequiorem esse, cum quendam nominasset, ex probis. illum enim in tribus tocis improbum esse, se in decē.

10 Et Alexandridæ iambicum, de filiabus cunctantibus nubere. Legitimum diem transgressæ mihi nuptiarum uirgines.

Et

11 Et illud Polycucti in apoplectiκum quendam Speusippum, Eum non posse quietem agere à fortuna in Peniesyringo morbo colligatum.
12 Et Cephisodotus, triremes appellabat pistrina uaria.
13 Canis autem cauponas Attica Phiditia.
14 Aesion uero, Effudisse ciuitatem in Siciliam: hoc enim translatum, & ante oculos.
15 Et Vsqueadeo, ut clamarit Gręcia. & hoc ante oculos quodammodo, & translatio.
16 Et Cephisodotus cauere iubebat, ut multas facerent conflictiones ipsas conciones.
17 Et Isocrates, ad eos, qui simul currunt, ad mercatus.
18 Et ut in oratione funebri, Quamobrem æquum erat, in sepulcro eorum, qui in Salamine occubuerunt, tonderi Græciam, tamquam simul sepulta cum uirtute ipsorum libertate: si enim dixisset, æquum esse lacrymare, sepulta simul uirtute, translatio esset, & ante oculos. At illud libertate cum uirtute, oppositionem aliquam habet.
19 Et Iphicrates dixit, Via enim mihi orationum est per medias res gestas à Charete. Translatio ex proportione. & illud per medias, ante oculos ponit.
20 Et dicere, Aduocare pericula periculis auxiliantia, ante oculos translatio.
21 Et Lycoleon pro Chabria, Neque supplicem reuerentes ipsius imaginem æneam. Translatio enim in præsenti, sed non semper, uerum ante oculos. periclitantibus enim ipsis supplicat statua. Iam inanimatum animatum.
22 Monumentum operum ciuitatis.
23 Et quoquomodo meditantes semper, parua sapere:

ſapere : meditari enim eſt quiddam augere.
24 Et mentem Deum lumen accendiſſe in animo : ambo enim illuminant aliquid.
25 Non enim diſſoluimus bella, ſed differimus: ambo enim ſunt futura & dilatio, & eiuſmodi pax.
26 Et pactiones dicere trophæum eſſe multo præclarius, quàm quæ in bellis fiunt : hæc enim pro paruo, & una fortuna : illa uero pro toto bello : ambo enim ſigna victoriæ
27 Et ciuitates uituperatione hominum magnas pęnas dare : nam pœna eſt damnum quoddam iuſtum.

Ac urbana quidem ex translatione proportionis duci, & ipſa ante oculos poſitione, dictum eſt.

Exponendum eſt. autem, quid dicamus ante oculos, & quo ſeruando id fiat. Dico igitur ea ponere ante oculos, quæcunque agentia ſignificant, vt bonum uirum dicere eſſe quadratum, translatio eſt : ambo enim perfecta : ſed non ſignificant actum : uerum illud, Qui florentem habet uigorem, actus & illud, Te uero tamquam aphetum, actus. & Hinc Græci concitati pedibus. Illud Concitati, actus, & translatio. & ut uſus eſt Homerus multis in locis, dicendo inanimata animata per translationē. In omnib. autē conformare actu probatur;ut in his, Iterum autē ad ima uoluebatur lapis impudēs. Et Euolauit ſagitta. Et Attingere cupiens. Et In terra ſtabant, cupientia corpore ſaturari. Et, Cuſpis autem pectus penetrauit, ſanguinis auida. In omnibus enim his, propterea quia animata ſunt, apparent agentia.

Eurip. Iph. *Lib.* 11. *Odyſſ.* *Lib.* 10. *Il.* *Lib.* 11. *Lib.* 12.

Nam

Nam esse impudentem, & esse auidum, & alia, actus. Hæc autem applicuit ex proportione translationis. Vt enim se habet lapis ad sisyphum, sic impudens ad id, cuius ipsum non pudet. Facit autem hęc & in imaginibus, quæ probantur, in rebus inanimatis. Curuæ albescentes nunc hinc, nunc inde recurrunt: facit enim, vt omnes moueantur, & uiuant: actus autem imitatio est.

Ac oportet transferre, quemadmodum dictum est prius, à proprijs, & minime apertis, vt etiam in philosophia simile in longe distantibus. cernere solertis est, quemadmodum dixit Archytas, idem esse arbitrum, & aram: ad utrunque enim, quod iniuriam accepit, confugit. Aut siquis diceret, anchoram, & cremastram idem esse: ambo enim aliquid idem faciunt. Sed differunt eo, quòd alterum superne, alterum inferne pendet. Et illud, Adęquatas esse ciuitates in longe distantibus. idem æquale in superficie, & opibus. sunt autem & vrbana plurima ex translatione.

Et à præcedenti deceptione: magis enim fit manifestum ipsum didicisse; & uidetur dicere animus, quàm uere; ego autem errabam.

Quartus locus urbanorum in dicto.

Et ex apophthegmatibus, quæ urbana sunt, ex eo existunt, quia non dicunt, quod inquit, ut illud Stesichori; Cicadas apud se humi cantaturas.

Quinctus.

Et quæ bene in modum ænigmatis formata sunt, iucunda existunt propter idem. perceptio enim fit, & dicitur translatio.

Sextus.

Et, quod dicit Theodorus, noua dicere. fit autem, quoties præter opinionem fit, & non, ut ille dicit, ad priorem opinionem, sed ut in ridiculis, leuiter immutata. Quod valent etiam sales ab annominatione: errorem enim obijciunt etiam in

Septimus.

in metris. Neque enim, ut audiens existimabat. Ingrediebatur autem habens sub pedibus pernionec. ille uero putauit dicturam calciamẽta. Atque hoc simul ac dictum est, oportet manifestum esse. Annominationes àutem faciunt, ut dicat, non quòd inquit, sed quod inuertit nomen, vt illud Theodori in Niconem citharędum θράττει σε. Simulat enim dicere Conturbat te, & decipit: aliud enim dicit. Quamobrem discenti iucundum. quoniam si non existimet, Thracem esse, non uidebitur urbanum esse. Et illud, vis illum πέρσαι. oportet autem utrunque conueniẽter esse prolatum.

Sic autem etiam vrbana, ut dicere Athieniensibus maris ἀρχήν, non ἀρχήν esse malorum. quæstum enim facere. Aut, quemadmodum Isocrates, ἀρχήν ciuitati ἀρχήν esse malorum: vtroque enim modo, quod non putasset aliquis dictum, id dictum est. & uerum esse cognitum est: ἀρχήν enim dicere ἀρχήν esse sapientis non est. Sed non sic dicit, & ἀρχήν non quod dixerat, negat, uerum aliter. Atque in omnib. his si conuenienter nomen intulerit, homonymia, aut metaphora, tunc bene se habet, ut Anaschetus, non ἀνασχετός, homonymiam negauit. sed conuenienter, si semper bis. Et non eris magis, quàm te oportet hospes hospes. ant non magis, quàm te oportet. Idem. Et non oportet hospitem semper hospitem esse. alienum enim & hoc. Idem etiam ualet celebre illud dictum Anaxandridæ; Honestum est mori priusquam agat aliquid dignum morte. Idem enim est, ac dicere, Dignum est mori, non existentem dignum, qui moriatur. Aut dignum mori non existentem morte dignum. Octauus.

Aut

Aut non facientem morte digna. Ac forma quidem eadem elocutionis horum. uerum quò breuius, & oppositius prolata, eò probatur magis. Caussa autem est. quòd perceptio existit magis. proptereaquòd opponatur. at propter exiguitatem celerius fit. Oportet autem adesse semper aut eum, in quem dicitur, aut rectam dictionem, si quod dicitur verum, aut non inane futurum est: licet enim hæc separatim habere; ut mori oportet nihil peccantem: sed non urbanum. Dignam oportet ducere dignum: sed non urbanum: verum si simul utrunque habeat. Dignum enim mori non existentem dignum mori. Ceterum quò plura habeat, eò urbanius apparet, ut si nomina sint translatio, & translatio eiusmodi, & oppositio, & compar, & habeat actum.

Nouus. Iamuero imagines, ut dictum est etiam in superioribus semper probatæ quodammodo trãslationes sunt: semper enim ex duob. ducuntur, ut proportionis translatio, quemadmodum dicimus, scutum poculum est Martis, & arcus cithara sine chordis. Ac sic quidem si dicant, non est simplex. Dicere autem arcum citharã, aut scutum poculum, simplex, Et assimilant etiã sic, ut Simiæ tibicinem, lucernæ stillanti luscio sum: ambo enim contrahuntur. Bene autem se habet, cum translatio inest. licet enim assimilare scutum poculo Martis. Et parietinas panno domus. Et Niceratum dicere Philoctetem esse morsum à Pratye. ut assimilauit Thrasymachus videns Niceratum superatum à Pratye in rhapsodia, sed alentem comam, & sordidatum adhuc. In quibus maxime exploduntur poetæ, si minus recte egerint, etiam si probentur,

Dico

Dico autem, quoties ita reddunt; Vt apium distorta crura gerit. Vt Philammon sub iugo contendens cum Coryco. & talia omnia imagines sunt. Imagines autem translationes esse, dictum est sæpe.

Et prouerbia translationes à specie ad speciē sunt, vt si quis quasi id, quod bonum est, capturus, ipsum inuehat, deinde damnum accipiat, vt Carpathius inquit, leporem. Ambo enim, quod dictum est, passi sunt. Ac unde quidem urbana ducantur, & quamobrem ferme dicta est caussa. *Decimus.*

Sunt autem etiam probatę superlationes translationes, ut in sugillatum; Putassetis enim ipsum esse mororum calathum: rubrum enim sugillatum: sed nimium admodum. Illud autem, Vt id, & id, superlatio est, locutione differens, Vt Philammon sub iugo decertans cum Coryco. Existimassetis autem ipsum Philammonem esse decertantem cum Coryco. Vt apium distorta crura ferre, Putabam autem non crura, sed apia habere, sic distorta sunt. Superlationes uero pueriles sunt: vehementius enim aperiunt. Quamobrem, qui irascuntur, dicunt eas maxime. Non si mihi tot det, quot arena, & puluis, filiam ducam Agamemnonis Atridæ. Neque si cum aurea Venere pulchritudine contendat, operibus uero cum Minerua: Vtuntur autem hac maxime Attici oratores. Quamobrem senibus dicere, indecorum. *Vndecimus.* *Lib. 9. Il.*

1 Neque vero latere oportet, aliam unicuique generi conuenire elocutionem. Non enim eadem scriptionis, & contentionis existit. Neque concionis, & iudicij, utrāque autem scire *Enocutio cō ueiens.*

necesse est. illud enim est scire emendate loqui: hoc uero non cogi silere, siquid uelit communicare cum alijs. quod patiuntur illi, qui nesciunt scribere.

2 Est autẽ elocutio scriptionis exactissima. contentionis uero cũ actione maxime coniuncta. Huius autem duæ species; morata una: affecta altera. Quamobrem & actores talia ex fabulis sequuntur, & poetæ tales.

3 Versantur uero in manibus qui leguntur, ut Chæremon: accuratus enim, ut orationum scriptor; & Licymnius inter dithyrambicos. Et, si inter se comparentur, quæ orationes scriptorum sunt, in contentionibus angustæ apparent: quæ oratorũ bene habitæ, uulgares in manibus. caussa autẽ est, quod in contentione conueniunt. Quamobrem quæ actione ualent, ablata actione, non obeuntia munus suum, apparent insulsa, ut & dissoluta.

4 Et sępe idem dicere in scriptione recte repudiatur: in contentione uero etiam oratores usurpãt: id enim actione ualet. Necesse uero est immutare idem dicentes; quod uiam facit actioni. Iste autem est, qui uos expilauit. Iste est, qui uos decepit. Iste est, qui postremum prodere conatus est. ut & Philemmon histrio fecit in Anaxandridæ Gerõtomania, quando loquitur Radamanthus, & Palamedes. Et in prologo Piorum, in illo, Ego. siquis enim hęc actione nõ adiuuet, fit ille, qui trabem gestat, Et dissoluta eodem modo, Veni, Occurri, Rogaui. necesse enim est actione adiuuare. neque dicere, quemadmodum, qui unum dicit, ijsdem moribus, & tono. Præterea habent aliquid proprij dissoluta. in æquali enim tempore multa uidentur dicta esse. coniunctio enim unum facit multa.

multa. Quare si ea auferatur, manifestũ estècontra unum multa fore. igitur habet amplificationem. Veni, narraui, supplicaui. multa. Videtur autem negligere, quæcunque dico, quæcunque aio. Atque hoc uult facere etiam Homerus in illo, Nireus aũt ex Simo, Nireus Aglaiæ filius, Nireus. qui pulcherr imus: de quo enim multa dicta sunt, necesse est & sępe eum dictum esse. si igitur & sæpe, etiam multa uidentur. Quare amplificauit, cum semel eũ meminerit propter fallaciã, & memoriam fecit, etiam si posterius de ipso sermonem non habuerit.

5 Ac deliberatiua quidem elocutio omnino similis est umbratili picturæ: quò enim amplior sit turba, eò lõgius spectatur. Quamobrẽ quæ exquisita sunt, superuacanea, & peiora apparent in utrisque.


6 Iudicium uero accuratius est. Præterea maiorem curam requirit, quod ad unum iudicem pertinet. Minimum enim est in oratorijs: quia magis cõspici potest, quod rei proprium, & quod alienum est. Ac contentio abest, ut syncera iudicatio sit. Quamobrem non ijdem in omnibus his oratores probantur: uerum ubi maxime actione est opus, ibi minimum diligentia habet locum. Hoc autem, ubi uoce, & maxime, ubi magna.

7 Ac demõstratiua quidem elocutio scriptioni accõmodatissima est: opus enim ipsius est lectio. secundo autem loco iudicialis.

8 Diuidere uero elocutionem, ut suauis debeat eẽ, & magnifica, inane est. Cur enim magis, quàm temperans, & liberalis, & siqua alia est moralis uirtus? Nam, ut suauis sit, facient profecto ea, quæ dicta sunt, si modo recte definita est uirtus

elocutionis. Cuius enim rei caussa oportet perspicuam, & non humilem esse, sed decoram? Si enim nugatoria est, non est dilucida. neque si concisa. sed profecto medium conuenit. & suauem, quæ dicta sunt, efficient, si bene sint temperata usitatum, & peregrinum, & rhythmus, & appositum ad persuadendum ex decoro. Ac de elocutione quidem dictum est & communiter de omnibus & singillatim de unoquoque genere.

DE DISPOSITIONE partium orationis.



Reliquum est, ut de dispositione dicamus. Sunt autem duæ partes orationis. Necessarium enim est & rem dicere, qua de agitur, & eam demonstrare. Quamobrem fieri non potest, vt dicens non demonstret, aut demonstret, non prius dicens. Nam demonstrans aliquid demonstrat. & preloquens caussa demonstrandi præloquitur. Horum autem illud propositio est: hoc fides; quemadmodum, si quis distingueret illud quidem problema: hoc vero demõstrationem esse.

2 Iamuero diuidunt ridicule. Narratio enim iudicialis orationis solius est: demonstratiuæ autem, & deliberatiuæ quomodo contingit narrationem esse, qualem dicunt? aut quæ contra aduersarium? aut perorationem demonstratiuarum? procemium uero, & aduersa collatio, & re-

repetitio in deliberatiuis tunc fit, cum contrà-dictio exiſtit. Etenim accuſatio, & defenſio ſæpe adhibentur, ſed non quatenus conſultatio eſt. peroratio autem non eſt omnis iudicialis, ut ſi parua oratio ſit, aut res facile ſub memoriam cadat. Contingit enim ex longitudine amputari. Neceſſariæ igitur particulæ ſunt propoſitio, & fides. Ac propriæ quidem hæ: plurimæ uero procœmium. propoſitio, fides, peroratio.

3 Quæ enim contra aduerſarium ſunt, pertinent ad fidem. Et aduerſa collatio amplificatio eſt eorum, quæ ſua ſunt, ut ipſa fides eam contineat loco partis cuiuſdam: demonſtrat enim aliquid faciens hoc: non autem procœmium, neque peroratio: ſed in memoriam redigit.

4 Quòd ſi quis has diuidat, vt faciebat, qui Theodorum ſequebantur, erit altera narratio, & ſupernarratio, & prænarratio, & refutatio, & ſuperrefutatio. Oportet autem, eos, qui dicunt aliquam formam, & differentiam, ponere nomen. Secus vero fit res inanis, & nugatoria, ut Lycimnius facit in arte, irruptionem nominans, & aberrationem, & ramos.

Ac procœmium quidem eſt principium orationis, ut in poeſi prologus, & in auleſi proauliũ: hæc enim omnia principia ſunt, & tamquam uiæ munitio inuadenti. *De procœmio*

Ac proaulium ſimile eſt demonſtratiuarũ procœmio. Etenim tibicines quodcunque poſſunt canere id præcinentes, cum endoſimo copulant: & in demonſtratiuis orationibus. oportet ſic ſcribere, quidquid enim velit, ſtatim dicentem copulare, & adnectere oportet. cuius rei omnes exemplum faciunt procœmium Iſocratis in encomio *Procœmium demonſtratiuum.*

Helenæ: nihil enim propinqui existit Sophistis, & Helenæ. simul uero etiam si digredietur, con uenit non totam orationem vnius generis esse.

1 Ducuntur autem demonsttatiuarum procemia à laude, aut uituperatione; ut Gorgias in olympica oratione, A multis digni, qui suspiciã tur viri Græci. Laudat enim cogentes concilia bula. Isocrates uero uituperat, quòd corporum virtutes donis honorarunt: at prudentib. nihil præmij fecerunt.

2 Et à deliberatione, vt Oportere bonos honorare. Quare & ipse Aristidē laudat. aut tales, qui neque celebres sunt, neq; improbi, sed quicunq; existentes boni obscuri sunt, vt Alexander Priami filius: hic enim deliberat.

3 Præterea uero à iudicialibus procemiis, hoc est ab ijs, quæ sunt ad auditorem, ut si de re incredibili habeatur oratio, uel difficili, uel peruulgata, ut veniam dent, quemadmodum Choerilus; At nunc cum omnia iam uulgata.

Ac demonstratiuarum quidem procemia ducuntur ex his.

1 à laude
à uituperatione
2 à suasione
à dissuasione
3 ab ijs, quæ sunt ad auditorem.

Oportet uero aut aliena, aut propinqua esse orationi endosima.

Proœmium iudiciale. Iudicialis procemia assumendum est idem valere, quòd ualent dramatum prologi, & epicorũ procemia. Nam quę sunt dithyramborum similia existunt demonstratiuis, ut Venit ad te propter te, & tua dona, & beneficia, & spolia. ò Deus Bacche. In logis autem, & epicis est specimen ora-

orationis, ut prouideant, qua de re sit oratio, & non suspensa sit mentis agitatio: quod enim indefinitum est cogit uagari. qui igitur dat principium, tamquam in manum, facit, ut hęrens sequatur orationem. Ob id, Iram dic Dea. Dic mihi Musa virum. præcipe mihi sermonem aliū, ut ex Asia venit in Europam bellum magnum. Et Tragici indicant in dramate, quamuis non statim, ut Euripides, sed in prologo tamen indicat, ut etiam Sophocles; Mihi pater fuit Polybus, & comœdia similiter.

2 Ac maxime quidem necessariū munus proœmij. & proprium est hoc, indicare finem, cuius caussa oratio habetur. Quamobrem, si manifesta sit, & parua res, non est utendum proœmio: Alię uero formæ, quibus utuntur, medicamenta sunt, & communia. Ducuntur uero hæc

tum à dicente,
tum ab auditore,
tum à re,
tum ab aduersario.

Ac ab ipso quidem, & aduersario, quæcunqꝫ ualent ad criminationem soluendam, & efficiendam. Sunt autem hæc non similiter. Nam defendenti quidem primum existunt, quæ pertinent ad criminationem. Accusanti vero in peroratione. Neque incertum est, quamob rem. Defendentem enim, quoties illaturus est seipsum, necessarium est remouere, quæ obstāt. Quare soluēda est primum criminatio. Calumnianti uero in peroratione calumniādum, ut meminerint magis.

Quę uero sunt ad auditorem, ab eo, ut efficiatur beneuolus, & iratus: interdum uero etiam attentus, aut contra. non enim semper prodest,

attentum facere . Quamobrem multi ad risum adducunt

Ad docilitatem autẽ omnia perducent, si quis uelit & si probus appareat. Attendunt enim magis hos ipsos.

Attenti uero redduntur magnis, proprijs, admirabilibus, iucundis. Quamobrem oportet inijcere, de his reb. orationem haberi Sin autem non attentos uelimus reddere, dicemus paruum esse, nihil ad illos pertinere, molestum esse.

3 Neque latere oportet talia omnia extra orationem esse. Nam sunt ad improbum auditorem, & audientem ea, quæ sunt extra rem: quoniam si talis non sit, procœmio nulla alia de re opus sit, nisi, ut rem dicat sumatim, ut habeat caput, tamquam corpus.

4 Præterea attentum facere omnium partium est, commune, si opus sit: ubicunque enim languescent magis, quàm incipientes. Quamobrem ridiculum est in principio collocare id, cum maxime omnes attendentes audiunt. Quare cum tempus postulabit, dicendum est, Et mihi animũ adhibete. Neque enim magis meum, quàm uestrum. Et, Dicam enim uobis rem, qualem nunquam aliàs audistis, atrocem, aut sic admirabilẽ. Hoc autem est (ut Prodicus dixit) quando dormitant auditores, inferre ipsis aliquid demonstrationis quinquaginta drachmarum.

6 Esse autem hæc ad auditorem, non quatenus auditor est, patet: omnes enim aut criminantur, aut metus dissoluunt in procœmiis. Rex dicam quidem, non quanto studio. Quid procœmiaris? Et malam rem habentes, aut qui uidentur habere: ubique enim melius est uersari, quàm in re. Quamobrem serui haudquaquam inter-

rogata dicunt, sed quæ circum sunt, & procœmiantur.

Atque, unde beneuolos oporteat efficere, diximus, & vnamquanque rerum talium. Quoniam vero probe dictum est, Da me ad Phæaces amicū venire, aut miserandum, has res duas oportet intueri. *Lib. 14. Odyss.*

In demonstratiuis uero oportet facere, ut putet auditor collaudari aut se, aut genus, aut studia ipsius, aut aliquo alio modo. Quod enim dicit Socrates in Funebri, uerum est, Non esse difficile Athenienses apud Athenienses laudare, sed apud Lacedæmonios.

Procemia deliberatiuæ orationis existunt ex ijs, quæ iudicialis sunt. Natura enim deliberatiua oratio nequaquam habet procemia. Etenim & de quo agatur, sciunt, & res, nulla alia de caussa procemio indiget, nisi propter ipsum, aut contradicentes, aut si non quantam uelis, rem existiment, sed uel maiorem, uel minorem. Quamobrem aut criminari, aut criminationem depellere necesse est, & uel augere, uel extenuare. Horum autem caussa procemium indiget; aut ornatus gratia, quòd abrupta uideantur, nisi illud habeant. Eiusmodi enim Gorgiæ encomium est in Eleos, siquidem nullo connixu, nulloque motu ante adhibito confestim incipit, Elis ciuitas beata. *Procemium deliberatiuum.*

1 De criminatione unum est, ex quibus aliquis opinionem malam detraxerit: nihil enim differt, aliquone dicente, an non. Quare hoc in vniuersum est. *Criminationis loci.*

Alius locus occurrere tamquam ijs, de quibus controuersia est

aut

aut non esse
aut non noxium
aut non huic
aut non tantopere
aut non iustum
aut non ualde
aut non turpe
aut non ualde

De his enim controuersia est, ut Iphicrates aduersus Nausicratem: affirmauit enim se fecisse, qđ ille dicebat, & nocuisse, sed non iuste egisse.

Aut compensare eum, qui iniuste agit, si noxiũ, at honestum. si molestum, aut utile, aut aliquid aliud tale.

3 Alius locus, esse errorem, aut infortunium, aut necessarium, ut Sophocles dixit. Se tremere, non, quemadmodum calumnians dixit, ut uideatur senex, sed ex necessitate. Neque enim uolenti sibi esse octoginta annos.

Et compensare, cuius gratia, quòd non nocere uoluit, sed hoc, & non illud, quod criminatus est fecisse. contigit autem nocere. dignus uero essem, qui odio haberer, si commisissem, ut hoc fieret.

4 Alius nõ simul teneatur criminans, aut nũc, aut prius, aut ipse, aut suorum aliquis.

5 Alius, num alij simul teneantur, quos confitentur, non esse affines criminationi, ut si purus adulter est; igitur & ille, & ille.

6 Alius, num alios criminatus sit, aut alius ipsum, aut sine criminatione suspecti fuerint, ut ipse nunc, qui reperti sunt, non esse affines culpæ.

7 Alius, ex contrario criminari criminantem. absurdum enim est, si ipse indignus sit fide, eius

sermo-

ſermones fide dignos fore.
8 Alius,ſi factum eſt iudicium, ut Euripides cō tra Hygiænontem in Antidoſi accuſantem impietatis,ut qui fecit carmen, iubens peierare. Lingua iuraui,mente uero iniuratus. Dixit enim ipſum iniuſte agere, traducentem ex Dionyſiaco certamine iudicia in foro: ibi enim ſe reddidiſſe rationem,aut redditurum,ſi uoluerit accuſare.
9 Alius,ex calumnia accuſare, quanta res ſit,atque hoc alia iudicia facere.
10 Communis autem ambobus locus eſt, notas dicere,ut in Teucro Vlyſſes,quòd affinis Priamo. Heſione enim ſoror.ille uero,quod pater Priamo inimicus Telamon, & quòd non indicauit exploratores.
11 Alius criminanti, laudando rem paruam prolixe, magnam conciſe,uituperare.aut multa bona afferendo,quod ad rem pertinet, vnum uituperare. Tales autem ſunt artificioſiſſimi, & iniquiſſimi: bonis enim nocere conantur, miſcentes ipſa cum malo.
12 Commune etiam eſt criminanti,& defendenti,quoniam idem contingit plurium rerum cauſſa geſtum eſſe, ut criminanti quidem deprauandum ſit,in peius arripiendo: defendenti uero in melius,ut quòd Diomedes Vlyſſem præelegit. illi quidem,quòd optimū iudicauit Vlyſſem: huic vero,quòd non, ſed quia ſolus non erat concertaturus,ut ignauus.

Ac de criminatione quidem tam multa expoſita ſint.

1 Narratio in demonſtratiuis eſt non continenter,ſed ſecundum partem. *Narratio demõſtratiua*
2 Oportet enim actiones perſequi, ex quibus oratio eſt: conſtituitur enim oratio, ut habeat

tum

tū id, quod uacat arte (nequaquā enim is, qui dicit caussa est actionum) tum id, quod est ex arte. Hoc uero est demonstrare aut esse, si fide careat, aut quale, aut quantum, aut etiā omnia.

3 Ac propterea aliquando non oportet continenter narrare omnia, quia sic demonstrare difficulter sub memoriam cadit; Atque ex his quidem fortis, ex his uero sapiens, aut iustus, Et simplicior ista oratio: illa uero uaria, & non attenuata.

4 Et notos in memoriam reuocare oportet. Quamobrem multi non indigent narratione, quemadmodum si uelis Achillem laudare. omnes enim sciunt eius actiones. sed uti ipsis oportet. Si uero Critiam, narrare oportet: non enim multi sciunt.

Narratio iudicialis. 1 Nunc autem ridicule tradunt, narrationem breuē esse oportere. Atqui ut ille pistori interroganti, durum ne, an mollem subigeret, quid, inquit, fieri ne bene non potest? Et hic similiter Oportet enim haud prolixe narrare, quemadmodum neque exordiri prolixe, neque fidem facere. Neque enim in hac parte, id quod bene se habet, consistit aut in breuitate, aut in concisione, sed in modo. hoc est, ut dicantur, quæcunque rem declarabunt, aut quæcunque faciēt, ut existiment factum esse, aut nocuisse, aut iniuriam fecisse, aut tanta esse, quanta uelit. aduersario vero contraria.

2 Ac narrationi attexere, quęcunque ad tuam uirtutem pertinent, ut Ego vero admonebā semper, quæ iusta essent; dicens, ne liberos desereret. Aut ad alterius improbitatem, Ille autem respondit mihi, ubi ipse extiterit, futuros alios liberos. Aut quod deficiētes Aegyptios respōdisse inquit Hero-

Herodotus. Aut quæcunq; iucunda iudicibus.

3 Defendenti autem minor est narratio. Controuersiæ uero sunt { aut factum non esse / aut noxium non esse / aut non iniustum. / aut non tantum.

Quare in re confessa insistendum non est, nisi quid ad illud pertineat, ut si factum est, at non iniustum. Præterea facta oportet dicere, quæcunque non afferunt miserationem, aut indignationem, cum fiant. Exemplum est Alcinoi apologus, qui apud Penelopem triginta uersibus factus est. Et ut Phayllus Circulũ. & prologus ĩ Oeneo.

4 Ac moratam oportet narrationem esse. idque fiet, si nouerimus, quid mores efficiant.

Iamuero vnum est, prælectionem indicare. cuiusdam autem modi sunt mores, eò quòd hæc cuiusdam modi sit. Et prælectio cuiusdam modi est, eò quòd etiam finis. Propterea enim non habent Mathematici sermones mores, quia nec prælectionem quidem. Nõ enim habent cuius caussa. sed Socratici: de his enim dicunt.

Alia morata sunt singulis moribus consequentia, ut Simul dicens incedebat: declarat enim audaciam, & rusticitatem morum.

Nec tamquam ex habita ratione licere, ut qui nostro tempore uiuunt, sed tamquam ex prælectione. Ego uero uolebam (etenim præligerem id, etiam si quæstum non facerem) quod melius est. illud enim prudentis est: hoc uero boni. prudentis enim est in persequẽdo utili: boni uero in honesto.

Si uero fide careat, tũc caussam subiũgere, ut Sophocles suppeditat exẽplũ ex Antigona, quòd cariorem fratrem haberet, quàm uirũ, aut filios.

Nam

Nam eos fore, etiã si perierint. Matre vero, & patre mortuis, Nõ frater ullus exoriri unquam põt.

Si vero non habeas caussam, at tibi non esse occultum, te incredibilia dicere, sed talem natura esse. Neque enim credunt, aliud agere quemquã sponte præter id, quod utile est.

5 Præterea ex iis, quæ afficiunt, dicere, narrantem & consequentia, & quæ sciunt, & quæ propria ipsi, aut illi adsunt. Ille uero abijt, me respiciens, & ut de Cratylo Aeschines, quòd Exibilans, & manib. explodens: apposita enim ad persuadendum, proptereaquòd indicia fiunt ea, quæ sciunt, illorum, quæ nesciunt. Plurima autem talia assumere ex Homero licet. Sic ait, anus vero obtendit manus faciei: quia lacrymare incipientes attrectant oculos. Et statim inferas te ipsum cuiusdammodi, ut talem intueantur, & aduersarium. latens autem facias. Facile uero esse, licèt perspicere ex nunciantibus, quæ enim nequaquam scimus, tamen de ijs aliquam suspicionem concipimus.

Lib. 19. Odyss.

6 Ac multis in locis oportet narrare, & quandoque non in principio.

Narratio an cõueniat deliberatiuo.

In deliberatione nequaquam est narratio: quia de futuris nemo narrat: sed si narratio fuerit, præteritorum erit, ut recordati illorum melius consultent de iis, quæ posterius euenient, aut criminantes, aut laudantes. Verum tunc non obeunt munus consultoris.

Si uero fide careat, pollicere te & caussam dicturum statim. & tractaturum eorum arbitratu, vt Iocasta Carcini in Oedipode semper pollicetur percunctante eo, qui quærebat filium. & Aemon Sophoclis.

De fide.

1 Fidem autem oportet demonstratiuam esse.

Atque

Atque opus est demõstrare(quoniam de quattuor est controuersia;) de re controuersa afferendo demonstrationem.

Vt si non fecisse cõtrouersatur,in iudicio oportet huius maxime demonstrationem afferre.

Si vero non nocuisse,huius.

aut non tantopere.

aut iuste.

eodemq; modo,si,num factum hoc esset,controuersia existeret. Neque uero lateat necessarium esse in hac controuersia sola, alterum improbum esse. Neque enim est ignoratio caussa, ut si qui de iusto controuersarentur.Quare in hoc diu insistendum est.in alijs uero secus.

2 In demonstratiuis plerunq; amplificatio erit honestorum,aut utilium. facta enim credi oportet. etenim raro horum demonstrationes afferunt,si fide careant,aut si alius caussam habeat.

3 In deliberationibus aut contenderit aliquis non futura esse, aut futura quidem,quæ ille censet,sed non iusta, aut non utilia, aut non tanta. oportet uero uidere,numquid ille mentiatur extra rem. signa enim necessaria hæc apparent, quòd etiam in alijs mentitur.

4 Sunt uero exempla maxime accõmodata deliberationi: enthymemata autẽ iudicio. illa enim quidem circa futurum, ut ex præteritis necesse sit exempla ducere. hoc uero de existentibus, uel non existentibus,cuius rei magis demonstratio est necessaria. Habet enim, quod factum est, necessitatem.

5 Non oportet autem continenter dicere enthymemata, sed permiscere: sin minus, se lædunt inuicem: est enim & quanti terminus. O amice, quoniam tam multa dixisti, quàm multa sapiens *Lib.4. Odyss.*

piens uir. Sed non talia.

Et non de omnibus enthymemata quærere. sin minus, facies, quod nonnulli faciunt ex philosophantibus, qui syllogismo concludunt notiora, & certiora, quàm ea, ex quibus dicunt.

Et quoties affectum concitas, ne dicas enthymema: eijciet enim affectum, aut frustra dictum erit enthymema; nam eijciũt se inuicem motiones, quæ simul sunt, & aut se conficiunt, aut debiles reddunt.

Nec quãdo moratam adhibes orationem, oportet enthymema aliquod quærere simul: non enim habet mores, nec prælectionem demonstratio.

Sententijs autem utendum est & in narratione, & in fide: id enim moratum est. Ego dedi, etiam illud sciens, quòd non oportet credere. si uero affecte; Neque me pœnitet, etiam iniuria affectũ. isti enim superest lucrũ: mihi uero iustũ.

6 Est uero difficilius in deliberatiuo genere, quàm iudiciali uersari. merito.

Propterea quòd circa futurum est negocium. ibi uero circa præteritum, quod scientia comprehendi potest etiam à uatibus, ut dixit Epimenides Cres. ille enim de futuris non uaticinabatur, sed de præteritis quidem, at obscuris.


Et lex fundamentum est in iudicialib. qui uero principium habet, cum facilius est demonstrationem inuenire.

Et qui uersatur in deliberando, nõ habet multa diuerticula, ut contra aduersarium uel de se ipso, uel ad affectum afferendum. Hæc autem minime omnium hebet, nisi egrediatur.

Oportet igitur indigentẽ id facere, quod Athenis Rhetores faciunt, & Isocrates: etenim deliberans accusat, quemadmodum Lacedæmonios

ni

in Panegyrico, Charetem autem in Sociali.
7 In demonstratiuis uero oportet orationem intexere laudib. vt Isocrates facit. semper enim aliquem infert. & hoc illud est, quod dicebat Gorgias, se non deficere orationem. Si enim de Achille loquatur, Peleum laudat, deinde Aeacũ, deinde Deum. Similiter vero etiam fortitudinẽ. aut hæc, & illa facit, quod tale est.



8 Ac habenti quidem demonstrationes & morate dicendum, & demonstratiue. si uero non habeas enthymemata, morate. Et magis probo conuenit bonum apparere, quàm exquisitam orationem.
9 Ex enthymematibus uero, quæ valent ad refutandum, magis probantur, quàm quæ ad demonstrandum, quia quæcunque refutationem efficiunt, magis apparent syllogismo conclusa esse: iuxta enim se posita contraria magis cognoscuntur.
10 Quæ uero sunt contra aduersarium, diuersam aliquam speciem non habent, sed ad fidem pertinent, cum soluuntur alia obiectione: alia ratiocinatione.
11 Atque oportet tum in consultatione, tum in iudicio, qui priore loco dicit, eum prius sua argumenta dicere, posterius cõtrarijs occurrere, soluẽdo, & eleuando. Sin autem multiplex sit aduersa caussa, prius cõtrarijs, ut fecit Callistratus in Messeniaca concione: quæ enim dicturi erant, cũ is sustulisset, tũc ipse dixit. Qui uero posteriore loco dicit, ei prius dicenda, quæ sunt cõtra aduersarij orationẽ, soluendo, & opponẽdo ratiocinationẽ. & maxime si probata sint. ut enim hominem ante in crimen uocatum non recipit animus: sic neq; orationem, si aduersarius bene videatur

 dixisse.

dixisse. oportet igitur locum parare in auditore futuræ orationi. Erit autem id, si sustuleris. Quamobrem aut aduersus omnia, aut quæ maxima, aut quæ probata, aut quæ facile possunt refutari pugnando. Sic quæ sua sunt, fide digna reddenda. Deabus primum socius fiam. Ego enim Iunonem. in his attigit primum, quod insulsissimum est. Ac omnis quidem fides his exposita est.

Eurip. Troad.

De morata oratione.

Quod attinet ad mores, quoniam non nulla de se dicere, aut inuidiam, aut loquacitatem, aut obtrectationem habet; & de alio aut conuiciũ, aut rusticitatem; alterum opus est dicenté inducere; quod Isocrates facit in Philippo, & in Antidosi, & quemadmodum uituperat Archilochus: inducit enim patrem dicentem de filia in Iambo, Rerum insperata nulla est, neque iuramẽto negari potest. & Charonem fabrum in Iambo, cuius principium est, Non mihi Gygæ res. & vt Sophocles Aemonem de Antigona apud patrem, tamquam dicentibus aliis.

De enthymematibus in sententiis immutãdis

Oportet uero etiam immutare enthymemata, & sententias facere aliquando, vt oportet pactiones facere, qui mentem habent, cum prospera fortuna vtuntur: sic enim fuerint optima conditione. enthymematice autem, Si oportet, quoties commodissimæ sint, & meliorem conditionem afferant pactiones. tunc pacisci: prospera fortuna utentes oportet pacisci. Interrogationem fieri oportunum est maxime, quoties alterum asseruerit, ut altero interrogato contingat absurdum; ut Pericles Lamponem interrogauit de initijs sacrorum Sospitæ. Cum autem ille diceret, non posse non initiatum audire, interrogauit, num sciret ipse. Aiente illo: at quomodo, non

De interrogatione.

non existens initiatus?

Secundo loco, quoties illud quidem apparet: hoc uero interroganti manifestum est, eum daturum. percunctatum enim vnam propositionem oportet non interrogare, quod apparet, sed conclusionem dicere, ut Socrates, Melito negante ipsum Deos putare, dixit, num dæmonium aliquod assereret. cum autem ille confiteretur, rogauit, non ne dæmones, aut Deorum filij essent, aut diuinum aliquid. Aiente illo, Est igitur, inquit, qui Deorum filios arbitratur esse, Deos autem non.

Præterea, quoties futurum est, vt demonstret dicere contraria, aut præter opinionem.

Quarto loco, quando non licet nisi sophistice respondentem soluere. si enim sic responderit, esse quidem, sed non esse; aut hæc quidem, illa uero non; aut aliqua quidem ex parte, ex aliqua uero non: conturbantur, tamquam hæsitantes. aliter autem tentare non oportet. si enim restiterit, victus uidetur esse. non enim licet multa interrogare propter infirmitatem auditoris. Quamobrem & enthymemata quàm maxime contrahere oportet.

De responsione.

Respondere uero oportet, ad ambigua quidem distinguendo oratione, & non concise. ad ea uero, quæ videntur contraria, solutionem afferendo, statim cum responsione, priusquã interroget reliquum, aut syllogismo concludat. Neque enim difficile est prospicere, in quo ratio consistat. Apparebit autem nobis ex Topicis & hoc, & solutiones.

Et ad eum, qui concludit, si interrogatio faciat conclusionem, caussam dicere, ut Sophocles interrogatus à Pisandro, an uideretur ipsi,

ut & alijs præconsultoribus de constituendis Quadraginta: affirmauit. Quid vero non ne praua tibi hæc uidebantur esse? affirmauit. Non ne igitur hæc praua ipse commisisti? sane affirmauit: non enim erāt alia meliora. Et ut Laco reddens rationem ephoratus, rogatus, an uiderentur ipsi iuste perijsse alij, affirmauit. ille uero, Non ne tu hæc cum eis decreuisti? & ille affirmauit. Non ne igitur iuste, inquit, & tu peribis? Minime uero, inquit. illi enim, cum pecunias accepissent, hęc fecerunt: ego uero, nequaquam, sed ex sententia. Quamobrem neq; interrogare oportet post conclusionem, neque conclusionem interrogare, nisi multum ueri supersit.

De ridiculis Ridicula autem quoniam non nullum uidentur usum habere in contentionibus, & Gorgias asseruit oportere aduersariorum seria discutere risu, at risum serijs, recte dicens: expositum est, quot species ridiculorum sint in ijs, quæ tradita sunt de poetica; quorum unum quidem conuenit libero: alterum uero minus. Quod igitur sibi conueniens erit, sumet. Est autem dissimulatio scurrilitate liberalior. ille enim sui caussa fingit ridiculum: scurra uero alterius.

De peroratione. Peroratio quattuor ex rebus componitur.

1 tum ex eo, ut bene erga se comparet auditorem.

2 tum ex eo, ut amplificet, & deprimat.

3 tum ex eo, ut constituat auditorem ad affectus.

4 tum ex memoriæ renouatione.

1 Factum enim natura est, ut postquam demonstrauerit, se quidem uerum, aduersarium autem falsum, sic laudet, & uituperet, & expoliat. Duorum autem alterum spectandum est; aut se

his

his bonum, aut simpliciter: illũ uero malum his, aut simpliciter. Ex quibus autem tales comparare oporteat, expositi sunt loci. unde bonos oporteat comparare, & malos.

2 Iamuero, postquam hoc demonstratum fuerit, licet augere secundum naturam, aut extenuare: oportet enim facta constare, si dicturus est, quantum. Etenim corporum incrementũ est ex prius existentibus. Vnde autem oporteat augere, & extenuare, positi sunt loci prius.

3 Postquam uero hæc manifesta sunt, & qualia, & quanta; ad affectus impellit auditorem. hi autem sunt, misericordia, & indignatio, & ira, & odium, & inuidia, & æmulatio, & contentio. Expositi autem sunt etiam horum loci superius.

4 Quare reliquum est, in memoriam reuocare, quæ ante dicta sunt. hoc autem ita conuenit facere, ut asserunt in procemijs, non recte dicentes. ut enim bene percipi possint, iubent sæpe dicere. Ac ibi quidem oportet rem exponere, ne id lateat, de quo iudicium est: hic uero per quæ demonstrata est, summatim.

Initium autem ab eo fit, quod persoluerit ea, quæ pollicitus fuerat. Quare & quæ, & ex quo, dicendum. Ducitur uero ex aduersa collatione aduersarij. Ac conferre oportet,

uel quæcunque circa idem ambo dixerunt, si non ex regione, at sic; Iste quidem hæc de hoc, ego uero hæc, & ex his:

uel ex dissimulatione, ut Iste enim hæc dixit, ego uero hæc. & quid faceret, si hæc ostendisset, non autem hæc?

vel ex interrogatione, Quid non ostensum est? uel Iste quid confirmauit?

Aut igitur sic ex collatione.

Aut ſecundum naturam, prout expoſita ſunt, quæ propria ſunt. & rurſus, ſi ipſe uoluerit, ſeparatim, quæ contrariæ orationis.


Fini uero elocutionis conuenit diſſolutio, ut peroratio ſit, ſed non oratio, Dixi, Audiſtis, Habetis, Iudicate.

Finis libri tertii.

ANTONII RICCOBONI RHODIGINI IN ARTEM RHETORICAM ARISTOTELIS LIBER.



DE NATVRA RHETORICAE.



NATVRAM Rhetoricę ex doctrina Aristotelis explicaturi, inuestigare eius definitionem debemus; cum definitio illa sit, quæ explicat naturam cuiusq; rei. Itaq;, cum ea ex genere, & differentiis componatur, quæremus primum, quod sit proximum Rhetoricæ genus: deinde ad indagandas eius differentias operam nostram conuertemus. Qua in re auctore potissimum Aristotele utemur, qui & eam optime definiuit; & ex arte ratiocinandi, ac traditione, quæ de morib. atque affectibus est, conflauit: & vnus de ea perfecte, atque absolute conscripsit. Nunc ad propositum aggrediamur.

Rhetoricæ genus quidam artem, nonnulli sciētiam, alij facultatem, uel vim, vel potentiam esse voluerunt. de quibus quę fuerit Aristotelis sentētia, breuiter uidendum est. Ac non est quidem dubitandum, quin Rhetorica ex eius præceptione ars sit; si non secundum eam artis definitionem, quam ipse tradidit lib:6. Ethicorum, *De genere Rhetoricæ.*

ut

vt sit habitus efficiendi recta cum ratione, quo in genere omnes artes operosæ reperiuntur: at certe eo argumento, quo idem vsus est initio Rhetoricæ, quia cum munus esse artis omnes confiteantur, intueri caussam, quamobrem homines finem consequantur, ipsa sine dubio huiusmodi munere fungatur. quo in loco ars accipitur in uniuersum, qua omnis scientia, & facultas, omnes artes tum ingenuæ, tum operosæ comprehenduntur, quæ caussam contemplantur, quamobrem finis obtineatur. Itaque ars quidem genus Rhetoricæ est: sed non proximum. Visus est præterea Aristoteles indicare, Rhetoricam esse scientiam, cum scripsit Rhetorem censeri ex scientia, & ex prælectione: sed tunc sine dubio scientiam pro facultate nominauit, cum scientiæ natura à Rhetorica aliena sit. illa enim esse rerum necessariarum: hæc contingentium existimatur. quamobrem apud eundem in hunc modum scriptum est; Quòd siquis uel Dialecticam, uel hãc non tamquam facultates, sed scientias conatus fuerit instruere, latenter naturam ipsarum demolietur, eò quòd concinnans transeat in sciẽtias subiectarum quarundam rerum, nõ autem solum modo rationum. Elegit autem uocem facultatis tamquam proximum Rhetoricæ genus; non quatenus facultas latissime accipitur, & omnes disciplinas denotat, tum quæ uersantur in contemplando, tum quæ in agendo, tum quæ in efficiendo, & in vniuersum potentias omnes, quæ sunt principium mutationis in aliud: sed quatenus strictim, eas tantum artes complectitur, quæ contraria æque demonstrant: cuiusmodi esse duas solas, Rhetoricã, & Dialecticã, idem Aristoteles testatus est. primum igitur obseruandũ est, quod docet

docet Alexander in librum primum Topicorum, eas proprie facultates,& potẽtias appellari, quæ simili modo habent contrariorum demonstrationem, cum id, quod uere aliquid potest, contraria possit;reiectis illorum opinionibus,qui putãt illas artes appellari potentias, quæ potentia, & excellentia quadam instruunt eos, qui illis utuntur, qua certe ratione & ars militaris, & disciplina legum,& aliæ essent facultates, non duæ solæ, ut scribit Alexander: uel etiam, quæ in bonum, & malum usum conuerti possunt:nam hoc modo scientiæ quoq; facultates essent. Deinde ex uerbis Aristotelis intelligendum est, has solas Rhetoricam, & Dialecticam æqualiter habere contrariorum demonstrationem; ut cognoscatur has solas esse proprie facultates. sic enim apud eum legitur; Ac ex aliis quidem artibus nulla syllogismo contraria concludit: Dialectica uero,& Rhetorica solæ id faciunt: similiter enim sunt ambæ contrariorum. Id quod declarat Alexander in hunc modum; Qui in scientijs uersantur, licet habeant contrariorum cognitionem: tamẽ scopus,quem in illa scientia sibi proposuerunt, est,ut alteram partẽ contrariorũ, quæ melior est, definite consequantur; Medicus, ut sanet, Aliptes,ut firmam corporis constitutionem tueatur; & ceteri alterum contrariorum,quod melius est, propositum habent,in quo se exerceant. Nam cognitio contrariorum, quam assequuntur,non est apud eos principalis: sed ex cognitione unius sequitur alterius cognitio; quemadmodum ex scientia eorum,quæ sanitatem inducunt,sequitur etiam cognitio eorum,quæ morbos gignunt. Dialecticus uero,atque Rhetor simili modo propositam habent contrariorum demonstrationem. Ha-

ctenus

ctenus ille. unde apparet, Rhetoricā, & Dialecticam æque in contrarias partes argumentari; & cum aliæ artes in unam partem tendant, has nō magis in unam, quàm in alteram propensas esse; etiam si consulat Aristoteles, ut Rhetoricam adhibeamus, ad uera, & iusta demonstranda, quæ natura meliora sunt, quàm contraria; & scribat, oportere contraria persuadere posse, quemadmodum etiam in syllogismis, non ut utrunq; faciamus, quia mala persuadere non oportet, sed ne lateat, quomodo se habet, & ut altero iniuste ipsis rationibus utente soluere eas possimus. Verum hoc Aristotelis est consilium, non harum artium natura, quæ ut modo notatum est, æqualiter propositum habēt demonstrare contraria, & idcirco proprie appellari facultates existimantur.

Iam cognito proximo Rhetoricæ genere, differentiæ eius inuestigandæ sunt, quæ per ipsius finem, & munus, & rem consideratam, & modum considerandi circumscribuntur.

De fine Rhetoricæ. Ac finis quidem Rhetoricę est persuadere, quidquid dicat Quinctilianus, qui reprehendit Aristotelem, quòd non tribuerit Rhetoricæ verū finem, cū ex eius sentētia nō persuadere finis sit, sed benedicere. At, quod refertur ad aliud, finis non est. nā finis est is, ad quē referuntur omnia, cum ipse nusquā referatur. Benedicere in arte oratoria refertur ad aliud, nempe ad persuasionem. ergo finis non est; nisi finem intelligamus, qui non extremus sit, sed ad extremum referatur. At finis, inquit, non est ponendus in euētu: semper enim debet præstari. Respondemus finem considerari duobus modis, uel tamquam rem propositam, & appellari σκοπὸν. uel tamquam rei propositæ cōsecutionem, & dici τέλος. vnde scripsit Galenus

τὸν σκοπὸν artis medicæ esse sanitatem: τὸ τέλος sanitatis adeptionem. Iam dicimus in ijs artib. quę scientiæ non sunt, primum finem semper esse, non semper secundum: quia cum aliunde pendeant, & in se non habeant, quomodo rem propositam consequantur, quemadmodum habent Mathematicæ scientiæ, in quibus sita est rei propositæ consecutio, tametsi non semper adipiscantur id, quod quærunt, sufficit, ut omnia præstent, quæcunque pertinent ad illud adipiscẽdum: ut cum ὁ σκοπὸς Rhetoricæ sit persuadere, τὸ τέλος persuasus animus auditoris, sat habere debeat Rhetorica, si nihil omittat eorum, quæ ualent ad persuadendum, etiam si persuadere nõ semper possit. sed dubitatur, quia aliæ quoq; artes persuadent. ergo persuadere non est proprius finis Rhetoricæ, probatur assumptio, quia legitur lib. 1. in hũc modũ; Nã ex alijs vnaquæq; in re, sibi subiecta docẽdi, & persuadẽdi exercet facultatẽ. præterea in tertia vtilitate Rhetoricæ colligitur alias artes non oẽs persuadere, sed eos tãtum, qui earũ principia nouerunt: Rhetoricã oẽs ꝑsuadere. Hęc dubitatio sic eximitur, ut dicatur, ꝑsuadere dupliciter accipi; uno modo in uniuersum, etiã ex proprijs principijs artiũ inter illos, qui ea tenẽt, quod nõ conuenit Rhetoricæ: altero modo in parte, cũ persuadetur ex probabilib. & cõfessis, quod est propriũ Rhetoricæ. Sic ẽt τὸ πιθανὸν, i. persuasibile dupliciter intelligi; uel cõiter cũ alijs artib. quod est ẽt ex proprijs illarũ ꝓpositionib. uel propriè, quod est tantũ Rhetoricæ, & ad cõe intelligentiam accommodatum; de quo plura inferius. Quare, cum dicitur persuadere esse finem Rhetoricæ, intelligitur in parte, non in vniuersum: proprie, non communiter.

Decla-

De munere Rhetoricæ. Declarato fine munus est declarandum. Cum autem superius notatum sit; munus artis esse, intueri caussam, cur homines finem consequantur, munus Rhetoricæ erit, contemplari caussam, quamobrem illi, qui dicunt, persuadeant. Satis enim probatum est, finem Rhetoricæ esse persuadere; ut ipsa debeat contemplari ea, quæ ad persuadendum idonea sunt; & omnis eius contemplatio ad persuasionem, tamquam ad finem dirigenda sit. præclare igitur scripsit Aristoteles, Non persuadere esse munus eius, sed uidere, quæ in quaque re sunt persuasibilia. Cum autem in definitione usus sit uerbo θεωρῆσαι, in explicando munere dixit ἰδεῖν. Intellexit Quinctilianus inuenire, & reprehendit Aristotelem, quòd nihil nisi inuentionem complexus sit, quæ sine elocutione oratio esse non potest. Quidam responderunt comprehensam fuisse elocutionem, contra quam sensit Quinctilianus: nonnulli non fuisse quidem comprehensam, sed nihil interesse. Nos priorem opinionem sequimur, quæ fuit Petri Victorij, & M. Antonij Maioragij, uirorũ nostri ordinis clarissimorum. Nam Victorius quidem putauit, Philosophum etiam elocutionem intellexisse in illis uocibus πιθανά, & πιθανόν, ubi inclusa est uis, & usus verborum. Maioragius uero, eum significasse non solum rerum, uerum etiam uerborum inuentionem. Nos addimus, tantum abesse, ut elocutio comprehensa non sit, ut etiam ceteræ partes potuisse comprehendi nostro quidem iudicio uideantur. Nam θεωρεῖν, & ἰδεῖν est intueri, & uidere, quæ apposita sunt ad persuadendum; vt Rhetorica sit facultas uidẽdi, qđ ualet ad ꝑsuasionẽ, i. quæ inuẽtio, quę dispositio, quæ elocutio, atque adeo etiam quæ memoria, & quæ actio ad per-

persuasionem accommodata sit. Id quod uir nobilissimus, & doctissimus Augustinus Valerius patricius Venetus, quem ego non tam quia Veronæ Episcopus est, quàm quòd Episcopatu, & maiori etiam honore dignissimus, uehemẽter omnib. esse colendum arbitror, uidetur mecum sentire, cum pretermissis partibus minus artificiosis. Rhetoricã definit facultatem inueniendi, disponendi, eloquendi. Quod attinet ad illos, qui existimarunt elocutionem non fuisse comprehensam, ipsi dixerunt, elocutionem accidere Rhetoricæ, & quæ accidunt plerunque in definitione non poni. Adduxerunt auctoritatẽ Aristotelis scribẽtis lib. 3. Elocutionem esse rem leuem, quòd rebus ipsis decertare oporteat, cetera præter demonstrationem inania sint. Quæ responsio non satis firma nobis uidetur, qui arbitramur elocutionẽ quidem accidere rei, de qua orator agit, sed non Rhetoricæ; cum præsertim Aristoteles initio lib. 3. inter tres præcipuas Rhetoricæ partes eam collocet, & Cicero in oratore ipsam potissimum spectet, cum quia orator nec ab inuentione, nec à dispositione, nec à memoria, nec ab actione nomẽ habuerit, sed ab elocutione Græce ῥήτωρ, & Latine eloquens dictus sit: tum uero, quia acumine inuentionis, & pulchritudine dispositionis prudentiæ quidem laudem consequi homines possint, ob unam autem elocutionem eloquentes uideantur. De auctoritate Aristotelis possemus dicere, illud καὶ δοκεῖ φορτικὸν, intelligendum esse, non de elocutione, ut putauit Victorius cũ alijs multis, sed de pronunciatione; quod obseruauit Robortellus, uir quàm doctissimus, & eloquentissimus, in quibusdam annotationibus manuscriptis in artem Rhetoricam Aristotelis, quas mihi

ostendit

ostendit Saluator Bartolutius cum illo quodam summa familiaritate coniunctus, & mihi ẽt propter maximam doctrinam, & optimos mores amicissimus Sed, ut demus ibi agi de elocutione, dicimus aliquid in Rhetorica considerari duobus modis, ut colligitur ex verbis Aristotelis; vel ut id, quod rectum est: uel ut id, quod non tam rectum quidem, sed oratori necessarium. primo modo elocutionem esse rem leuem, cum si id, quod rectum est, inspiciamus, cetera præter demonstrationem inania sint: secundo modo multum ualere propter prauitatem auditorum. Addimus elocutionem in Rhetorica considerari semper secundo modo, ut rem necessariam, cum ibidẽ legatur totam Rhetoricæ pertractationem ad opinionem, & prauitatem auditorum referri. Valet igitur hæc, quam modo notauimus, distinctio ad retinenda multa in Rhetoricæ natura præter demonstrationem, ut affectus, ut mores, ut elocutionem, ut dispositionem partium orationis. qua de re etiam inferius.

De re considerata. Post munus Rhetoricæ perspicienda est eius materia, uel res considerata. sic enim loquendũ ducimus more philosophorum proprietatis caussa. alibi igitur oratorum flosculos, lepores, ac festiuitates, concinnumque, & modulatum uerborum sonum consectabimur: hic, ut cœpimus, proprietatem seruabimus Aristotelis sententia hac de re non satis aperta est, siquidem, & in munere Rhetoricæ explicando dixit eius esse uidere, quæ contingunt esse persuasibilia περὶ ἕκαστον, & eam deficiendo appellauit facultatem uidendi, quod contingit esse persuasibile περὶ ἕκαστον. & alibi tradidit, Rhetoricam uersari in ijs rebus de quibus consultamus, & artes nõ habemus cuiusmodi

sunt

sunt quæstiones ciuiles. Itaque modo dedit Rhetoricæ res omnes: modo quæstiones ciuiles. Quæ caussa fuit quamobrem eius opinionē Rhetores alio, atque alio modo interpretati sint. Nam Quinctilianus scribit res omnes Rhetoricæ ab Aristotele fuisse tributas. cuius verba sunt hæc lib. 2. cap. 16. Omnia subiecisse oratori videtur Aristoteles, cum dixit uim esse dicendi, quid in quaque re possit esse persuasibile. At Cicero testatur aliam fuisse opinionem Gorgiæ, aliam Aristotelis, cum ille omnia, hic quæstiones tantum ciuiles oratori subiecerit. Sic enim legitur lib. primo de inuentione; Gorgias Leontinus antiquissimus fere Rhetor omnibus de rebus oratorem optime posse dicere existimauit; hic infinitam, & immensam huic artificio materiam subijcere uidetur: Aristoteles autem, qui huic arti plurima adiumenta, atque ornamēta subministrauit, trib. in generib. rerū versari Rhetoris officiū putauit, demōstratiuo, deliberatiuo, iudiciali. Quę duę opiniones ab eodē Cicerone lib. 1. de oratore, altera sub ꝑsona Crassi, altera sub persona Antonij, sunt explicatę. Quidā litteratissimi viri hāc dubitationē sic tollūt, ut restringant illud, περὶ ἕκαστον, quo dicto significari volunt non simpliciter omnem rem propositam, sed quæ ad humanas actiones pertineat, quæque tribus caussarū generibus comprehendatur. Sic exponit illustris Comes Iacobus Zabarella cap. 18. lib. 2. ubi scribit, Rhetoricam spectare actionem, non cognitionem, & colligit hūc finē ex eo, ꝙ nomē persuasionis ad actionem referatur, si recte eius uis obseruetur, & tūc dicatur aliquis esse persuasus, cum eo ductus est, ut ita agere uelit. Itaq; cap. 15. exempla affert tantū generis deliberatiui, iudicialis, demōstratiui,

cum quis persuadet ciuibus ea, quæ commoda, & honesta Reip. futura sint, aut iudicibus, vt iuste iudicent, aut id agit, vt bonos laudando ad eorum imitationem alios compellat, prauas vituperando ab eorum imitatione auditores retrahat. Hæc quidem est viri grauissimi, & eruditissimi sententia: sed non nullam potest habere dubitationem, quam in medium proferemus, non refellendi studio, sed vt collatione contrariorum magis apparere veritas eloquentiæ studiosis possit. Ac profecto illud tam verum est, quàm quod verissimũ, præcipuam Rhetoricę materiam esse res illas, de quibus consultamus, & quas agimus, & ex illis, quæ pertinent ad agendum, genera caussarum, quæ res definitas complectuntur: sed Aristoteles in vniuersum loquens, cetera à munere oratorio non uidetur excludere, nec ea quidem, quæ pertinent ad cognitionem, si modo proprio, id est ad communem intelligentiam accommodato tractentur. Nam, dũ probat munus Rhetoricæ alijs artibus non conuenire, dicit Medicinam uersari in sanabili, & morboso; Geometriam in affectionibus, quæ magnitudinibus accidunt; Arithmeticam in numero; similiter vero etiam artes, & sciẽtias reliquas in rebus sibi subiectis: at Rhetoricam in quaque re modo apposito ad persuadendum; nec illis quidẽ exceptis, quę ab alijs artibus traduntur, & fiunt quodammodo propriæ ipsius Rhetoricæ, si oratorie tractentur. Tametsi enim initio dicat, Rhetoricam vna cum Dialectica esse de talibus quibusdã rebus, quæ nullius sunt scientiæ definitæ; & vbi agit de persuasibili, Munus Rhetoricæ esse de talibus rebus, de quibus artes non habemus; & hoc modo res ad alias artes pertinentes excludere videatur: tamẽ potest ex eiusdem

dem doctrina responderi, Rhetoricæ quidem non licere res illas tractare, quæ ad alias artes pertinent, enthymematibus proprijs ipsarum artium, sed licere, enthymematibus sumptis ex communibus locis. & ad communem opinionē accommodatis. De propriis enim legitur sic, Qui magis ea attingunt secundum modum, non decenter recedunt à se ipsis. & paullo post; Hæc vero quò quis meliora eligat ad propositiones conficiendas, clam efficiet scientiam à Dialectica, & Rhetorica diuersam. Nam si incidat in alicuius artis principia, non amplius erit Dialectica, nec Rhetorica, sed illa ipsa, cuius habet principia. De communibus in hunc modum; Iam voco Dialecticos, & oratorios syllogismos, de quibus dicimus esse locos. Atque hi sunt communiter de reb. iustis, & naturalibus, & de ciuilibus, & de multis quæ specie inter se differunt; qualis est locus maioris, & minoris: nihil enim magis ex hoc syllogismus colligetur, aut enthymema proferetur de rebus iustis, quàm naturalibus, aut de quacunq; re. atque hæc specie inter se differunt. Apparet igitur ex his uerbis, licere Rhetoricæ argumentis ductis ex communibus locis agere non solum de rebus ciuilibus, quæ propositam habent actionem, verum etiam de naturalibus, & de quacunq; re. Quæ Rhetoricæ utilitas ab Aristotele agnoscitur maxima, vt aliæ artes non persuadeant omnes, cum teneant eam dicendi rationem, quæ à scientia proficiscitur: Rhetorica vero persuadeat omnes, cum ex communibus ducat fidem, & rationem. Neque vero solum ab eodem commemoratur triplex caussæ genus, id est quæstio definita: verum etiam infinita, cum lib. 2. post præceptum eorum inuestigandorū, quæ in vnoquoq;

genere insunt, legatur; Similiter vero his & de re quacunq;, vt de iustitia bonum ne, an non bonū ex ijs, quæ iustitiæ, aut bono insunt. Ergo in Aristotelis Rhetorica licet agatur potissimū de trib. generib. caussarum, tamquā de materia præcipua: non tamen reijciuntur cetera; ut ex eius doctrina dicere possimus, duplicem esse Rhetoricæ materiam, unam infinitam, alteram definitā; unā communiorē, quam obseruauit Quinctilianus, alterā magis propriam, quam Cicero. Id quod uidetur etiam sentire Alexander, dum scribit in librū primum Topicorum sic; Orator quoque licet nō ita, vt Dialecticus, de omnibus disserat, non tamen in vno aliquo definito genere versatur: siquidem orator etiam loquitur de medicinalib. reb. deq; philosophicis, ac musicis, præcipue autem de ciuilib. Ac non uidemus quidem, cur nomen persuasionis spectare etiam cognitionem, & maxime popularem cognitionem non possit, quæ est potius assensus quidam, quàm cognitio, ita vt ad assensum præstandum in ijs, quæ ad cognitionem pertinent, homines adducantur per persuasionem, idest fidem accommodatam ad communem intelligentiam. Positum igitur sit nobis illud, latissimam Rhetoricæ materiam esse res omnes: strictissimam quæstiones ciuiles.

De modo cō siderandi: Iam res considerata potest quidem pluribus artibus conuenire, ut corpus humanum non solum Medicinæ, sed etiam Gymnasticæ, Coquinariæ & alijs: sed modus considerandi vnam constituit artem, ut consideratio corporis humani, quatenus est sanabile, medendi artem efficit. Itaque res considerata est communis: modus considerandi propriam naturam constituit. Cum autem Rhetorica habeat rem consideratam communem cum Dia-

lectica,& cum Politica,nempe materiam indefinitam rerum omnium cum Dialectica, definitam quæstionum ciuilium cum Politica: per modum considerandi distinguitur à Dialectica, & Politica;ut, quemadmodum Dialectica considerat res omnes,quatenus sunt probabiles, & Politica res ciuiles, quatenus ad felicitatem dirigi possunt: sic Rhetorica easdem contẽpletur, quatenus sunt persuasibiles. distinguimus enim persuasibile proprium à probabili,vt inferius declarabimus. Quamobrem alia sumus in sententia, ac illustris Comes Iacobus Zabarella,qui lib.2. cap.18. scribit, cum Rhetorica auctore Aristotele constet ex Logica, & Ciuili facultate, ipsam ex Logica formam sumere, cum accipiat formam argumentationis,ex scientia autem ciuili materiam. putamus enim eius materiam,& rem consideratam esse communẽ non cum Ciuili tantum, sed etiam cum Logica, nempe quæstiones ciuiles, & res omnes:formam autem,uel, ut recentiores philosophi loquuntur, formale subiectum,vel modum considerandi deduci ab ipsius fine; ut cum finis Rhetoricæ sit persuadere, ipsa habeat proprium considerandi modum, quatenus res omnes, uel quæstiones ciuiles sunt persuasibiles.Ac persuasibile quidem proprium Rhetoricæ positum est, non solum in argumentatione, uel demonstratione oratoria, quam ipsa sumit à Logica, uerum etiam in morib.& affectib.quos à scientia ciuili. quod aperte docet Aristoteles, cum scribit, Fidem artificiosam esse triplicem, mores, affectus, demõstrationẽ, quodq; ipse Zabarella confitetur, eodẽ capite, cũ exponit sententiã Aristotelis his verbis;Dicit persuasionẽ trib.modis fieri,argumẽtis,morata oratione,& ꝑturbationũ commotione.

Adhuc proximum Rhetoricæ genus,& differentiæ sunt explicatæ,ex quibus compoſita eſt ab Ariſtotele hæc definitio Rhetoricæ, ut ſit facultas videndi in quaque re,quod contingit eſſe perſuaſibile. quam definitionem Antonius Bernardus Mirandulanus libri 8. ſectione ſecunda, affirmat etiam Dialecticæ conuenire. Nos putamus probabile,& perſuaſibile diſtinguere Dialecticam,& Rhetoricam; ut Dialectica ſit facultas videndi, quod in quaque re contingit eſſe probabile: Rhetorica,quod in quaque re contingit eſſe perſuaſibile. Summa autem huius difficultatis in eo eſt, quòd quidā cenſent probabile,& perſuaſibile eſſe idem,vt Mirandulanus lib. 8. ſectione 11. alij non idem, quorum opinionem nos ſequimur. Itaque primum conſiderandum ducimus, quomodo probabile à perſuaſibili ex doctrina Ariſtotelis diſtingui poſſit: deinde ad argumenta quædam contraria reſpondendum.

Definitio Rhetoricæ.

Ariſtoteles tradit lib. 1. Top probabilia primū eſſe, quæ probātur oībus, vt bonū eſſe expetendū, expetēdā ſanitatem,diuitias,uitā,prodeſſe bonū, parentibus honorem habendum:- deinde, quæ probantur plurimis, ut ſapientiam eſſe diuitijs optabiliorem,animum eſſe præſtantiorem corpore,Deos eſſe: pręterea, quę ſapientibus omnibus vt animi bona maiora eſſe corporis bonis,ex nihilo nihil fieri,uirtutes bonas eſſe:inde, quæ ſapiētibus plurimis,ut uirtutem per ſe expetendam eſſe,felicitatem à virtute proficiſci,nullum corpus eſſe partium expers, infinitos non eſſe mundos: inde,quę ſapientibus clariſſimis, ut animum eſſe æternum,quinctum quoddam eſſe corpus: poſtremo quæ ſunt multorum opinionibus repugnantia,etiam ſi probentur ſapiētibus ualde probatis, ut

Quæ ſint probabilia.

ut id,quod est, immobile esse, & vnum, quę fuit Parmenidis opinio;& contraria esse eadem,quod censuit Heraclitus;& non posse contradici, quod placuit Antistheni. Idem lib. 1. artis Rhetoricæ docet, Rhetoricam concludere, & colligere non ex ijs,quæ syllogismo ante cōclusa sunt; ea enim propter longitudinem non esse accommodata oratori, loquenti ad disceptatorem, qui ponitur esse rudis: neque ex ijs, quæ syllogismo quidem non sunt conclusa. verum syllogismum desiderāt ea enim non esse persuasibilia, quia non ex confessis,neque ex probabilibus sint. Colligo persuasibile esse probabile confessum, id est non probabile simpliciter,quod potest etiam probari sapientibus probatis,ut cōtraria esse eadem, sed eiusmodi probabile,quod omnes communiter, uel pluri mi confitentur.quo sensu Aristoteles commemorat etiam bona confessa;& quod accommodatum est ad rudem hominum multitudinem, & consistit in communi quodam sensu, atque intelligentia,nec examinatur,ut inquit Cicero,artificis statera,sed quadam populari trutina. Scribit etiam lib.2.in hunc modum; Quare non ex omnibus quæ probabilia sunt, sed ex definitis dicere oportet,nempe aut iudicantibus, aut ijs, quos approbant;manifesto autem sic apparere aut omnibus, aut plurimis. Ergo persuasibile est, non omne probabile, sed definitum,quod omnibus,aut plu rimis apparet.Cum autem Dialectica æque disputet de rebus omnibus. Rhetorica magis de rebus ciuilibus illa vtatur interrogatione, & responsione in circulis, disputationibus,congressionibus Philosophorum, hæc continuata oratione ad popularem intelligentiam accommodata; illa magis tractet res uniuersales, hæc magis singulares:

Quid sit persuasibile.

fit,ut illa ſibi ſumat probabile,tamquàm cõis, & philoſophicis ſermonib. aptius;hæc perſuaſibile, tamquàm minus commune, & ad cõem intelligẽtiam magis idoneum : atque illa,cum uerſetur in probabili,complectatur etiam perſuaſibile, quod eatenus eſt probabile,quatenus omnibus vel plurimis probetur; hæc cum propoſitum habeat perſuaſibile,ſpectet etiam probabile, nõ ſimpliciter, vt Dialectica,ſed illud,quod eſt perſuaſibile.Nam omne quidem perſuaſibile eſt probabile: ſed non è conuerſo.Itaq; nulla clarior diſtinctio Dialecticæ,& Rhetoricæ afferri noſtro quidẽ iudicio poteſt,quàm quòd cum utraque ex probabilib.diſputet,illa quidem probabile ſimpliciter; hæc vero probabile,quod uocatur ꝑſuaſibile, perſequatur. Quibus ita poſitis argumenta quædam contraria ſunt perpendenda.

Argumenta de probabili & perſuaſibili.

1 Conatus eſt probare Mirãdulanus,idẽ eſſe perſuaſibile,quod probabile,quia probabile ẽt Rhetoricæ tribuatur,ut in illis verbis; Nec Rhetorica quidẽ ſingulare probabile intuebitur,vt Socrati, uel Hippiæ,ſed quod hominib.ſic affectis, quẽadmodũ ẽt Dialectica. Addiderunt Mirandulani ſectatores ẽt perſuaſibile tribui Dialecticæ, ut lib.1. Top.c.9.ubi legitur;ſunt autẽ problemata, & de quib.contrariis ſunt ſyllogiſmi:dubitationẽ.n.habent,utrũ ſic ſe habeant, nec ne, eo ꝙ de vtriſq; ſunt rationes perſuaſibiles.

2 Idem ſcriptum reliquit,eũdẽ ſyllogiſmũ, qui eſt Dialecticus,proprie eſſe Rhetoricũ;ergo neceſſe eſſe, ut idem ſit probabile, quod perſuaſibile: quia ſi probabile, & perſuaſibile eſſent diuerſa, ſyllogiſmus Dialecticus,& Rhetoricus eſſent diuerſi; unus enim eſſet ex probabilibus, alter ex ijs, quæ non eſſent probabilia.Probauit antecedens

dens ex eo,quod scripsit Aristoteles Dialecticos, & Rhetoricos syllogismos esse, de quib.locos dicimus; eos uero esse, qui communiter de iustis, & naturalibus,& de ciuilibus.& de multis specie differentibus sunt.

3 Addidit,communia,quæ ad nullam scientiam pertinent,esse probabilia. persuasibilia autẽ esse communia, quæ ad nullam scientiam pertinent, vt patet ex definitione Rhetoricæ, & probatione definitionis.ergo persuasibilia esse probabilia.

4 Postremo argumentatus est, verisimile esse probabile.persuasibile esse verisimile.ergo persuasibile esse probabile. Hæc uir doctissimus de probabili, & persuasibili.

Quod attinet ad primum argumentum, nec nos quidem negamus, quandoque persuasibile tribui Rhetoricæ: sed non idcirco concedimus persuasibile, & probabile esse idem, cum probabile sit genus, persuasibile, species. Quare mirum non est, Dialecticæ tribui persuasibile, quod sub probabili continetur. Nec probabile simpliciter tribuitur Rhetoricæ, sed illud tantũ, quod est persuasibile. Cum autem Aristoteles sæpenumero loco speciei nominet genus,mirum uideri non debet, si cum ageret de persuasibili propria enthymematis materia, nominauit probabile.

Ad secundum argumentum respondemus,Dialecticum syllogismum sumptum à locis communibus esse etiã Rhetoricũ nõ simpliciter,sed tũc, cum est de reb.persuasibilib.& Rhetoricũ ductũ à locis communib.esse quoq; Dialecticum,non simpliciter,sed quatenus continetur sub ea parte Logicę, quæ argumenta tractat probabilia; in eo tamen alterum ab altero differre, ꝙ unus latius

patcat,

pateat, alter minus late; atque vnus sit ex omnibus probabilibus, alter non ex omnibus, sed tantum ex illis, quę persuasibilia sunt. Itaque non consequi, ut probabile cum persuasibili idem sit.

Tertiam argumentationem confitemur: sed cũ persuasibile sit probabile, non tamen putamus vnum esse ita idem cum altero, ut cõuerti possit.

Idem ad quartam argumentationem possumus respondere; in qua etiam assumptio minus firma est: non enim omne persuasibile est uerisimile, sed quoddam etiam est tecmerium, quoddam signum innominatum, quorum alterum est perfectius verisimili, alterum imperfectius, cum tamẽ ambo sint persuasibilia. sed de his plura inferius.

Differentiæ inter probabile, & persuasibile.

Illud disputatione nostra conficitur, persuasibile differre à probabili eo modo, quo species differt à genere.

Addi potest secunda differentia, quòd probabile positum est tantum in argumentationibus, persuasibile uero etiam in moribus & affectibus.

Et tertia, quòd probabile pertinet ad opinionẽ: persuasibile ad fidem, & persuasionem; cum opinio sit vniuersalior, q̃ fides, & persuasio; ut illa ꝓprie videatur Dialecticę, hęc Rhetoricę cõuenire.

Et quarta, quòd probabile magis differitur, quàm dicitur: persuasibile magis dicitur, quàm differitur. Illud interrogatione, & responsione tractatur: hoc continuata oratione cõprehẽditur. Nam differere est proprium Dialecticę: dicere, & quidẽ diserte dicere, atq; eloqui Rhetoricæ. quod patet ex utriusque etymologia. Sic enim de Dialectica scriptum reliquit Alexander; Ac merito quidem huiusmodi methodus Dialecticæ nomen inuenit. Nam ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, quod est disserere dictũ est; quod sane in interrogatione, &

respon-

responſione conſiſtit. is enim, qui interrogat, de omni re, quam is, qui reſpondet propoſuit, percunctatur. quod interrogans facit, ut interrogando ſumat ab eo omnino, de quo diſſerat. Satis autem conſtat appellatam eſſe Rhetoricam, & Rhetorem *ἀπὸ τῆς ῥήσεως*, id eſt à dictione, & elocutione, quæ poſita eſt in continuata oratione.

Itaque ſatis diſtincta eſt Rhetorica à Dialectica per definitionem eius; cuius probatio allata ab Ariſtotele non congruit etiam Dialecticæ, ut putat Mirandulanus, ſed agnoſcitur Rhetoricæ propria in illis uerbis; At Rhetorica de re data, vt ita dicam, uidetur poſſe perſuaſibile intueri.

Cum autem perſuaſibile triplicem fidem complectatur, demonſtrationes, affectus, mores; & demonſtrationes quidem ſumantur ex arte diſſerendi, affectus vero, & mores ex diſciplina ciuili: merito Ariſtoteles, ut magis naturam Rhetoricæ exprimeret, ſcripſit, eam *συγκεῖσθαι* ex Analytica ſcientia, ac Politica, & eſſe *παραφυές τι* Dialecticæ, ac Politicæ, & *ὁμοίαν* Dialecticæ, ac Sophiſtis ſermonibus, & *ἀντίστροφον* Dialecticæ, & *μόριόν τι, καὶ ὁμοίωμα* Dialecticæ- quæ qualia ſint, breuiter conſiderandum eſt.

Dicitur Rhetorica eſſe compoſita tum ex Analytica ſcientia, tum ex Politica, quæ in moribus uerſatur. id eſt tũ ex illa uniuerſali, & communi Logica, quæ ſyllogiſmum conformat, & dicitur Analytica ab analyſi. id eſt rei diſſolutione in ea, ex quibus ipſa conſtat, quia ſyllogiſmum diſſoluit in ipſius principia: tum ex ſcientia ciuili, quæ mores, & affectus exornat; ita ut Rhetorica duplicem habeat naturam, unam à Logica, unde ſumit argumentationem: alteram à ſcientia ciuili, vnde affectus, & mores. Nam tametſi hoc in *Rhetorica compoſita ex Analytica, & Politica.*

loco

loco nominantur tantum mores: tamen affectus ad mores referuntur, cum lib. 2. diuidantur mores in affectus, habitus, mores ætatum, & mores fortunæ: affectus enim in Rhetorica considerantur tamquàm mores, quatenus ad eos accommodatur oratio: distinguuntur à moribus quatenus ab oratore excitantur in animis auditorum. Quæ caussa fuit, cur Aristoteles de affectibus egerit inter primam, & secundam partem moratæ orationis.

Rhetorica agnatũ Dialecticæ, & Politicæ.

Vocatur tãquàm agnatum quiddã Dialecticę, & eius, quæ de moribus est traditionis, quam iustum est appellare Politicam. nam prope Dialecticam, & Politicam quasi magnas arbores ex earũ radicibus tamquàm virgultum ipsa Rhetorica orta est. Accipitur Dialectica pro ea parte, quæ argumẽta tractat probabilia, & in Topicis declaratur, vt notat Alexander in Topica. Nam ratione materię Topica, & Dialectica idem sunt; quamuis si distinguatur inuentio à iudicio, Topica sit, quæ inuenit argumenta probabilia, Dialectica, quæ ea iudicat ex collatione argumentorum necessariorum, & captiosorum; de quo iudicio ex opinione Boethi nihil tractat Aristoteles; quoniam, ut illius verbis vtar, plena est, atque expedita ratio iudicandi de medietate, cum quis extrema cognorit. Alio modo accipitur Dialectica pro tota disserendi ratione, cum scribitur in proœmio Rhetoricæ, Videre ea, quæ ad syllogismum æque omnem pertinent, Dialecticæ esse uel ipsius uniuersæ, uel partis alicuius. Addit Alexander, accipi etiam Dialecticam apud Platonem pro uia, & methodo diuidendi, id est, unum in multa distribuendi, & multa in vnum componendi. In Topicis Ciceronis accipitur

pitur Dialectica pro tota ea parte, quæ omnia argumenta iudicat, tum necessaria, tum probabilia, tum captiosa, & distinguitur à Topica; quæ argumenta inuenit. Politica præterea denotat modo totam philosophiam, quæ in agendo uersatur, & mores tum singulorum, tum familiarum, tum Rerumpub. conformat: modo eam tantum partem, quę publicam administrationem pertractat. Iam cum dicit Aristoteles Rhetoricam, esse agnatum Dialecticæ, & Politicę, intelligimus eam Logicæ partem, quæ argumenta docet probabilia, & eam potissimum philosophię, quæ de moribus est partem, cum qua ipsa Rhetorica coniuncta est, in Rep. pertractanda. Cum autem Rhetorica sit agnatum Dialecticæ, & Politicæ diuersa aliquo modo est à Dialectica. Nec est proprie Politica; quod significat Aristoteles, scribens, Rhetoricam subire personam Politicæ, & qui hanc sibi uendicant, partim propter ignorantiam, partim propter arrogantiam, partim propter alias caussas humanas.

Appellatur similis partim Dialecticæ, partim Sophisticis sermonibus. etenim suis præceptis conformat eum, qui ut ipse Aristoteles testatur, aut uerum, aut id, quod apparet, demonstrat ex iis, quæ in quaque re sunt idonea ad faciendã fidem; quiq; ẽt ipse quatenus sequitur uerum est similis Dialectico: quatenus id, quod apparet, Sophistæ. Cum enim in ratione disserendi, ut idem tradit, qui sequitur syllogismũ, Dialecticus appelletur, qui apparentem syllogismum, sophisticus; & ille censeatur ex facultate, & potentia, hic ex prælectione, cum ille habeat quidem facultatem utendi falsis, *Rhetorica similis Dialecticæ & Sophisticæ.*

&

& captiosis argumentis, sed non præeligat gloriam ex illis, hic uero præeligat; in Rhetorica arte non solum ille, qui vtitur persuasibili, uerum etiam qui apparente persuasibili, orator nominatur; & dicitur esse tum ex facultate, quia facultatem habet utendi tam uero, quàm falso, tum ex præelectione, quia præeligit quandoque gloriã ex falso persuasibili. Aperte igitur Aristoteles distinguit Dialecticam à Sophistica, accipiẽs Dialecticam pro ea parte, quæ est de argumentis probabilibus, & naturam Rhetoricæ constituit non solum in persuasibili, sed etiam in apparẽte persuasibili.

Rhetorica ἀντίστροφος Dialecticæ.

Cum autem dicatur ἀντίστροφος Dialecticæ, uox ἀντίστροφος aliter à Cicerone, aliter ab Alexãdro, aliter ab Aristotele ipso explicari uidetur. Apud Ciceronem esse ἀντίστροφον valet ex altera parte respondere. Quam interpretationem Victorius quidem, clarissimus Aristotelis explicator, reprehendit, his uerbis; Apertius uicinitatem, affinitatemque illarum comprobasset, si relicta contrarietate, quæ inter ipsas uersatur, similitudinis tantum mentionem fecisset. Sed Maioragius, uir disertissimus, in Victorio duo notat peccata; unum, quòd uerbo contrarietatis usus sit: alterum, quòd scripserit Ciceronem ponere inter Rhetoricam, & Dialecticam repugnantiam. Nos putamus in artibus tradendis posse adhiberi uerba nõ usitata, proprietatis seruandæ caussa; maxime vero, si nouata sint ex præceptis artis Rhetoricæ; ut per similitudinem dicatur ex contrario contrarietas, quemadmodum ex pio pietas. Et respondere ex altera parte dici illa, quæ partim similia, partim dissimilia sint, ut illa uox Respondere significet rem esse similem. & illę Ex altera parte,

valeant

valeant contra, Quamobrem, si illud ἀντι Cicero interpretatus est, Ex altera parte, profecto aliquam expresſit contrarietatem, cum ἀντι significet contra, & è regione. at, si uoluit explicare illud totum ἀντίστροφός ἐστι per unam uocem Respõdet, & addidit Ex altera parte, respiciens sequentia Aristotelis uerba, quæ ostendunt Rhetoricam, & Dialecticam inter se similes esse in materia; nullam contrarietatem denotauit; contra quàm sensit Victorius. Hæc de interpretatione Ciceronis. Sequitur explicatio Alexandri, qui in Topica Aristotelis scriptum reliquit, ἀντίστροφον significare ἰσόστροφον, & quæ in eisdem rebus uersetur, & easdem res tractet. Rhetorica igitur est ἰσόστροφος, id est æqualiter respondet Dialecticæ, cum ambæ sint de rebus omnibus, quæ communiter cognoscuntur. Verum aliorum explicationes quærendæ nõ sunt, cum ipse Aristoteles se ipsum declarauit. Nam sic apud eum legitur; Est enim Dialecticæ particula quædam, & similitudo, quẽadmodum etiam exordientes dicebamus. Neutra enim ipsarum est scientia de aliqua re definita, quęrens, quomodo se habeat: sed ipsæ facultates sunt quædam parandi rationes. Quę uerba uidentur declarare principium artis Rhetoricæ, ut in eo Aristoteles nihil aliud spectauerit, nisi similitudinem inter Rhetoricam, & Dialecticam, & per ἀντίστροφον translatum nomen intellexerit proprium nomen ὁμοίωμα, id est similitudinem, quod ante nos alij obseruarunt. Referimus enim illud, Quemadmodum etiam exordientes dicebamus, ad illud, Et similitudo. Itaque hę artes inter se similes sunt: quia ambæ de rebus communib. sunt, quarum nulla definita scientia est: Nos in conuersione nostra diximus, huiusmodi artes inter

les, nominans Dialecticam pro tota Logica in hunc modum; Quoniam vero apparet, artificioſam methodum ad fidem pertinere; & fides demonſtratio quædam eſt (nam tunc maxime fidem habemus, cum demonſtratum eſſe arbitramur) & demonſtrâtio oratoria eſt enthymema; & hoc, vt ſimpliciter dicam, ad fidem faciendam potentisſimum eſt; & enthymema eſt ſyllogiſmus quidam; & videre ea, quæ ad ſyllogiſmum æque omnem pertinent, Dialecticæ eſt, uel ipſius vniuerſæ, vel partis alicuius: non eſt dubium, qui maxime hoc poteſt intueri, ex quibus & quomodo ſyllogiſmus conficiatur, eum etiam maxime enthymematicum fore; cum aſſumpſerit, & in cuiuſmodi rebus uerſentur enthymemata, & quas habeant differentias ad Logicos ſyllogiſmos. Hæc ille. unde facile perſpicitur, enthymematis Rhetorici cognitionem à ſyllogiſmi Logici notitia pendere; ita vt Rhetorica ſine Logica imperfecta exiſtat. Quæ cauſſa fuit, cur non nulli putauerint prius in Logicã, quàm in Rhetoricam incumbendum eſſe, & fieri non poſſe, ut Rhetorica cognoſcatur, niſi prius Logica percipiatur. Nos quidem non negamus ad oratoris perfectionem pertinere non ſolum Logicæ, ſed aliarum etiam artium cognitionem: ſed non putamus eſſe ita neceſſariam, ut Logicorum libri omnino peruolutandi ſint, prius quàm Rhetorum, & non posſint hi ſine illis intelligi ſatis, atque ad perſuadendum accommodate. Nam profecto ſi quibus rebus Logicis Rhetorica indiget, eas ex Logica in ipſam translatas habet, ſat eſt eas percipere ex Rhetorica. Atqui ſine dubio habet. Inſtitutum enim Ariſtotelis eſt, eandem rem uariis quidem in artibus conſiderare, ſed modo diuerſo, & quan-

An Rhetorica percipi ſine Logica poſſit.

tum sufficere singulis artibus uideatur. Itaque ut aliquod exemplum in medium afferamus, cum uirtutes à facultatibus animi proficiscantur, & hac de caussa in libris Ethicorum agendum esset de ipsis facultatibus, quæ conuenerunt, omnia ille transtulit ex libris de animo, quos appellat exotericos, in librum primum de morib. eaq; considerauit non modo exquisito, sed quãtum uisum est sufficere morali cõtemplationi. Quod se fecisse ostendit in hunc modũ, Igitur & Politico cõtẽplatio habẽda ẽ de aĩo; habẽda aũt horũ gratia, & quatenus satis esse potest ad ea, de quibus quęstio est. exquirere enim plus, quàm conueniat, laboriosius fortasse est, quàm ea, quæ proposita sunt. Dicuntur autem de ipso nõ nulla, quæ satis sunt etiam in exotericis disputationibus, atque ipsis utendum est; quemadmodum unam quidẽ partem eius compotem esse rationis, alteram uero expertem, & quę sequũtur. Noluit igitur Aristoteles studiosos Ethicæ facultatis deterrere, nec eos prius reijcere ad res naturales, quàm admittere ad morales: sed dixit habendam esse contemplationem de animo rerum moralium gratia, & quatenus satis esse potest, cum antea tradidisset, non requiri exactam rerum cognitionem. Atque ut studiosis laborẽ minueret, præcepta ibi quædam scripsit naturalia, quæ ei possent sufficere, qui in Ethicæ facultatis studio uersaretur, ne ei prius in Physicis, quàm in ethicis laborandum esset. Iam, quemadmodum in Ethicis ubi exquisitus discendi modus non postulatur, sunt omnia Physica, quæ pertinere ad Ethycorum intelligentiam existimantur; sic in Rhetoricis, quæ minus exactum contemplandi modum habent, sunt omnia logica, quæ ad Rhetoricorum cogni-

tionem

tionem ualent. Atque de illis habita est contemplatio horũ gratia, & quatenus satis esse poterat ad propositam quæstionem ; ut quid sit syllogismus, quid enthymema, quid inductio, quid exemplum, quemadmodũ enthymema sit syllogismus imperfectus cui aliquid desit, & exemplum inductio imperfecta tamquàm pars ad partem ; quẽadmodum enthymema uersetur in persuasibilibus, & cõstet ex uerisimilibus, ac signis, & quid sit uerisimile, & quid signum ; qui sint loci Topici, quot modis afferantur obiectiones, Quæ dum traduntur tametsi citetur Logica ; ita tamẽ citatur, ut semper res Logicæ, quib. indiget Rhetorica, in ipsa interponantur ; ut nihil aliud citata auctoritas ualeat, nisi ut qui ea cognitione contenti nõ sunt, quæ satis esse ad propositã quæstionem potest, ad præcipua loca earum rerum se conferant, & animum expleant suum. sed de his longius non contendemus ; nec damnabimus, siquis uoluerit maioris eruditionis caussa prius uersari in logicis, quàm in Rhetoricis (cum præsertim auditoribus; nostris auctores esse soleamus, ut Logicam cum Rhetorica coniungant) dummodo nobis detur, id non esse ita necessarium, ut etiam aliter fieri non possit. Non enim oratorem requirimus παντοδαῆ : sed qui potissimum in quæstionibus ciuilibus accommodate dicere ad persuadendum possit. considerat ergo Rhetorica demõstrationem, quemadmodũ etiã Dialectica ; quamuis in eo posita differentia sit, quòd Dialectica; quidem demonstrationem suam per omne probabile diffundit : Rhetorica uero ad id probabile contrahit, quod est proprie persuasibile.

Cõsiderat præterea mores, & affectus, quemadmodum etiam Politica, quamuis diuersa ratio-

ne. Nā Politica eos intuetur, quatenus ipsi homi nem ad felicitatem perducunt: Rhetorica, quatenus sunt instrumēta persuasionis. Quamobrē illa de ijs agit exquisitius: hæc minus exquisite. Ac minus quidem exactam contemplationem congruere Rhetoricæ, quàm Politicæ, docet Aristoteles cum alijs in locis, tum uero ubi scribit in hunc modum; Ac non est quidem in præsentia quærendum, ut singula diligenter enumerentur, & ea in formas digerantur, de quibus statuere soliti sunt, atque ut de ipsis, quantum fieri potest, ex ueritate disputetur: propterea quòd id nō est Rhetoricæ artis, sed prudentioris, & uerioris. & Verumtamen quæcunque melius est, ut explicentur, ac præterea scientiæ Politicæ meditationem relinquunt, nunc etiam dicamus.

Minus exacta contēplatio Rhetoricæ, quàm Politicæ.

Quamquam autem Rhetorica una cum moribus affectus considerat: tamen dubitatur, an eos consideret, ut ita dicam, tamquàm domesticos, & suos, an uelut externos, & à natura sua alienos; ꝑterea uero, an liceat mouere affectus; de quib. operę precium est perpēdere ea, quæ scripsit Aristoteles in hunc modum; Ac qui artes quidem orationum ad hoc usque tempus composuerunt, exiguam ipsarum particulam confecerunt. Fides enim sola continet id, quod artificiosum est: alia uero additamenti sunt loco. At hi nihil quidem de enthymematibus dicunt, id quod est corpus fidei: de ijs uero quæ sunt extra rem, tradunt plurima. Criminatio enim, & misericordia, & ira, & huiusmodi animi perturbationes de re non sunt, sed ad iudicem referuntur. Quòd si in omnib. iudicijs eueniret perinde ac ēt nūc in nō nullis ciuitatib. euenit, maxime uero in ijs, quæ bene sunt institutæ; ad dicendum nihil haberent.

Duæ quæstiones de affectibus.

omnes

omnes enim partim arbitrantur sic legibus caue ri oportere, partim hoc institutum retinent, & prohibent extra rem dicere, ut etiam in Areopago. & recte quidem sic statuunt: non enim oportet iudicem peruertere ad iram excitando, uel inuidiam, uel misericordiam: quia id simile est, ac siquis qua usurus est regula, eā ꝑuersam reddat.

Quæ Aristotelis uerba eò adduxerunt non nullos, ut opinētur affectus à Rhetoricæ natura esse excludendos. primū.n. argumentātur, solam fidē, id est demostrationem oratoriam continere id, quod artificiosum est: cetera, ut affectus, & alia esse additamenti loco. præterea enthymema esse corpus fidei; affectus uero extra rem, idest extra Rhetoricā. Tū affectus posse abesse à Rhetorica, ut si bona iudicia existanr, quale Areopagitarū. Quæ argumenta ex superiori loco collecta uidentur demonstrare, affectus esse à Rhetoricæ natura alienos. Accedit, quòd ex auctoritate libri tertij, cetera præter demonstrationem inania sunt, sicque etiam affectus. Quamobrem illustris Comes Iacobus Zabarella libri 2. cap. 17. in hunc modum Aristotelis sententiam expressit; Dicit oratoriam artem in argumentationibus consistere, quas etiam ipsius orationis corpus esse afferit. Rhetores autem suorum temporum reprehendit, qui prætermissa parte argumētatiua ea solū doceba nt, quæ extranea erant, & aliena ab huius artis natura, ut est elocutio, & perturbationū commotio, quæ quidem in orationibus admittenda non essent, in ciuitate bene gubernata, quemadmodū in Areopago non admittebantur; admittuntur tamē propter mores hominū deprauatos. Quare apud Aristotelem sola argumentatio naturā oratoriæ artis constituit: affectionū autem commo-

An affectus sint alieni à natura Rhetoricæ.

tio ab ipsa penitus aliena est, licet in usu sit propter mores ciuitatū corruptos. Hęc uir nobilissimus, & doctissimus; cuius auctoritati tametsi tantum tribuo, quantum debeo: tamen, non ut eius opinionem refellam, sed ut magis ueritatem confirmem, non nulla in medium afferam, quibus existimare aliquo modo possit, affectus à natura Rhetoricæ non esse alienos.
Nam primum Aristoteles tractationem de affectibus appellat Rhetoricæ partem, quamuis exiguam. Deinde, quod appositum est ad faciendam fidem in significatione propria efficit Rhetoricum considerandi modum; & id continet etiā affectus, cum persuasio sit triplex, demonstratio, affectus, & mores. Accedit, quòd, ut superius notauimus, dicitur Rhetorica esse conflata ex Analytica scientia, id est ex ijs, quæ pertinent ad demōstrationē, & ex Politica, id est ex ijs, quæ ad mores, & affectus. Itaq; duæ præcipuæ partes existūt Rhetoricæ, una posita in demonstratione: altera in affectib. & morib. & hæc pars eiusmodi est, ut necessaria appelletur. Libro enim 2. legitur in hunc modum; Necesse est non solū ad orationē respicere, quomodo demonstratiua futura sit, & fide digna: uerum etiam oratorem, & iudicem aliquibus moribus præditum comparare.
Quare initio libri 3. præcipitur, tria esse, quæ oportet tradere de oratione; unum, ex quibus ipsa fides existat: alterum de elocutione: tertiū, quomodo conueniat ordinare partes orationis; & prima pars Rhetoricæ quæ fidem continet, diuiditur in demonstrationē, affectus, mores. Quę caussa fuit, cur lib. 2. tam diligenter de affectibus scriptum sit. Pars ergo Rhetoricæ est ea, quæ affectus tractat, & quidē necessaria, nec à Rhetoricæ

ricæ natura abijcienda. Nam, quod dicitur, ſolam fidem eſſe artificioſam, cetera additamenti loco, ita explicari poteſt, ut intelligamus, id, quod artificioſum eſt duobus modis conſiderari, aut quatenus eſt de re, & ſic ſolam fidem eſſe artificioſam; aut quatenus eſt extra rem, & ſic etiam affectus eſſe artificioſos. Quæ fuit cauſſa, cur ipſe Ariſtoteles inter partes fidei artificioſæ affectus numerauerit, etiã ſi eos eſſe extra rem intelligeret. vel materiam artis ſpectari modo ſecundum rectam rationem ſuam, & quatenus res ſe recte habeat; ſic ſolam demonſtrationem artificioſam: modo ſecundum neceſſitatem, & quatenus refertur ad auditorem, qui ſupponitur eſſe iudis; ſic etiam affectus artificioſos; & conſiderandam eſſe Rhetoricam ſemper ſecundo modo. Nam lib. 2. traditur, Rhetoricam eſſe iudicationis cauſſa, cum & conſilia iudicent, & iudicium ſit iudicatio, idcircoque neceſſe eſſe non ſolum ad fidem reſpicere, uerũ ẽt ad affectus, & mores. & lib. 3. totã Rhetoricæ pertractationem referri ad opinionem, & prauitatem auditorũ. Natura igitur Rhetoricæ duo complectitur, tum ea, quæ ſunt de re, ut demonſtrationes, tum ea, quæ ſunt extra rẽ, vt affectus. Quod at inet ad ſecundum argumentũ, nõ negamus enthymema eſſe corpus fidei: ſed dicimus naturam Rhetoricæ uerſari non ſolum in corpore fidei, ſed etiã in additamentis. Neque eſſe, cur illud, Extra rem, explicetur Extra Rhetoricam cũ intelligenda ſine dubio ſit res, & cauſſa, de qua agit orator & non Rhetorica, ut etiam in ſequentibus uerbis; De re non ſunt, ſed ad iudicem referuntur. ſequitur tertium argumentum, cuius dubitationem ſic eximimus, ut dicamus, cum duplex ſit Rhetorica, una, quæ agit, altera,

quæ præcepta tradit,ab ea quidē quæ agit, posse aliquando affectus abesse,cū offerri oratori possit occasio, in qua ei affectus mouendi nō sint; sed non ab ea,quæ præcepta tradit,cum ad ipsam pertineat,oratorem in uniuersum conformare eiusmodi,qui,quæcunq; occasio offeratur,quomodolibet persuadēdi,munus suū laudabiliter obeat. Quòd si in Areopago prohibita est affectuum commotio,certe intelligendum est, prohibitam esse magnam Rhetoricæ partem,quæ tamen potest in id,quod bonū est adhiberi,& ob id nō omnino reijcienda,ut paullo infra probabimus.Itaque cum oratores ea uti poterunt,profecto fidere auditorum sapientiæ,& sāctitati non debebūt, quæ uirtutes plerunque in auditoribus adumbratæ sunt: sed omnibus modis uictoriam quærere, dummodo iustam caussam habuerint, Quod dicitur ex lib.3.cetera præter demonstrationem inania esse, id ualet, ut etiam superius notauimus, ratione rei,quæ recte se habeat, non spectata rei necessitate, secundum quam dicuntur eodem in loco cetera omnia plurimum ualere. Non est igitur,cur à Rhetoricæ natura affectus abijciamus.

An liceat mouere affectus.

Ex eodem Aristotelis loco hoc argumentum elicitur; si non licet peruertere iudicem,non licet affectus mouere.At non licet peruertere iudicem,non secus ac peruersam reddere eam regulā, qua utendum sit.ergo non licet affectus mouere. Nos consequens negamus; & dicimus, aut per affectus trahi auditores ad id,quod falsum est,& tunc non licere:aut ad id,quod uerum est, & tūc licere.Ergo si oēs auditores existerēt,cuiusmodi erant Areopagitæ,sanctissimi, & sapiētissimi,affectib.minime opus esset:sufficeret .n. eis,ueriatē

ratio-

rationibus,& argumentis aperire.sed quoniã sæpe,qui audiunt,improbi sunt,& rerum ignoratione laborant, idcirco ut demonstrationes apud eos maiorem uim habeant, cum affectibus coniũgendæ sunt.Id quod etiam Quinctilianus his uerbis declarauit; Quid ergo,dicet aliquis? obscurãda ne est ueritas animorum commotione? Minime uero: sed si aliter ad ueritatem perduci Iudex non potest,necessario per commotionem est perducendus. Adde,quòd sæpe auditores propter improbitatem,aut propter ignorantiam in ijs affectibus uersantur, qui ipsos in errorem inducunt; ut nisi eiusmodi affectus ab eis amoueantur,uel etiam in contrarios affectus impellantur, nunquã ueritatẽ ꝑspecturi sint.Necessariũ igitur est,affectus mouere, ut ueritas magis illuceat; & huius rei tamquam necessariæ suscipienda cura est, cum affectus multum ualeant propter prauitatem auditorum,ut ipse testatur Aristoteles.

Iam satis uidetur Rhetoricæ natura explicata, tum ex eius definitione, quæ proximum ipsius genus,& differentias complexa est per finem, munus,rem consideratam, & modum considerandi circunscriptas; tum ex eiusdem compositione ducta ab Analytica,& Politica; tum ex agnatione, quæ ipsi est cũ Dialectica,& Politica; tum ex similitudine, quam ipsa habet non solum cum Dialectica,uerum etiam cum Sophistica; tum ex ipsius conuenientia cum Dialectica,propter quã dicta est eius particula,& similitudo.Quæ dũ explicarentur,simul cognitum est, An prius in studium Logicæ, quàm Rhetoricæ incumbendum; An affectus sint alieni à natura Rhetoricæ; An liceat mouere affectus. sequitur,ut,cum Rhetorica ad fidem dirigatur; & fides artificiosa sit triplex,

plex, demonstratio, mores, & affectus; huius triplicis fidei naturam inuestigemus.

DE NATVRA DEMONSTRATIONIS Oratoriæ.


Emonstratio oratoria enthymemate, & exemplo constat. Enthymema ducitur ex uerisimilibus, & signis. Verisimilia, & signa colliguntur tum ex formis, tū ex propositionibus cōibus, tum ex locis Topicis. Exēplum ducitur aut ex rebus factis, aut fictis. Quamobrem considerandum est primū, quid sit enthymema, quæ materia, & forma ipsius: deinde quid exemplum, quæ eius materia, & forma: præterea quæ sint uerisimilia & signa: inde agendum de formis: tum de propositionibus cōibus: deinceps de locis Topicis: postremo de rebus factis, & fictis exēplorum; in quibus omnibus posita est natura oratoriæ demonstrationis.

De enthymemate. Quæritur ergo primū, quid sit enthymema. Declarat id Aristoteles, cum scribit, enthymema esse oratorium syllogismum; &, cum quibusdā existētibus aliud quid ex his euenit, præter hæc, uel in uniuersum, vel plerunque, in Dialectica quidem syllogismū, in Rhetorica uero enthymema uocari. Quædam autem existunt ante conclusionem, ut propositio, quæ dicitur maior, & assumptio; quarū utraq; quidē exprimitur in syllogismo, ut Virtus est amabilis: iustitia uirtus: ergo iustitia amabilis; alterutra uero reticetur in enthymemate, ut Iustitia est uirtus: ergo amabilis. Aliud ex his euenit, uel in uniuersum, uel

plerun

plerunque,quia conclusio est uel uniuersalis, uel ut ita dicam ,particularis,cum syllogismus,& enthymema dicantur esse uel tamquàm totum ad totum , cum propositiones uniuersales probant conclusionem uniuersalem , ut omne uitium est fugiendum: omnis iniustitia est uitium : ergo omnis iniustitia fugienda;& omnis uirtus per se eligenda est:ergo oīs uirtus est bona. uel tamquā totū ad partē, cum propositio uniuersalis probat conclusionem particularē,ut oēs philosophi sunt honorādi:Socrates est philosophus:ergo honorā dus ,& oēs sapientes sunt laudandi : ergo etiam Socrates . Ac patet quidem enthymema esse syllogismum imperfectum,cui aliqua propositio desit,quod cum pertineat ad omnes artes,& facultates; restringitur tamen potissimum ad Rhetoricam . Maximam uero esse enthymematum varietatē ex artium, & facultatum varietate declarat Aristoteles in hunc modum ; Enthymemata vero valde differunt inter se.idque omnes ferme maxime latet . Quod etiam euenit in Dialectica methodo syllogismorum : alia in alijs artibus, & facultatibus,quæ partim extant, partim nondum compertæ sunt . Quamobrem etiam latent auditores; & qui magis ea attingunt secundum modum , non decenter recedunt à se ipsis . Hæc ille.Enthymema autem Rhetoricum intelligitur, quod uersatur in iis,quæ ita contingunt , vt sæpe se habeant aliter;& quod ducitur ex verisimilibus , & signis, de quibus inferius . Atque hæc est materia enthymematis Rhetorici . Nam forma in eo spectatur, quòd est ex paucioribus, quàm syllogismus . Qua de re ita Aristoteles,Et ex paucis,ac sæpe paucioribus,quàm ex quibus primus syllogismus existit : si quid enim horum notum fit,

Enthymematum uarietas.

Materia enthymematis oratorij.

Forma.

sit, non oportet dicere. Nam id ipse supplet auditor, queadmodum cũ Dorieus uicerit coronarium certamen; satis est dicere, eum uicisse Olympia. esse autem olympia coronarium certamen, non oportet adiungere. nā id omnes cognoscũt. Illud & ex paucis; ac sæpe paucioribus referunt ad enthymema; & quia Aristoteles uidetur dicere, enthymema constare sæpe ex paucioribus, quàm syllogismus constet, colligunt ipsum quādoque existere ex totidem; ac quærunt, quomodo id fiat, cum sit imperfectus syllogismus. De hac re sunt uariæ inter se, discrepantesq; sententiæ.

An enthymema quandoque constet ex totidem, ex quot syllogismus.

1 Quidam putant id intelligendum esse potestate non actu. quod certe dubitationē non eximit: semper enim, & non quandoque enthymema ex totidem existit, ex quot syllogismus, si potestas spectetur.

2 Non nulli existimant, enthymema constare ex totidem, ex quot constat syllogismus, cũ est idem cũ syllogismo quoad formam, sed uersatur in materia oratoria, id quod uidetur repugnare naturæ enthymematis, in quo semper aliquid in mente retinetur, & idcirco ei tribuitur nomē syllogismi imperfecti. Nec solet ita confundi enthymema cum syllogismo, ut syllogismus quoad formam possit appellari enthymema propter materiam, & enthymema quoad formam possit dici syllogismus propter materiam. præter quàm quòd in verbis Aristotelis uidetur spectari forma, & non materia enthymematis.

3 Maioragius ita exponit; Aliquando enthymema fit ex totidem propositionibus, ex quot syllogismus, sed ordine conuerso, vt quo Cicero pro Cœlio utitur; In Cœlio nulla est luxuries: est .n. deditus optimarum artium studiis: quo in ho

minum

minum genere nulla luxuries esse solet. hoc autem si retro agatur, fiet syllogismus hoc modo; In eis, qui dediti sunt artium studiis, nulla luxuries esse solet: Cœlius optimarū artium studiis deditus est: ergo nulla est in Cœlio luxuries. Idem alibi; Quia interdum accidit, ut extremo loco maior reddatur propositio, si non ita nota fuerit, ideo dixit Aristoteles, sæpe ex paucioribus fieri, quàm syllogismus, non autem semper. Additur autem maior propositio extremo loco in hunc modū; Voluptas propter se expetenda est: quoniam est bona: & oē bonū propter se expetendum. Totidem igitur aliquando propositiones habet enthymema, quot syllogismus: sed tamen eandē argumentandi formā nunquā. Itaq; existimat Maioragius formā syllogismi uitiari, si propositionū ordo conuertatur. Tamen cōis doctissimorū hominū opinio est, ordinē immutatum propositionū non immutare modū. & Philoponus in primā figurā scribit. posse nos usu iam recepto præponere minorē maiori hoc modo; omnis homo animal: oē animal substantia: omnis homo substantia. Et, si ex minori termino sumatur initium, ex hoc etiam inchoandam conclusionem in hunc modū; Iustitia est uirtus: Virtus amabilis: Iustitia amabilis. & ipse Aristoteles affirmat hanc argumentationē, in qua ponitur prima conclusio, secunda maior, tertia minor, esse syllogismū non enthymema; Pittacus liberalis: Honoris cupidi liberales: Pittacus honoris cupidus. Itaque manifestū est, non immutari formā syllogismi propter ordinem cōuersum; nec syllogismū redigi ad enthymema eo ipso, quod non suo loco ponantur propositiones.

4 Non desunt, qui putent, cū duplex sit syllogismus

mus primus sine probationibus, secundus cum probationibus si conferatur enthymema quomodolibet compositũ cum syllogismo primo, illud quidem semper esse syllogismum imperfectũ, quia ei una ex propositionibus desit, aut maior, aut minor, & constare sæpe ex paucioribus cũ est sine ulla probatione: sed raro ex totidem uel etiã pluribus cum deficiente una ex propositionibus ponitur una, uel plures probationes inter partes enthymematis. Probationes autẽ posse inter partes argumẽtationis enumerari, auctor ẽ Cicero li. 1. de inuẽtione, ubi probat ratiocinationem modo esse tripartitam, modo quadripartitã, modo quinquepartitam. Tripartitam ex propositione, assumptione, complexione, Quadripartitã ex maiore, minore, alterutrius ꝓbatione, cõclusione. Quinquepartitã ex ꝓpositione, propositionis approbatione, assũptione, assũptionis approbatione, complexione. Et ad illos, qui negant, neq; à propositione, neque ab assumptione, approbationes earum separari oportere, neque propositionẽ absolutam, neque assumptionem sibi perfectam uideri, quæ approbatione confirmata non sit, respondet; si quadam in argumentatione satis est vti propositione, & assumptione, & non oportet adiungere approbationem propositioni, & assumptioni; quadam autem in argumentatione infirma est propositio, & assumptio, nisi adiuncta sit approbatio; separatum quiddam est à propositione, & assumptione approbatio. Quod enim adiũgi & separari ab aliquo potest, id non potest idẽ esse, quod est id, ad quod adiũgitur, & à quo separatur. Est autem quædam argumentatio, in qua propositio, & assumptio non indiget approbatione; & quædam, in qua nihil ualet absque approbatione;

batione. Separata est igitur à propositione, & assumptione approbatio. Itaque uidetur enthymema totidem partes habere, quot habet syllogismus primus, cum deest ipsi propositio, aut assumptio, & adest alterutra, & alterutrius approbatio, & conclusio in hunc modum; Iustitia est uirtus: est enim habitus naturæ rationi consentaneus: ergo amabilis. Et uirtus amabilis: nam bonum: ergo iustitia amabilis. Quod si reciperetur, nihil prohiberet, quominus etiam enthymema ex pluribus constaret, & tamen esset imperfectus syllogismus; cum scilicet deesset propositio, & adesset ꝓpositionis approbatio, assumptio, assumptionis approbatio, complexio; cuiusmodi enthymema in procemio Rhetoricæ reperitur, quod reducitur ad hunc syllogismum quinquepartitum.

Qui nihil de enthymematibus dixerunt; id quod est corpus fidei; de iis vero, quæ sunt extra rem, plurima tradiderunt, exiguam artis Rhetoricæ particulam confecerunt.

Fides enim sola continet id, quod artificiosum est; alia uero additamenti sunt loco.

Alij de enthymematibus nihil dixerunt; de ijs vero, quæ sunt extra rem, plurima tradiderunt.

Criminatio enim, & misericordia, & ira, & huiusmodi animi perturbationes de re non sunt, sed ad iudicem referuntur.

Ergo exiguam artis Rhetoricæ particulam confecerunt.

Huius syllogismi ponitur prima conclusio: omittitur propositio: secunda affertur propositionis approbatio: tertia assumptio: quarta assumptionis approbatio. Itaque huiusmodi enthymema constaret ex quattuor partib. Verum in hac explicatione non facile admittitur, posse esse, vel

fe vel sexcentas enthymematis partes, nedũ tres, aut quattuor, quòd in eo approbationes multiplicentur; quæ approbationes tametsi sint separatæ à propositione, vel assumptione alicuius argumẽtationis, tamen non sunt existimandæ partes illius argumentationis, sed alterius, in qua eiusmodi propositio, uel assumptio efficitur conclusio. Sed ut sint partes, quod potest concedi in ratiocinatione, quæ non simplex, sed multiplex sit, non uidetur esse bona collatio, vt enthymema habens approbationes conferatur cum syllogismo approbationum experte: par enim debet esse conditio in comparatione, ut res simplex cum simplici, coniuncta cum coniuncta comparetur, & non simplex cum coniuncta, vel è conuerso.

5 Hanc dubitationem cum proposuissem Reuerendo Patri, Thomæ peregrino uiro in Aristotelis doctrina omnium consensu præstantissimo, & eorum, quæ μετὰ τὰ φυσικὰ dicuntur, in hoc celeberrimo gymnasio explicatori clarissimo. intellexi eum sine ulla dubitatione sentire in illis Aristotelis uerbis agi non de solo enthymemate, sed de syllogismo in vniuersum tum perfecto, tũ imperfecto, qui est ex paucis, cum est perfectus, ac sæpe paucioribus, quàm syllogismus primus, id est perfectus; cum est enthymema, quod sæpe adhibetur, quia sæpe aliquid notum est, quod nõ oportet dicere, quia id ipse supplet auditor, vt nota est propositio maior in hac argumentatione, Dorieus uicit coronarium certamen: vicit enim olympia. vbi deest, Qui uicit olympia, uicit coronarium certamen. quod non oportet adiungere, quia id omnes cognoscunt. vnde colligitur, si propositio maior nota nõ sit, eã sine dubio proferendam. Quæ argumentatio constans ex conclusione,

clusione, assumptione, & propositione maiore erit, non, ut putat Maioragius, enthymema, sed syllogismus, quia habebit omnia ea, quæ requiruntur in syllogismo. Hanc grauissimi uiri sententiam; vt verum fatear, diu, multumque dubitaui, quomodo sequi possem, cum illa uerba, Et ex paucis, mihi uiderentur pendere ab illis, Enthymema esse, & quæ sequuntur, ita ut de syllogismo in vniuersum intelligi non possent. Quamobrem ex altera parte uiri auctoritas, quam mihi tamquàm numen aliquod in scriptis Aristotelis declarandis arbitror intuendam, ex altera uerba Aristotelis me torquebant, ut quid mihi sequendum esset, statuere nescirem. Illuxit tandem veritas. in loco ualde obscuro, quo etiam, atque etiam inspecto cogitaui, illud, Et ex paucis, posse ex illis uerbis paullo superius positis pendere. Contingit autem concludere syllogismo, ut de syllogismo in vniuersum duo tradantur, primum alia concludi ex prius syllogismo conclusis, alia ex indigentibus syllogismo, alia ex confessis, & probabilib. deinde alia ex paucis per syllogismum perfectum. alia, & quidem sæpe, ex paucioribus per enthymema. Neque vero dubium est, quin Orator utatur etiam syllogismo perfecto. Nam, quemadmodum uel maiorem, uel minorem solet tacere, si notæ sint, sic si ambæ sint ignotę, ambas profert. idcircoque & Cicero in arte oratoria perfectam argumentationem dat etiam oratori; & in orationibus. quandoque reperiuntur integri syllogismi. Id quod notius est, quàm ut longiore indigeat disputatione. Sit igitur obscurissimus Aristotelis locus in hunc modum illustratus. Atque hæc sufficiant de enthymemate. Sequitur, ut agamus de exemplo.

De exẽplo. Scribit Aristoteles exemplũ esse inductionem oratoriam, idest, imperfectã. &, cum in multis, ac similibus demonstratur rem ita se habere, in Dialectica quidem inductionem esse, in Rhetorica uero exemplum. Quamquam illa multa, ac similia in inductione sunt omnia singularia, quæ probant vniuersale: in exemplo non omnia unde probatur singulare. Quod cuiusmodi sit, inferius apparebit.

Materia exempli est eadem, atque enthymematis.

Forma est, vt sit tamquàm pars ad partem, simile ad simile, cum inductio sit tamquàm pars ad totum. Inductio enim probat uniuersale: exemplum uero particulare. Quamquam inductio videtur etiam probare singulare, ut hæc apud Aristotelem lib. 2. si iis, qui alienos equos male curarunt, suos non tradunt; neq; iis, qui alienas naues subuerterunt; & similis est ratio in omnibus, neque nos, iis, qui male alienam salutem defenderunt, committere nostrã debemus. Et hæc Aspasiæ apud Ciceronem lib. 1. de inuentione; Dic mihi quęso Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurũ, quàm tu habes, utrum illius, an tuum malis? Illius, inquit. Quòd si uestẽ, & ceterum ornatum muliebrem precij maioris habeat, quàm tu habes, vtrum ne tuũ, an illius malis? Illius vero respondit. Age, inquit, si uirum illa meliorem habeat, q̃ tu habes, utrum ne tuũ, an illius malis? Hic mulier erubuit. Item hæc; Quæso Xenopho, si vicinus tuus meliorẽ equũ habeat, quàm tuus est, tuum ne equum malis, an illius? Illius, inquit. Quod si fundum meliorem habeat, quàm tu habes, utrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem scilicet.

licet. Quòd si uxorem meliorem habeat, quàm tu habes, utrum tuā, an illius malis? Atque hic Xenopho quoque ipse tacuit. Quamobrem etiā Boethus lib.2.de differentijs Topicis scripsit, per inductionem non solum vniuersale; sed ēt singulare comprobari. Responderi tamen potest, illas inductiones, quæ probāt singulare, esse imperfectas, & oratorias, & proprie exempla; idcircoq; Aristotelem de illis in Logica non meminisse, sed tantum in Rhetorica; ac Ciceronem eas considerasse, quatenus seruiūt oratori probabiliter, non necessario. Ac exemplū quidem diuersum est ab inductione non solum ratione conclusionis, uerum etiam similium, quæ colliguntur ad probandam conclusionem. Qua de re ita Aristoteles in Analyticis, Exemplum ab inductione differt, quòd inductio ex uniuersis singulis extremum in medio esse confirmat, nec connectit syllogismum ad extrema: exemplum autem, coniungit quidem, at ex omnibus non probat. Hic duas differentias Aristoteles affert; una, quòd inductio ex omnibus singularibus ostendat inesse extremum medio; exemplum non ex omnibus: altera, quòd illa ad extremum non copulet syllogismū; hoc copulet. Quæ differentiæ quales sint, breuiter consideremus.

Inductio ex minori extremitate, quæ constat ex omnibus singularibus ostendit medio termino inesse maiorem extremitatem. Minor extremitas est homo, equus, mulus, & alia eiusmodi. Medius terminus, Vacans bile. Maior extremitas longæuum. Sic ducitur argumentū, Homo vacans bile longæuus est. Item equus. Item mulus. sic cetera. Ergo omnia uacantia bile longæua sunt. Minor extremitas constat ex omni-

bus. Quod docet Ariſtoteles ſic; oportet autem intelligere minoré extremitatem quaſi quid ex vniuerſis ſingulis compoſitum. Nam inductio ex omnibus efficitur.

Præterea inductio ad extremum non copulat ſyllogiſmum. Quare idem ſcribit in hunc modū; Inductio ſyllogiſmo contraria eſt aliquo pacto: hic enim ex medio probat extremum in tertio: illa uero ab extremo cōfirmat tertium in medio. Cum igitur ſyllogiſmus per medium terminum alteram extremitatem alteri copulet; & inductio per alteram extremitatem oſtendat medio termino ineſſe alteram: fit, ut hæc illi quodammodo opponi uideatur.

Exemplum per id, quod eſt ſimile minori extremitati oſtendit medio termino ineſſe maiorem extremitatem. Minor extremitas eſt Athenienſes contra Thebanos. Simile eſt, Thebanos contra Phocenſes. Medius terminus contra confines inferre bellum. Maior extremitas malum. Ita ducitur argumentū; Contra cōfines inferre bellū malū eſt, ut Thebanos cōtra Phocenſes. Ergo etiam Athenienſes contra Thebanos. Quod eſt ſimile minori extremitati, non omne adducitur.

Præterea exemplum copulat ſyllogiſmum ad extremum in hunc modum. Contra confines inferre bellum málum eſt, ut Thebanos contra Phocenſes: Athenienſes contra Thebanos inferre bellū eſt cōtra confines inferre. ergo malū.

Cum autem Ariſtoteles tradat, Inductionem conſtare ex omnib. Exemplum non ex omnibus, quæritur, utrum illud NON EX OMNIB. intelligatur de vno tantum ſingulari, an etiam de pluribus.

Boethus putat de uno tātum, cuius uerba ſunt; Exem-

Exẽplum inductioni copulatur, & ab ea dissidet. Est.n. exemplũ quod per particulare propositũ particulare quiddã ostendere contendit, hoc modo; Oportet à Tullio consule necari Catilinã, cũ à Scipione Gracchus fuerit occisus. Quæ vtraq; particularia esse, ac non uniuersalia, singularum designat interpositio personarum. Quoniã igitur ex parte pars approbatur, quasi inductionis similitudinem tenet id, quod exẽplũ vocamus. Quòd uero non plures quibus quid efficiat, colligit partes, ab inductione discedit. Hæc Boethus. Addi potest, Aristotelẽ præcipere, exẽplũ esse, tamquàm partẽ ad partẽ, simile ad simile. ergo unũ singulare ad alterũ. Et eundẽ tradere, Vtrunq; esse sub eodem genere, alterum uero altero notius. igitur unum, quod probat alterum. Et cum plura singularia connumerantur, esse plura exempla.

Tamẽ cũ præcepisset Aristoteles in Analyticis. Exẽplũ ꝑ vnũ simile tertio ostẽdere medio inesse extremũ, ut cõtra cõfines inferre bellũ, malũ esse, quẽadmodum Thebanos contra Phocenses. quod est simile huic tertio, Athenienses contra Thebanos: addidit; Eodẽ modo fiet, si ex multis similib. probetur mediũ in extremo inesse. Itaq; uidetur constituere exemplũ ẽt ex multis singularib. sicut ẽt lib. 1. Rhetoricæ, ubi illud perpendi potest, Exẽplum oẽs fiunt Dionysij, & non exempla. Itemq; illud, Hæc aũt omnia huic uniuersali subijciuntur. Formatur.n. lib. 1. exẽplũ, in quo similia sũt Pisistratus, Theagenes, & alii, quoscunq; scimus. Minor extremitas Dionysius. Medius terminus Custodes postulare. Maior extremitas, Affectare tyrannidem. ac ducitur argumentum in hunc modum; Qui custodes postulat, affectat tyrannidem, ut Pisistratus, Thea-

genes,& alij. Dionysius custodes postulat. ergo affectat tyrannidem. Itaque in hoc exemplo duo similia existunt, Pisistratus, & Theagenes. Formatur quoque lib. 2. alterum exemplum, in quo similia existũt Darius, Xerses. Minor extremitas Rex. Medius terminus occupare Aegyptũ. Maior extremitas Traijcere, ac ducitur argumẽtum sic, Qui occupant Aegyptum, traijciunt, ut fecit Darius, & Xerses. Rex occupabit Aegyptũ ergo traijciet. Sic in hoc sunt duo similia, Darius, & Xerses. Quid? quòd ipse Aristoteles lib. 2. prope finem aperte declarat, exemplum ex pluribus singularibus posse existere? Nam ubi præcipit, enthymemata ex quattuor duci uerisimili, exemplo, tecmerio, signo, exponens enthymemata, quæ ducuntur ab exemplo, scribit in hanc sententiã; Quæ ex inductione rei similis, aut unius, aut plurium, quando aliquis, qui assumpserit vniuersale, concludat deinde id, quod est in parte, ab exemplo.

Quamobrem potest ad argumenta contraria responderi, Illud Non ex omnibus posse etiam intelligi ex aliquibus contra quàm sentit Boethus. Et exemplum quidem esse tamquàm partem ad partem: sed accipi quoque partem pro multis singularibus, ut in inductione, quæ sine dubio constat ex multis singularibus, immo ex omnib. & tamen dicitur esse tamquã pars ad totum. Et, cum dicitur, Vtrumque esse sub eodem genere, & alterum altero notius, considerari exemplum, ex quibus minimum constet. Nec appellanda esse plura exempla, quia plura singularia existant. Non enim esse exemplum unumquodque simile, quod colligitur in argumentatione, sed totam argumentationem cum approbatione unius, uel

plurium

plurium similium. Alioquin secuturum illud absurdi, ut ne argumentatio quidem illa, in qua unum singulare probat alterum, appellari exẽplum possit, sed tantum singulare illud, quod ponitur in approbatione. Id quod alienum esse à doctrina Aristotelis arbitramur; ut exemplum sit unus terminus, vel una propositio, & non integra argumentatio.

Exposita in uniuersum demonstratione oratoria, quæ fit tum enthymemate, tum exemplo; cũ ipsum enthymema constet ex uerisimilib. & signis, intelligendum est, quid sit uerisimile, & quid signum.

De uerisimili. Docet Aristoteles in Rhetorica, Verisimile esse, quod fit plerunque, non simpliciter, quemadmodum definiunt non nulli, sed quod in iis, quæ aliter se habere contingit, sic se habet ad illud, cui est uerisimile, ut uniuersale ad singulare. Duo igitur considerat in uerisimili, ut plerunq; ita se habeat, ut sit uniuersale. In Analyticis, Verisimile esse, probabilem quandam propositionem. Quod enim plerunque uulgo norunt, ita fieri, uel non fieri, esse, vel non esse, id uerisimile appellari, ut odio habere inuidentes, uel amare amatos. Hoc Philoponus ita explicat, ut dicat, plerunq; fieri, ut inuisi inuidentes odio habeant, uel amantes ament amatos. Victorius, plerunq; fieri, ut inuidentes odio habeant inuisos, uel amati ament amatos. Nos sequimur Victorij explicationem, cum præsertim secundum Philoponi exemplum magis necessitatem, quàm uerisimilitudinem cõtinere uideatur, iuxta illud, Nemo amator est, qui perpetuo non amet.

De signo. Idem Aristoteles tradit in Rhet. Ex signis unũ esse necessarium, nominatum tecmerium: alte-

rum non necessarium, innominatum. Atq; id duplex esse, unum singulare ad vniuersale, quod solui potest; quamuis quod dicitur, uerum sit; propterea quòd syllogismo non concludatur: alterum vniuersale ad singulare, quod solui item potest; quamuis verum sit. In Analyticis, signum triplex esse; aut enim ita se habere, ut in prima figura, & solui non posse: aut ut in media, & solui posse: aut ut in tertia, & solui item posse. Quorum omnium, sua afferuntur exempla in hunc modum.

Tecmerij in Rhet. Qui febrem habet, ægrotat. Hic febrem habet. Ergo ægrotat. Quæ lac habet, peperit. Hæc lac habet. Ergò peperit. In Analyticis; Quæ lac habet, prægnans est. Hæc lac habet. Ergo prægnans.

Signi non necessarij singularis, lib. 1. Rhet. Socrates est sapiens. Socrates est iustus. Ergo oẽs sapientes iusti, lib. 2. Harmodius, & Aristogiton fuerunt amatores, Harmodius, & Aristogiton fuerunt utiles Reip. Ergo omnes amatores utiles. In Analyticis; Pittacus est sapiens. Pittacus est probus. Ergo omnes sapientes probi.

Signi non necessarij uniuersalis, lib. 1. Rhet: Qui febrem habet, anhelat. Hic anhelat. Ergo febrem habet, lib. 2. omnes fures sunt improbi. Dionysius improbus. Ergo fur. In Analyticis; Quę uterũ gestat, pallet. Hęc pallet. Ergo vterũ gestat.

An uerisimile sit idẽ cum signo non necessario uniuersali.

Iam quæritur, quid inter verisimile, & signum non necessarium vniuersale intersit. nihil enim uidetur interesse, cum neutrum sit necessarium, & utrunq; vniuersale. Quòd si nulla differentia existat, Aristoteles minus recte tradidisse existimabitur, enthymema duci ex uerisimilib. & signis; cum satis esset nominare signa, quibus subijciantur

bijciantur

bijciātur uerisimilia. Nam vitiosa est ea diuisio, cuius una pars sub altera continetur; ut cū ea, ex quibus ducuntur enthymemata, diuidantur in uerisimilia, & signa, uitiū notari possit in huiusmodi diuisione, si uerisimilia signis subiaceant. In hac quæstione notandum est, quid Cicero, quid Quinctilianus, quid Philoponus, quid alij senserint; & colligendum, quod sit probabilius.

1 Philoponus scribit diuidi signum in tecmerium, & uerisimile.

2 Quinctilianus, quædam esse signa non necessaria, quæ εἰκότα Græci uocāt, id est uerisimilia. Itaque hi uidentur existimare idem esse signum non necessarium, & uerisimile. Atq; in eo dissentiunt ab Aristotele, quòd confundunt signum cū uerisimili, & nomen ei signo tribuunt, quod est sine nomine.

3 Cicero in Particionibus præcipit, Verisimile esse, quod plerunq; ita fiat, ut adolescentiam pro cliuē esse ad libidinē: propriæ autē notæ argumētū, quod nunquā aliter fiat, certumq; declaret, vt fumus ignē. Atq; cū tradat, uerisimilia reperiri in personis, in locis, in tēporib. in factis, in euentis, in rerum ipsarum, negociorumq; naturis: addit, esse genus argumentationis aliud, quod ex facti uestigiis sumitur, ut telum, cruorem, clamorem editū, titubationem, permutationē coloris, orationem inconstantem, & eorum aliquid, quod sensu percipi possit, etiam si præparatū aliquid, si communicatum cum aliquo, si postea uisum, auditum, indicatum. Igitur loco signi nominat propriam rei notam, & facti vestigia: id tamen, quod quærimus, non satis declarat, Lib. 1. de inuentione definit signum, vt sit, quod sub sensum aliquem cadit, & quoddam signi-

ficat

ficat,quod ex ipſo profectũ uidetur, quod aut ante fuerit, aut in ipſo negocio, aut poſt ſit conſecutum; & tamen indiget teſtimonij, & grauioris confirmationis,ut cruor,fuga, pallor,puluis, & quę his ſunt ſimilia.

4 Hanc definitionem ſequitur Maioragius, & alij multi, qui putant, cum omnis cognitio noſtra duplicem originem habeat, uel à ſenſu, uel ab intelligentia;neceſſe eſſe, vt etiam omnia argumenta, quæ nobis cognitionem aliquam afferunt, uel ad ſenſum, uel ad intelligentiam referantur. Et, quæ ad ſenſum pertinẽt,uocari ſigna, quòd aliquid ſignificẽt per ſenſum,ut per uiſum, aut per auditum,aut per alios: quæ uero ducuntur ab intelligentia,uel opinione, uerisimilia dici. Ergo illud ex horũ ſententia intererit inter uerisimile, & ſignum innominatum uniuerſale, quòd unum ad intelligentiam pertineat, ut omnes matres amare filios: alterum ad ſenſum, vt omnes febre laborantes anhelare. Hi tamen non uident apud Ariſtotelem ſignum etiam eſſe,quod pertinet ad intelligentiam, ut omnes ſapientes eſſe iuſtos,quoniam Socrates fuit ſapiens, & iuſtus. Tam enim pertinet ad intelligentiam ſapientia,& iuſtitia Socratis, qui ſunt habitus animi,& animo comprehenduntur, quàm amor omnium matrum erga filios. Caualcantius, qui artẽ Rhetoricã Hetruſco tractat ſermone, & conatur ſententiã Ariſtotelis facillime explicare, reſpõdet,ſapientiam, & iuſtitiam Socratis pertinere ad ſenſum,quia ab hominib. illius temporis, cum uiuebat Socrates,uiſu,& auditu comprehenſa ſit. At etiam uerisimile comprehenditur hoc modo,dum effectus amoris in matrib. conſpiciũtur,aut audiuntur. Itaque tam uerisimile, quàm

ſignum

ſignũ hoc modo conſideratũ ad ſenſum pertinebit. Verum aliud eſt cõprehendere uirtutẽ, aliud effectum uirtutis. illud ad intelligentiam: hoc ad ſenſum pertinet.

5 Addit Maioragius; Eſt illa ſatis aperta differentia, inter uerisimile, & ſignũ, quòd uerisimile ducitur à cauſſis, & cõi opinione, ut quòd Malleolus culeo ſit inſuendus, quia eſt parricida, & Antonius ſit hoſtis iudicandus, quod patriæ bellũ inferat. Nam ita cenſent omnes, nẽpe eos, qui parentes occidunt, culeo inſuendos eſſe, & qui bellũ patriæ inferunt, hoſtes eſſe iudicandos: Signũ autẽ ducitur ab effectis rebus, quæ ſub ſenſum cadunt, vt Areopagitæ puerũ dãnarunt, qui cothurnicibus oculos effodiebat, & deinde uiuas emittebat. id enim ſummæ crudelitatis ſignum eſſe iudicarunt. Atque hæc diſtinctio facilis eſt, & expedita. Tibi quidem, Maioragi, facilis, & expedita. Mihi uero non ſatis clara, qui non intelligo, cur etiã uerisimile non posſit eſſe ab effectibus ut Eum, qui iraſcitur, paruifieri. Eum, qui nobis benefacit, eſſe nobis amicũ. Et ſignũ à cauſsis, ut Eſſe ſolem ſuper terram, & ideo diem. Eſſe ignẽ, & ideo fore cinerẽ. Quare nec hæc quidẽ explicatio, quæ cõplectitur omne ſignum, uidetur plane diſtinguere uerisimile à ſigno innominato uniuerſali.

6 Sunt, qui putent propoſitionẽ uerisimilem accipi in ſe ipſa, tamquàm rem, quæ generatim ita ſe habeat plerunque in opinione hominũ, cũ alicuius alterius rei indiciũ non ſit. Signum autẽ eſſe ſemper propoſitionem, quæ alterã rẽ indicat. Hæc profecto ut doctisſimorũ, & in dicendi doctrina, atque adeo etiam in uniuerſa philoſophia præſtantisſimorũ hominũ diſtinctio eſt, ita

ſub-

subtilissima: tamen, vt uerum fatear, apud me clariore explicatione indiget, qui non satis uideo, quomodo adolescentem esse minus indicet propēsionem ad libidinem, quàm anhelare indicet febrem, & pallidam esse mulierem indicet ipsam esse grauidam; cum præsertim uerisimile uideatur esse certius indicium, quàm signum, nempe innominatum. nam sæpius euenit, ut adolescentes ad libidinem propensionem habeant, quàm ut qui anhelet febricitet, aut quæ pallida sit, grauida sit. Accedit quòd hoc signum, Socratem esse iustum, non magis indicat omnes sapientes esse iustos, quàm hoc verisimile Matrem esse, indicet ipsam amare filios.

7 Mihi quidem in hoc acrius intuenti nulla alia uidetur esse inter verisimile, & signum non necessarium uniuersale differentia, nisi quòd illud est propositio probabilior: hoc propositio minus probabilis. Signum enim esse non terminū propositionis; sed integram propositionem, inferius probabimus. Quamobrem ita distinguendū esse arbitramur, ut dicatur duplex esse signum; vnum perfectius uerisimili, quod appellatur tecmerium: alterum imperfectius, quod nomen non habet; & est duplex; uel tamquàm singulare ad uniuersale, & peccat in tertia figura syllogismorū, in qua ex puris singularib. nihil probari pōt, ut Socrates est sapiēs: Socrates est iustus: ergo omnes sapientes sunt iusti; uel tamquàm vniuersale ad singulare, & peccat in secunda figura, in qua ex solis affirmantibus non licet conclusionem colligere, ut Qui febrem habet, anhelat; Hic anhelat: Ergo febrem habet. Vtrunque autem est imperfectius uerisimili, quia vtrunque peccat in forma, cum uerisimile non peccet.

Itaque

Itaque recte Victorius post multas, & uarias distinctiones, Maiorem inquit, ad probandum vim habent verisimilia. quàm signa, ac certiora inde argumenta conflantur: quia illa plerunque fiunt: signa autem, exceptis propriis, certisque non tam firma sunt, sæpiusque in fraudem inducunt. Verisimile igitur est, quod crebro contingit, ut senes esse auaros, Matres amare filios: signum uero innominatum uniuersale est; quod æque, uel raro contingit, ut Eum qui anhelat febrem habere, Eam, quæ pallida est, grauidam esse, ut illud ἐπιτοπολύ, id est Plerunque, quod de uerisimili, non de signo legitur, distinguere hoc ab illo uideatur.

Iam, cum præcipiatur, Ex signis vnum esse ut singulare ad vniuersale; alterum ut vniuersale ad singulare; dubitatur à non nullis vtrum id intelligendum sit de terminis propositionis, quorum alter sit singularis ad vniuersalem, alter vniuersalis ad singularem: an de propositione, quæ sit uel singularis ad uniuersalem conclusionem, uel vniuersalis ad singularem. *Vtrum signum sit terminus, an propositio.*

Alexandro Piccolhomineo placet, id intelligendum esse de terminis, quem sequitur inter ceteros Raphael Cyllenius in Tabulis Rhetoricis, dum scribit, Illorum signorum, quæ se habent ut singularia ad uniuersalia, vnum solui posse; ut Socrates sapiens fuit, & iustus: omnes igitur sapientes iusti. alterum inecessarium esse, ut Qui febri laborat, ægrotat; & Quæ lac habet, peperit.

Contrariū tamen uidetur Aristoteles sentire, apud quē legitur in Analyticis, signū debet esse

pro-

propoſitio demonſtratiua, uel neceſſaria, uel probabilis, &c, Vbi una tantum propoſitio dicitur, ſignum eſt tantum: ſin altera aſſumatur, tum eſt ſyllogiſmus. Accedit quòd cū veriſimile, ſit tamquàm uniuerſale ad ſingulare, ſi ſpectentur termini propoſitionis, & non propoſitio, erit potius tamquàm ſingulare ad uniuerſale, vt Inuidentes odio habent, & Amati amant. minus enim uniuerſalis eſt inuidia, quàm odiū; & pauciores sūt, qui amantur, quàm qui amant. Quamobrē, quēadmodum ueriſimile dicitur eſſe tamquàm vniuerſale ad ſingulare nō ꝓpter terminos, ſed quia ſit propoſitio vniuerſalis ad concluſionem ſingularem: ſic dicendum quoque eſt de ſignis. Quid? quòd ſimpliciter tradit Ariſtoteles ſignum, quod ſe habet tamquàm ſingulare ad uniuerſale, ſolui poſſe? id quod falſum eſſet de tecmerio, ſi propterea intelligeretur eſſe tamquàm ſingulare ad vniuerſale, quia in propoſitione, quæ dicitur ſignum, ſit unus terminus tamquàm ſingularis ad vniuerſalem, ut ſe habet febris ad ægrotationem in hac propoſitione, Qui febrem habet, ægrotat. Corrigendus enim eſſet quodammodo Ariſtoteles, & dicendum, non illud ſignum, quod ſe habet vt ſingulare ad uniuerſale, eſſe λυτὸν, ſed partim ἄλυτον, partim λυτὸν, quemadmodū uiſus eſt corrigere Cyllenius. Quod quàm recte, facile poteſt iudicare.

Cum autem ueriſimilia, & ſigna ducantur partim ex formis, partim ex propoſitionibus communibus, partim ex locis Topicis, inueſtigādę primū ſunt formæ. Voco, inquit Ariſtoteles, formas propoſitiones proprias vniuſcuiuſque generis; quæ ſine dubio cognoſci non poſſunt, niſi prius genera orationum oratoriarum cognoſcantur, quæ

ſunt

ſunt tria, deliberatiuum, demonſtratiuum, iudiciale. De his generib. antequã ad formas ueniamus pr imũ conſiderandũ eſt. an omnia, quæ pertinẽt ad oratoris officium, ſub ipſis contineantur: deinde quo in genere uerſentur orationes eccleſiaſticæ, quas concionatores noſtrorum temporum in eccleſijs habent.

De generib. cauſſarum duæ quæſtiones.

M. Antonius Muretus, vir Gallus, doctiſſimus, ac diſertiſſimus, in commentario ſecundæ Catilinariæ refellendi ſtudio inuectus eſt in ueteres dicendi magiſtros; ac ſcripſit, illud conuenire nullo modo poſſe, ut & omnibus de reb. dicere ſit oratoris, & totum illius officium contineatur tribus cauſſarum generibus demonſtratiuo, deliberatiuo, iudiciali. & paullo poſt addidit; Tu vero, qui oratorem Hippiam quẽdam παντοδαπ facis, quæro ex te, cum ille de corporum cœleſtium motibus, de fulgurib. de terræmotib. diſputabit: (quando hæc quoque ad munus illius pertinere uis) in quo iſtorũ triũ generum eum uerſari dices? neque enim tum laudabit, neque vituperabit: neque ſuadebit, neque diſſuadebit: neque accuſabit, neque defendet. Hæc ille. Nobis facilis videtur eſſe reſponſio, omnibus quidem de reb. dicere oratoris eſſe: ſed non contineri res omnes trib. cauſſarũ generib. quòd quæſtiones infinitę quandoque tractentur ab oratore, quę non ſunt cauſſæ. Omnes autem res tribuit oratori uel ipſe Ariſtoteles in definitione Rhetoricæ. & agnoſcit in munere oratorio non ſolum quæſtionem definitam, quæ tria cauſſarum genera complectitur: uerum etiam infinitam, vt ſupra probauimus. Itaque non ſunt confundendæ quæſtiones. Neq; dubitandũ, ſub quo triũ generũ contineantur quæſtiones de corporum cœleſtiũ

An omnia contineãtur ſub tribus cauſſarũ generibus.

motib. de fulgurib. de terræmôtib. Notiſſimũ. n. eſt, de his quæri aut infinite, aut definite. primo mõ quęſtiones ſub nullo eſſe, cũ infinitæ exiſtãt. ſecundo mòdo ſub aliquo, ut ſub deliberatiuo, cũ quis ex illis voluerit ſuadere aut bonũ aliquod ſperandum, aut malum metuendum, aut metum abijciendum, quòd illa naturalia ſint, aut aliquid aliud eiuſmodi: uel etiam ſub demonſtratiuo, cum illa trahuntur ad laudem, uel uituperationem alicuius. Ad quæſtionem autem definitam referũtur omnia, quæ tractantur ab oratore definitę, & ſingulariter; quæ tametſi aperte ĩ ipſis generib. non ſint, ſub ipſorum tamen præcepta cadere exiſtimantur. Quod docuit Cicero, Quinctilianus, & alij. Contra tamen ſenſit Muretus, qui profitetur multa eſſe, quæ in ueterib. dicendi magiſtris ipſe admiretur, & non ſatis probet; cum tamen maiorem gloriæ ſuæ partem ex artis Rhetoricæ ſtudio uendicaſſe ſine dubio uideatur. Verum ea ſemper fuit magnorum oratorum cõſuetudo, ut artem ſuam nimis fortaſſe ſuſpectam occultarent. Qua in re peſſima uidetur eſſe, conditio artis Rhetoricæ, quòd qui ab ea maxime adiuuantur, eas ſæpe gratias referunt, ut eã ſpernere, floccifacere, & maledictis inſectari uideantur. Niſi forte dicamus, cum ipſa doceat, quomodo in contrarias partes conuertatur oratio, ipſã etiam contra ſe id muneris obire, ut uerum eſſe, quod ipſa profitetur, magis appareat. Muretus igitur in hunc modum; Ego autem ſiquis quærat ex me, quo in genere cauſſæ, aut controuerſiæ ſit ea oratio, qua quotannis olim eos, qui pro patria occubuerant. Athenis laudare mos erat; plane reſpondebo in nullo; nulla enim ibi neq; cauſſa, neque controuerſia eſt, neque quidquam, de quo quiſquam controuerſetur, & tamen ẽ Ple-

tonis, Aristotelisq; doctrina uere dici potest, esse γένος ἐπιδεικτικὸν ῥητορικοῦ λόγου. & paullo post; Ac ne longius exempla repetamus, hæ in Catilinam orationes præter postremam, quæ sane deliberatiua dicatur, sub nullum ex illis trib. generib. includi queunt, Non sub iudiciale: neque enim habentur in iudicio. Non sub demonstratiuum: nam in demonstratiuo sola audientiũ uoluptas quæritur; totumq; illud genus ad pompam, & ad ostentationem comparatur. Non sub deliberatiuum: in priore enim, ut vidimus, nulla deliberatio est; quin id tantum agebat Cicero, vt exiret Catilina, quo ipse postea cũ senatu deliberare de Rep. posset; neque enim præsente eo deliberare, aut decernere utile fuisset. Hæc autem, quam nunc explicare aggredimur, itemque tertia, nihil aliud agit, quàm ut exponat populo ea, quæ gesta sunt, eumque confirmet, ac bene sperare iubeat. Hæc ille. Nos respondemus, orationẽ de iis, qui pro patria occubuerant, sine dubio demonstratiuam fuisse; & caussã, ac controuersiam extitisse, si non de re, at certe de qualitate, uel quantitate rei; cuiusmodi controuersias in genere demonstratiuo agnouit Aristoteles lib. 3. vbi egit de narrationi demonstratiua, & scripsit non solum eam constare ex iis, quæ arte carent, ꝙ qui dicit, actionũ auctor non sit, sed etiam ex iis, quæ artem habent; hoc autem esse, ut res aut esse demonstretur, si fide careat, aut qualis sit, aut quanta, aut etiam omnia. Quod attinet ad Catilinarias orationes, dicimus ex Aristotelis doctrina omnes referri ad genus deliberatiuũ; idq; cognosci ex auditorib. ex partib. ex tẽpe, ex fine, q̃ quattuor spectãda esse in singulis generib. ipse Arist. docet. Nã prioris orationis audi

R tor

tor est Senatus, quemadmodum etiã postremæ; secundæ autem & tertiæ concio; cuiusmodi auditores solent esse generis deliberatiui. Cum uero eius duæ partes sint, adhortatio, & dehortatio, in prima Cicero hortatur, & quodammodo impellit Catilinam, ut ex urbe exeat, quippe qui nihil efficere amplius possit, patefactis consilijs suis. In secunda, atque in tertia, per narrationẽ eorum, quæ gesta sunt, hortatur populum, ut domos suas custodijs, uigilijsq; defendant. In quarta, de qua nec ipse quidem Muretus dubitat, hortatur patres, ut fortiter, atque animose decernãt.

Præterea sine dubio in omnibus agitur de re futura; quod tempus est generi deliberatiuo accommodatum. Et in omnibus spectatur utile, & inutile, qui ꝓprius est finis generis deliberatiui.

Quo in genere sint ecclesiasticæ orationes.

Ecclesiasticas autem orationes quidam putãt esse modo demonstratiuas, modo iudiciales, modo deliberatiuas; idque etiam præcipiunt in Rhetorica ecclesiastica. Nos non ut illorum opinionem refellamus hominum sapientissimorum, ac omni reuerentia, & obseruantia dignissimorum, sed tantum ut nostram sententiã, qualiscunque sit, aperiamus; dicimus, eas esse semper deliberatiuas. Nam, cum genera caussarum distinguantur ex auditorum generibus, & sit genus caussæ συμβουλευτικόν, cum auditor est ἐκκλησιαστής, qui aliquid decernit de reb futuris: huiusmodi orationum auditor semper est concio, quæ de uita futura decernit. Itaque ipsæ semper in genere deliberatiuo existunt; ut oratio, & Rhetorica ecclesiastica nihil aliud sit, nisi deliberatiua. Accedit, quòd partes generis deliberatiui sunt προτροπὴ καὶ ἀποτροπὴ, & totum concionandi munus in exhortationibus positum est, scribente D. Paullo

ad

ad Corinthios; Pro Chiisto legatione fungimur, tamquàm Deo exhortante per nos. Sic semper res futura spectatur, nempe melior uita; quod tẽpus generi deliberatiuo accommodatum est. Et suadetur vtile, nempe id, quod confert ad vitam æternam; quem diximus esse proprium finem huius generis, quod non solum uocatur συμβουλευτικὸν, id est deliberatiuum, uerum etiam ἀπὸ τοῦ ἐκκλησιασοῦ, uel ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐκκλησιαστικὸν, id est à concione concionale. quod est idem, ac δημηγορικὸν, id est populare. Quare Aristoteles in procemio significans genus deliberatiuum dicebat, περὶ τὰ δημηγορικὰ, & τὴν δημηγορικὴν πραγματείαν, id est, ἐκκλισιαστικὰ, & ἐκκλησιαστικήν. Neque obstat, quòd in his orationib. sæpenumero laus, & uituperatio, uel accusatio & defensio adhibeantur. nam illa omnia nõ sunt ipsarum propria, sed assumpta; &, cum aliquod genus est nominandũ, attenditur finis eius, & non ea, quæ assumpta sunt ad probandum illũ finem. Sæpe enim fit, ut ad probationem finis unius generis assumantur fines aliorum; ut cũ uult probare Cicero esse utile præficere Pompeium bello Mithridatico, probat etiam esse iustum, & honestum, gerere bellum contra Mithridatem. Genera enim permiscentur: sed semper vnum est præcipuum genus. Assumi autem ea, quæ propria sunt aliorum ad aliquod genus cõprobandum, docuit Aristoteles in hunc modum; Finis præterea vnicuique eorum diuersus est; & cum tria sint genera, tres etiam sunt fines; deliberanti quidem utile, & perniciosum. Etenim suadens, vt melius suadet: dissuadens, ut peius dissuadet. Alia autem ad hoc simul assumit, uel iustum, vel iniustum, vel honestum, uel turpe,

Litigantibus uero iustum,& iniustum, cũ alia ẽt hi ad hæc simul assumant. At laudantib. & uitu perantibus honestum, & turpe. Alia autem & hi ad hæc referunt. Cum sit igitur Rhetorica ecclesiastica eadem, ac deliberatiua, possunt quidẽ ea, quæ de hoc genere scripsit Aristoteles, trahi ad nostrorũ tporũ vsum, sed quoad artis cõformatio nẽ tã perfecte scripta sunt, vt uix aliquid eis addi posse videatur. Quamobrẽ nostrorũ tporum cõcionatores nec aliorum ecclesiasticas Rhetoricas dẽnt contẽnere, quæ præsertim à pceptis Aristotelis nõ sunt alienæ; qualẽ esse Rhetoricã nobilissimi, ac eruditissimi Augustini Valerij, Episcopi Veronę soleo cõmemorare: nec parũ adiuuabũtur in suis cõcionib. ex arte formãdis, si ad oĩum philosophorũ, & rhetorum principem Aristotelem confugerint. Nunc ad forma singulorum generum ueniamus.

De formis singulorum generum.

Superius notauimus, formas uocari pprias ppositiones ipsorũ generũ, ductas à finib. eorũ. Tradit, n. Arist. oratorẽ subiecti gñis proprio sibi proposito fine, uel utili, uel honesto, uel iusto; cõsiderare oportere, quid ille finis sit, & quot eius partes, ut qd utile, honestũ, iustũ, & quot partes utilis, honesti, iusti; &, queadmodũ, cũ de quinq; potissimũ cõtingẽtib. reb. ĩ gñe deliberatiuo cõsiliũ agitetur, ppriæ ppositiones in deliberãdo ducãtur ex felicitate, & partib. felicitatis, ex bonis cõfessis, cõtrouersis, cõparatis accõmodate ad finẽ vniuscuiusq; Reip. Et in laudãdo, ac vituperãdo à virtute, & uitio; ab iis, q̃ efficiunt uirtutẽ, & vitiũ; ab ijs, quæ efficiuntur à virtute, & uitio. Et in accusando, ac defendendo ex triũ rerũ inspectione, Quarũ rerũ caussa fiant iniurię, & à quib. & quib. Iam oẽs formas explicare longius est, q̃ propositum

sunt

ti nostri ratio uidetur postulare:non.n.oĩa nobis sunt declaranda;sed illa tãtum, quæ lumẽ desiderant; quorũ alterũ nimis diligẽtis explicatoris est,qui ẽt res explicatione non indigentes,uel ab aliis explicatas persequatur:alterum eius,qui nihil superuacanei uelit efficere. Sat igitur erit capita harum formarum notare, & in declarandis iis potissimum formis commorari, quæ nobis obscuriores uidebuntur; cũ præsertim in conuersione nostra ad orã libri ipsæ ita distinctæ sint, ut fere oẽs intelligi facile possint. Numerũ quoque pagellarũ ob maiorẽ cõmoditatẽ notabimus.

De formis deliberatiuis.

Ac de genere quidẽ deliberatiuo, qđ in procemio dicitur esse pulchrius,& ciuilius, quia fit bonum communius; primo loco traditũ est,quibus de rebus potissimum sint formæ deliberatiuæ:nõ enim sunt de reb.necessarijs,nec de ijs, quę fieri non possunt, nec de iis, quæ naturaliter contingunt,nec de iis,quæ à fortuna, sed de iis, quæ à nostra uoluntate; & in primis de parandis pecunijs,de bello,& pace,de custodia regionis,de rebus importandis, & exportandis, de legum latione. Secundo loco demonstratum est, ex quibus rebus colligantur formæ deliberatiuę: colliguntur enim ex iis, quæ pertinent ad felicitatem,uel ad partes felicitatis, tum eas,quę sunt in ipso,ut in animo,& in corpore,tum quæ extra ipsum. Tertio enumerãtur formæ bonorum confessorũ.Quarto controuersorum.Quincto cõparatorum. Sexto agitur de Rebusp.ad quarum fines deliberatio accommodanda est.

pag. 16.

Quinque autem rerum genera, quæ initio cõmemorantur, referri ad quattuor rerum caussas possunt, quæ libro tertio Ethicorum recensentur, id est, ad necessitatem,naturã, fortunã,

præterea mētē, atq. oē id,quod per hoīem agit. Nā sub necessariis cōprehēdūtur ēt ea,q̄ fieri nō possunt. quod enim necesse est,ut sit; fieri non potest;quin sit: & quod fieri non potest, necesse est,ut non sit. Traditur ergo in Ethicis delibera tionē nō esse de reb.necessariis,quę semper eodē modo eueniunt, vt Solis conuersiones,& ortus. Neq; de iis,quas euenire diuersis modis naturali ter contingit,quo in genere sunt siccitates,& imbres. Nec de ijs, quæ casibus fortunæ subiectæ sunt,qualis est thesauri inuentio: sed de ijs, quæ naturam attingunt humanam.Neq; uero de omnib. cū Lacedæmonij non deliberent, quēadmodum Schythæ administrare Rēp.possint: sed de ijs tantū, quæ sunt in nostra potestate, ut eueniāt.

pag. 23. & 24. In partibus felicitatis, dum tractatur de uirtutibus corporis,commemorantur pentathli,id est, quinquertiones. Maioragius, vbi agitur de pulchritudine,explicat quinquertiones,qui ex quinque certaminibus uictoriam, præmiumq; reportabant,hoc est luctatione,cursu,saltu,disco, iaculatione.Idem paullo post,ubi de facultate certandi sermo est,non uidetur sibi constare, cum scribat,Pentathlos,qui latine quinquertiones uocantur,fuisse,qui & lucta, & pugillatione, & cursu victores euadebant,atque ita dictos, quòd quinque nomina possent habere, & nominari luctatores, pugiles, cursores,pancratiastæ, pentathli. Quamquàm autem plerique putant ad quinquertiones quinque certaminum genera pertinuisse, nempe illa,de quibus meminit Simonides in illo disticho;

Pythia deuicit Diophon,atque Isthmia,saltu,
Et disco,& lucta,& iaculo, & pedib.

tamen Aristoteles trium tantum certaminum.

men-

mentionem facit, cursus, luctæ, pugillationis ; ut ex eius sententia quinquertiones sint, non qui quinque certamina exercerent, sed qui essent in quincto genere eorum, qui certarent; & appellati sint pentathli, ac quinquertiones non qui in quinque, sed qui in tribus certaminibus valerēt, quemadmodum pancratiastæ in duob. quod uoluimus hic adscribere, ut standum esse secundæ Maioragij explicationi affirmaremus, quæ Aristotelis verbis, & sentētiæ quadrat ; ubi etiā obseruandum est, pro eo, quem alij nominant ἄκοντα, id est, iaculantem, Aristotelem nominare πληκτικὸν, id est pugilē, & pungentē, ac percutientē. pag. 26.

In bonis confessis duo modi cōsequēdi enumerantur, vel simul; vt sanitatē simul cōsequitur vita: uel posterius, ut disciplinā posterius cōseqtur scientia. In bonis cōparatis tres, addito cōsequēdi modo, qui dicitur facultate, ut si sacrilegus est, cō sequitur facultate, ut surripiat. In primo igitur pag. 30. loco enumerati sunt consequendi modi, qui actu existunt : in altero simpliciter omnes. Cum autem ab Aristotele præcipiatur illud esse maius, quod non consequitur, dubitat Victorius, quomodo disciplina sit maior scientia. Nam secundum regulam Aristotelis, disciplinam posterius consequitur scientia, scientiam posterius non consequitur disciplina. ergo disciplina est maior sciētia. Nobis probatur explicatio Maioragij, ut scientia sit maior in quantitate, sed non in qualitate. Nam maius intelligitur multis modis. & id, quod non consequitur, dicitur maius aliquo modo : ut si sanus est, simul consequitur, ut uiuat. Si uiuit, simul non consequitur, ut sit sanus. ergo sanum esse maius est, quàm uiuere, id est maius bonum .· si discit, posterius consequitur, ut

sciat. si scit, posterius non consequitur, ut discat. ergo discere est maius, q̄ scire, id est, amplius, latius, & generalius. si sacrilegus est, facultate cō sequitur, ut ēt surripiat. Si surripit, facultate nō consequitur, ut sacrilegus sit. ergò sacrilegū esse maius est, q̄ surripere, id est maius uitium.

De formis demonstratiuis.

Cum autē demonstratiuum genus inuentum sit ad laudandum in primis Deum, deinde hominem, tum animalia ratione carentia, postremo ēt res inaminatas; cumq; quidquid laudatur, tamq̄ honestum laudetur, rerum honestarum enumerātur ab Aristotele tres præcipuæ formæ, ut res honestæ sint tum uirtutes, ut iustitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas. mansuetudo, prudentia, & in primis uirtutes illæ, quæ idcirco maximæ sunt, ꝙ utilissimæ sint, vt iustitia, fortitudo, liberalitas: tū uero efficientia virtutis, vt bonū ingeniū, memoria, docilitas, educatio, disciplina: tū demū effecta à uirtute, ut signa ipsius uirtutis, qualis cicatrix, quæ uulnere occalluerit, qualia insignia magistratus, & alia huiusmodi, quę uirtutē significāt, ut ēt opera, qualia proficiscuntur à iustitia, magnanimitate, & alijs uirtutib. Cum uero sub his generalib. formis plures aliæ contineantur, illud potissimū obseruatione dignū est, laudem esse virrutis: Encomium operūt simpliciter fidem demonstratiuā eorum, quæ circū sunt, ut nobilitatis, & disciplinæ. De laude, & encomio idē legitur lib. 1. Ethicorū in hunc modū; Laus est virtutis. Nā ex ea idonei fiunt ad agēdū res præclaras. Encomia uero operum, tum quæ à corpore, tū quæ ab animo proficiscuntur. Obseruandū quoq; est, cū sint tria instrumēta oratoria, amplificationē esse propriā huius generis, & maxime illā, quæ fit per cōparationē;

pag. 43.

pag. 44.

quem-

quemadmodũ enthymema est propriũ iudicialis, exẽplũ deliberatiui. Atq; hæc lib. 1. Nã li, 3. pcipitur, In demõstratiuis intexendã laudib. orationẽ esse, ut facit Isocrates, qui semp aliquẽ inserit; & hoc esse illud, quod dicebat Gorgias, haudquaquam sibi orationem deesse; quia si de Achille diceret, Peleum laudaret, deinde Aeacum, deinde Deum; similiter uero et fortitudinẽ; aut hoc, & illud faceret, aut aliquid tale. Et li 2. traditur, colligẽda esse magis propria, q̃ cõia. Nã quædam esse cõia, ut siquis laudet Achillẽ, q homo sit; & q ex semideis; & q ad Iliũ miles uenerit; hæc. n. in aliis quoque inesse multis, & nihilo magis ad Achillis, q̃ Diomedis laudẽ ptinere: q̃dã esse propria, ut q interfecerit Hectorẽ Troianorũ fortissimũ: q necauerit Cycnum Neptuni filium, qui neminẽ Græcorũ ex nauib. exire patiebatur, cum sauciari nõ posset, q oĩum heroũ in bello Troiano maxime iuuenis fuerit, q iniuratus ad illam expeditionẽ profectus sit, hæc. n. nemini alii accidisse, nisi Achilli. Hinc facile perspicitur, Aristoteli minus probari laudes cõiores, in quib. tñ oratores nostrorũ tẽporũ solent diutius commorari, cũ patriã, & familiã celebrant, q̃ in minus communib. & magis propriis, qualia sunt dicta, & facta eius, qui laudatur, quæ propriæ laudes ex sententia Aristotelis in primis sunt attendendæ. *pag. 125.*

Formæ iudiciales ex trium rerum inspectione colliguntur, Quib. de caussis iniuriam faciant, Qui, & Quib. faciãt. Vt caussæ iniuriarum cognoscantur, septẽ actionũ humanarũ caussæ enumerãtur, fortuna, uis, natura, consuetudo, ratiocinatio, iracundia, cupiditas. non tamen distinguuntur ab aliis illæ, quæ efficiunt iniuriã. Verũ significatur tres esse caussas, lib. 2. in locis Topicis, ubi *De formis iudicialib.* *pag. 46.* *ag. 124.*

vbi declaratur locus à diuisione in hunc modum, si omnes trium rerum caussa iniuriosi sunt, & quæ sequuntur. Exponit Victorius, ob utilitatem, ob uoluptatem, ob iram: Eodem modo Maioragius. Nos existimamus caussas iniuriarum colligendas esse ex septem caussis humunarum actionum, quæ modo notatæ sunt, quarum prioribus trib. cum homines agunt, non dicuntur per se agere: posterioribus quattuor dicuntur, Itaq; iniuria non est id, quod agitur per fortunam, nec
pag. 45. per uim, nec per naturam; quia iniuriā facere est sponte, & per se agere; hæ autem actiones non sunt sponte. Sequuntur caussæ, quibus homines agere per se dicuntur; quæ cum sint quattuor, uerbis Aristotelis superius citatis accommodari difficulter possunt. Quid? si ibi facta fuit mentio trium caussarum magis, vt significat ēt Victorius, per suppositionem quandam, & exempli gratia, quàm quòd ita tres existant? illa uero probabilis explicatio afferri potest, quòd, tametsi enumerentur quattuor caussæ, quibus homines agunt per se, consuetudo, ratiocinatio, iracundia, cupiditas: tamen illæ ad tres rediguntur, cum legatur; Quæcunque uero per se,
pag. 46. quorum ipsi sunt caussæ, alia sunt per consuetudinem: alia per appetitionem; & ex his alia per appetitionem participem ratiocinationis: alia per expertem ratiocinationis. Itaque tres existunt iniuriarum caussæ, consuetudo, cum scilicet est mala, qualis Clodij, & Catilinæ in insidiis faciendis. Appetitio particeps ratiocinationis, quæ dicitur etiam uoluntas. Appetitio expers ratiocinationis, id est affectus, ut ira, & cupiditas. Ac ille locus à diuisione potest explicari, ut trium rerum caussa iniuriosi sint, nempe

aut

aut consuetudinis caussa, aut voluntatis, & ratiocinationis, aut affectus.

Præter formas, obseruandæ sunt propositiones communes, de quib. sic Arist lib. 1. Necessariũ est tum deliberanti, tum litiganti, tum demonstratiuo, habere propositiones de eo, quod fieri, uel non fieri potest; & an factum sit, nec ne; & an erit, nec ne. Præterea vero, quoniam omnes tum qui laudant, & qui uituperant, tum qui suadent, & qui dissuadent, tum qui accusant, & qui defendunt, non solum ea, quæ dicta sunt, conantur demonstrare, sed etiam rem magnam esse, vel paruam eam, quæ est vel bona, uel mala, uel honesta, vel turpis, vel iusta, uel iniusta, siue per se dicant, siue inuicem ex altera parte comparent: manifestum est, oportere etiam de magno, & paruo, & maiori, & minori propositiones habere tum in vniuersum, tum de unaquaque re, vt quodnam sit maius bonum, uel minus, aut iniuria, uel ius, & similiter de aliis. Colligitur, propositionum communium esse quattuor genera, de eo, quod fieri, uel non fieri potest: de facto, vel non facto: de futuro, vel non futuro: de magno, & paruo. Quamquam autem hæ propositiones dicuntur communes, quia omnibus generibus uidentur esse accommodatæ: tamen intelligẽdum est alias aliis esse accommodatiores. Scribit n. Aristoteles lib. 2. Ex communibus amplificationem demonstratiuis aptissimam esse: factum autem iudicialibus: id uero, quod fieri potest, & futurum, deliberatiuis.

De propositionib. communibus. pag. 16.

pag. 117.

Vt autem intelligamus, omnem argumentorum copiam à Topica facultate, de qua paullo infra agemus, submistrari, obseruandum est & formas generum, & propositiones communes ad

Topica facultas est fons formarũ & propositionum cõmunium.

locos Topicos pertinere. Nam quemadmodum formę ducūtur à fine vniuſcuiſq; generis, qui ſub cauſſarum loco continetur, vt deliberatiuę ab vtili, demonſtratiuę ab honeſto, iudiciales a iuſto ſic etiam propoſitiones communes ab iiſdem locis Topicis deduci poſſunt.

Reducuntur ꝓpoſitiones cōmunes ad locos Topicos.

Vt prima propoſitio eius, quod fieri poteſt, à contrarijs; Si vnum ex contrarijs fieri poteſt, etiam alterum.

Secunda à ſimili; Si ſimile, etiam ſimile.

Tertia à minori; Si difficilius, etiam facilius.

Quarta a cauſſa; Si principium, etiam finis.

Quincta ab effectu; Si finis, etiam principiū.

Sexta, ſeptima, octaua, nona ab ijs, quæ naturaliter cōſequūtur, vel antecedunt; Si poſterius, etiā prius: & ſi prius, etiam poſterius. Quarum rerum amor, & cupiditas eſt, illę fieri poſſunt: Quarū rerum ſcientię, & artes ſunt: Quarum rerum principium, vt oriantur, in ijs eſt, quæ nos coegerimus, & perſuaſerimus.

Decima a partib. Quarum partes fieri poſſunt, etiam totum fieri poteſt.

Vndecima à toto; Quarū rerū totū etiam partes

Duodecima à genere; Si genus etiam forma.

Decima tertia à forma; Si forma, etiam genus

Decima quarta à relatis, quæ in contrariorum loco cōtinentur; Si relatorum alterum, etiam alterum.

Decima quincta à minori; Si ſine arte, & apparatu, magis per artem, & diligentiam.

Decima ſexta etiam à minori; Si à deterioribus & inferioribus, & imprudentioribus magis etiam a contrarijs.

Sic propoſitio prima eius, quod factum eſt, à

minori

minori; Si quod minus, etiam quod magis.
Secunda ab ijs, quæ naturaliter consequuntur; Si posterius, etiam prius.
Tertia vsq; ad octauam à caussis, seu præcedentibus; Si potuit, ac voluit, fecit: Si voluit,& nihil extrinsecus impediuit: Si potuit, & iratus fuit: Si potuit & concupiuit: Si futurum fuit, vt fieret, aut faceret: Si facta sunt, quæcunq; ante illud, aut illius gratia nata sunt.
Nona etiam ab ijs, quæ naturaliter consequuntur; Si id, cuius caussa fiunt, factum est, etiam ea facta sunt, quę huius caussa fiunt.
Eodem modo prima, & secunda propositio futuri à caussa; Quod est in potestate, & voluntate, erit: Quod est in cupiditate, & ira, & ratiocinatione cum facultate, erit.
Tertia à præcedentibus; Si quæcunque naturam habent, vt prius fiant, antecesserunt.
Quarta ab effectis; Si quod est huius caussa factum est, etiam hoc verisimile est, factum iri.
Sic propositiones magni, & parui, à comparatione maiorum; minorum, parium.
Formas vero ipsas, & propositiones communes, ac illas etiam propositiones, quę ad cōciliandos, & cōcitādos animos auditorū valent, Aristoteles appellat locos, cū scribit lib. 2. Ac nobis quidem ferme de singulis formis vtilibus, & necessarijs habentur loci: selectæ enim sunt de vnoquoq; propositiones. Quare ex quibus locis oportet ducere enthymemata de bono, aut malo aut honesto, aut turpi, aut iusto, aut iniusto, & de moribus & affectibus, & habitibus eodem modo nobis parati sunt prius loci. Hęc ille. verum distinctionis caussa loci potissimum appellantur, qui non sunt magis

Locus comprehendit in vniuersum etiā formas, & propositiones cōmunes, et illas, quæ ad conciliandū & concitandū valent. pag. 130.

magis vnius generis quàm alterius,& ad quamlibet rem probandam, ac quæstionem demonstrādam accommodati sunt. Quod idem indicat, cū addit; Iamuero alio modo in uniuersum de omnib. assumamus,& dicamus,& quæ sequūtur.

Locus selectionis. In parandis autem argumentis prima ratio habenda est eius loci, qui appellatur ab Aristotele selectionis locus, & primus Topicus, ut scilicet seligantur ea,quæ in re ipsa insunt. præcipit enim Aristoteles, in quacunque quæstione orator uersetur,siue infinita,siue definita, ei tenenda esse ea, quæ insunt; ut si quæratur, Iustitia bonum ne sit, an non bonum, argumentandū esse ex iis,quæ iustitiæ,aut bono insunt. Si suadendum sit Atheniensibus, ut bellum suscipiant, aut secus; tenendum esse,quę copię illorum sint, utrum nauales,an pedestres,an utrunque,& ipsæ quantæ,& uectigalia quæ, aut amici, aut inimici,præterea uero,quàm multa bella gesserint, & quo pacto, & alia eiusmodi. Si laudandi sint Athenienses, cognoscendum esse prælium nauale ad Salaminem contra Xersem Persarum Regē duce Themistocle commissum, aut pugnam in Marathone contra Darium Persarum Regem duce Miltiade, aut quæ pro Heraclidis gesserint, aut aliquid eius generis: si uituperandi,sciendū, quemadmodum Græcos seruitute oppresserint, & quemadmodum Aeginetas ex urbib. propriis expulerint, eorumque iuuentuti pollices præciderint, Potideatis singula tantum uestimenta reliquerint, & si quod aliud peccatum insit in eis. Si qua accusatio,aut defensio facienda sit, tenenda similiter esse ea,quæ insunt, aut inesse existimantur. Quamobrem siquis uoluerit agere de liberalitate,magnificentia, ceterisque uirtutib.

pag. 129.
pag. 128.

tutib. naturam earum cognoſcere optime debebit. Si uoluerit cohortari Senatum Venetum ad bellum ſuſcipiendum contra Turcas, eum ſcire oportebit tum copias, tum uectigalia, tum amicos, & inimicos, tum vero alia bella Reip. Venetæ, atque ex illis argumentari. Si uoluerit laudare Carolum V. Imperatorem, opus erit tenere eius uictorias, & præclare res geſtas. Si uoluerit quempiam in iudicium uocare, & accuſare, neceſse erit intelligere, quid ab eo nefarie, turpiterque geſtum ſit. Eadem eſt ratio diſsuaſionis, uitupetationis, defenſionis. Nam omnino danda opera eſt, ut quæcunque quæſtiones tractandæ ſunt, diligenter, penituſque cognoſcantur. Quod ſcriptum reliquit etiã Cicero lib. 2. de oratore, appellans hoc præceptum non tã acutum, quàm neceſsarium. Nam, quemadmodum qui rem non nouerunt, non poſsunt non turpiſsime de ea dicere: ſic qui nouerunt, eis uerba ultro occurrunt, atq; in buccam fluunt, ut eſse uere eloquentes exiſtimentur. Quod ſignificauit Socrates, cum diceret, omnes in eo, quod ſcirent, ſatis eſse eloquentes, magis fortaſse cohortans oratores ad notitiam quæſtionis, quàm dehortans ab eloquentia. Siquis enim hoc præceptũ nõ ſeruauerit, ei minime proderit uolutaſse Rhetorum libros, atque in dicendo diutius ſe exercuiſse: ſed ſine dubio ipſe uel infans, uel parum diſertus exiſtimabitur; ut nec ſi uim quidem Demoſthenis, aut Ciceronis habeat, excellere in laude eloquentiæ poſſit, niſi ea, quæ in re inſunt, & quæ ſunt rei propria, teneat. Itaque ea prius ſunt etiam, atque etiam indaganda. Viſus autem eſt Cicero quodammodo errare in illis, quæ inerant in cauſsa Archiæ, dum dixit, cum data eſ-

ſet

ſet ciuitas Rom. Syluani lege populis fœderatis, & ſic etiam Heraclienſib. quorũ ciuitate donatus fuerat Archias, tabulas Heracleenſiũ publicas, quib. ille aſcriptus erat, Italico bello interiſſe omnes, incenſo tabulario, ut apparere ex illis tabulis non poſſet, ciuem Heracleæ fuiſſe Archiam. Nam data eſt ciuitas Syluani lege anno ab V.C. ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, quo anno bellum Italicum eſt confectum, & combuſtæ ſunt tabulę Heracleenſium, in quibus non uidetur fuiſſe aſcriptus Archias, ſi factus eſt ciuis Heracleenſis, ut dixit ipſe Cicero, cum Lucullus ex Cilicia decederet poſt negocium Mithridaticum anno ſexcenteſimo octuageſimo ſexto, qui fuit annus uigeſimus ſecundus poſtquam geſtũ eſt bellum Italicum, & cumbuſtæ ſunt tabulæ. Quomodo igitur potuit contendere Cicero, in illis tabulis combuſtis aſcriptum fuiſſe Archiam, ſi duobus & viginti ante annis illæ combuſtæ ſunt, quàm Archias factus eſſe ciuis Heracleæ dicatur. Quare dicendum eſt, aut hoc fuiſſe Ciceronis μνημονικὸν ἁμάρτημα, quale etiam fuit illud, de quo ad Atticum libri decimi tertii epiſtola quadrageſima tertia; & illud, de quo libri decimi ſexti epiſtola quincta: aut Archiam fuiſſe in Cilicia cum Lucullo non occaſione belli Mithridatici, ſed aliqua alia, tunc cum factus eſt ciuis Heracleæ, ſcilicet ante bellũ Italicũ, & tabularij combuſtionem. Quemadmodum autem cauere oratores debent, ne errent in iis, quæ in re inſunt; ſic eorum etiam explicatores. in quo præcepto ſeruando deſiderari fortaſse poteſt Paulli Manutij, alioqnin uiri doctiſsimi, ac diſertiſsimi, diligentia, tunc cum ſcribit in orationem pro P. Sextio, accuſatum fuiſse P. Sextium eo nomine

mine, quod Lentulo,& Metello cos. viii. kal. Febr. cum de reuocando Cicerone ageretur, inter eos, qui Ciceroni fauebant, & Clodianos magna pugna armatis vtrinque hominibus commissa esset. Quod tamen quàm uerum sit, apparere ex illis ipsius orationis verbis potest; Nihilq; neq; ante hoc tempus, neq. hoc ipso turbulentissimo die criminationis esse in Sextium,& ex illis; Quietus eo die Sextius, is, qui est de vi reus, & ex illis; Hic iam de ipso acusatore quæro, qui P. Sextiũ queritur, cũ multitudine in Tribunatu,& cũ præsidio magno fuisse, num illo die fuerit? Certe non fuit. Ergo si nihil criminationis fuit in Sextium de eo die;& Sextius sine controuersia, eo die quietus fuit; nec dixit accusator eo die Sextium cum multitudine,& cum præsidio fuisse, nescio, quomodo affirmari possit, eo nomine factam esse accusationem. Cur igitur est accusatus? quia cum ex eo tempore, quo Clodiani impetum fecerunt in Q. Fabricium Tribunum pl. & M. Cispium vi depulerunt, multosq; in foro interfecerunt, eo ipso die, quo in templo Castoris obnunciauit consuli Metello legem quãdã ferenti, inermis, atq. imparatus à manu Clodiana multa vulnera cepisset; ne vim iterum eandẽ pateretur, necessario se prȩsidio muniuerat. Postulatus est autem lege Lutatia de vi à M. Tullio Albinouano apud M. Aemilium Scaurum prætorem,& defensus à Q. Hortensio, & M. Tullio Cicerone ita, vt omnib. sententijs sit absolutus. quod constat ex epistola quarta libri secũdi ad Q. Fr. Addit Manutius pro certo dici nõ posse, quo crimine condemnatus Sextius exulauerit; putare tamen se, quod à Pompeio aduersus Cæsarem stetisset. At patet eũ à multis iudicib. fuisse condemnatum ex epistola

ſtotelis fuiſſe de locis argumentorum ſententiā exiſtimarunt. Alij nominarunt locos genera vniuerſa,& ſumma capita,quibus axiomata continētur;& hanc dixerunt fuiſſe Ciceronis opinionē.

Iam præcipit Ariſtoteles locorum eſſe duas ſpecies, unam enthymematum uerorum, quæ ſunt tum appoſita ad demonſtrandum rem eſſe, ut in bello Mithridatico agi gloriam populi Rom. uel non eſſe,ut non poſſe exercitum contineri ab eo Imperatore,qui ſe ipſum non contineat;tum appoſita ad refutandum, vt licere aliqua de cauſſa hominem interficere, contra quàm dicebant aduerſarij Milonis ; alteram enthymematum adūbratorum,quæ ſpectantur aut in dictione,ut cum nullo adhibito ſyllogiſmo extremum in modum concluſionis affertur : aut in re , ut ſiquis argumentetur à ſigno , omnes ſapientes eſſe iuſtos , quia Socrates ſapiens fuerit iuſtus . Ac locos enthymematum uerorum ad demonſtrandum enumerat tres , & uiginti: ad refellendum ſeptem . qui ut facilitatis cauſsa reducantur ad locos enumeratos à Cicerone in Topicis , operæprecium eſt primum conſiderare illos locos Ciceronis , qui ſunt octodecim : propterea quòd,cum ex prioribus Analyticis appareat,de eo ipſo, de quo agitur,id eſt , de termino quæſtionis , aut ſubiecto , aut prædicato;quæri poſſe,quinque,tū quæ præcedunt,tum quæ conſequuntur,tum quæ reciprocantur,tum quę repugnant , tum quæ coniuncta ſunt , præcedunt tres loci,genus, cauſſa, antecedentia : conſequuntur quattuor , ſpecies , effectus , coniugata , conſequentia : reciprocantur tres , definitio , enumeratio partium , notatio : repugnant tres , differentia , contraria , repugnantia: coniuncti ſunt quinque,ſimilia,adiun-

Locorū duæ ſpecies. *pag. 130.*

Quot ſint loci.

Loci apud Ciceronem octodecim.

cta, maiora, minora, paria. Enumerantur autem à Cicerone ira, vt primus locus sit apud eum à definitione; secundus à partium enumemeratione: tertius à notatione: quartus à coniugatis: quinctus à genere: sextus à forma, vel specie: septimus à similitudine: octauus à differentia: nonus à contrario. decimus ab adiunctis: undecimus ab antecedentibus: duodecimus à consequentibus: decimus tertius à repugnantibus: decimus quartus à caussis: decimus quinctus à rebus effectis: decimus sextus à maiori: decimus septimus à pari: decimus octauus à minori; ad quos breuiter reducentur loci Aristotelis, vt alteri alteros possint declarare.

Reducuntur loci Aristotelis ad locos Cic.

pag. 130.

Est autem unus quidem locus ex ijs, qui valent ad demonstrandum, à contraris] Hic est nonus Ciceronis. Quamquam apud eum latius patet, cum intelligantur contraria non solum, vt apud Aristotelem ἐναντία, quæ ab ipso appellantur aduersa, uerum etiam στερητικὰ, τὰ πρός τι, ἀποφατικὰ, priuantia, relata, negãtia, id est omnia ἀντικείμενα, uel opposita. Differt autem contrarium à differentia. Nam quæ contraria sunt, non solum differunt inter se sed etiam alterum alteri è regione occurrit, vt uirtus vitium: quæ uero solum differunt non sic occurrunt, vt homo, platanus. præterea unum uni dicitur esse contrarium: at vnum differt à pluribus. Contrarium etiam differt à repugnanti. Nam repugnantia non sunt contraria, sed vnum contrarium, & consequens alterius contrarij, ut amor contrarius odio, & maleficium, quod consequitur odium.

pag. 131.

Alius ex similibus casibus] Hic est quartus Cice-

Ciceronis, qui dicitur à coniugatis. Iam apud Ciceronem in secunda Topicorum parte coniugatio dicitur finitima notationi: quia notatio ex ui nominis trahitur; itemq; coniugatio simi litudine uocabuli continetur: differt tamen, quia notatio expositione nominis, coniugatio similitudine vocabuli, & deriuatione percipitur, vt notauit Boethus. Apud Aristotelem lib. secundo Topicorum differunt coniugata à casibus, quòd omnes quidem casus sunt coniugata, sed non omnia coniugata sunt casus. Nam casus sunt modi actionum, ut iuste, fortiter, salubriter, apte ad firmam corporis constitutionem; & distinguuntur ab illis coniugatis, quæ sunt res quædam, ut iusta, iustus, iustitia.

Alius ab iis, quæ conferuntur ad se inuicem] Redigitur ad nonum Ciceronis à contrarijs.

Alius à maiori, & minori] Locus à maiori est decimus sextus Ciceronis: à minori decimus octauus. in quibus locis non nulli videntur à doctrina Aristolelis longissime aberrare, qui putant argumentum., quod est à minori, esse à maiori. Nam si inest id, quod minus videtur inesse, & minus verisimile est, multo magis inerit, quod magis uidetur inesse, & verisimilius est. ut pro Sextio; Si Tigrani, qui hostis fuit populi Romani regnum conseruastis, quanto magis Ptolemæo, qui semper socius, semper amicus fuit, conseruare debuistis? & pro Cæcinna; Quod exercitus armatos mouet, id aduocationem togatorum non uidebitur mouisse? & in Rhetorica quadam ecclesiastica; D.N.Iesus Christus nobis maxima, & grauissima peccata, quæ quotidie cōmittimus, dimittit: & nos leuissimas fratrum nostrorum pag. 132.

iniurias ferre non possumus? Hæc argumenta alij dicunt esse a maiori: nos a minori, id est à minus uerisimili, ex doctrina Aristotelis. qui in comparatione uerisimilitudinem spectat, & non magnitudinem rerum.

Præterea si neque magis, neque minus] Est decimus septimus Ciceronis, qui distinguitur à loco similitudinis, cum in paribus quantitas, in similibus qualitas spectetur.

Alius in tempus intueri] Reducitur ad locum à pari.

Alius ex dictis secūdum ipsorum mores aduer-
pag. 133. sus eum, qui dixit] à maiori.

Alius à definitione] Est primus Ciceronis.

Alius à quotupliciter, ut in Topicis de eo re-
134. cte] Communiter exponunt de ipso Recte, id est, quot modis accipiatur illud, quod factū est recte. Nos sine ulla dubitatione putamus, Aristotelem spectare caput tertium libri primi Topicorum, quod est de ipso Quotupliciter; & exponimus, de eo, id est de ipso Quotupliciter recte tractatū est in Topicis. Quod sensisse ante nos eruditissimum Robortellum uidimus in annotationibus eius manuscriptis tum apud Saluatorem Bartolucium cum eo quondam summa familiaritate coniunctum, tum uero apud nobilissimum, & doctissimum virum Io. Vincentium Pinellum, quæ explicatio uidetur postulare, ut legatur περὶ τούτου ὀρθῶς. potest reduci hic locus ad quinctum Ciceronis à genere. Nam homonymum, quod multipliciter dicitur, est tamquam genus ad diuersas significationes.

Alius à diuisione] Cum diuiditur genus, aut sublato, uel in uniuersum posito genere tollitur, uel ponitur species, & est quinctus locus Cicero-

nis à genere, vt Animal diuiditur in hominem, leonem, asinum, & huius modi species. Non est animal. ergo non homo. Vel omne animal mouetur. ergo etiam homo. Iniuria fit aut consuetudine, aut ratiocinatione, aut affectu. has enim esse species iniuriæ superius exponebamus. Nulla iniuria facta est. ergo nec consuetudine quidem. Omnis iniuria facta est. ergo etiam consuetudine. Aut sublatis omnibus speciebus tollitur genus, uel pòsita una specie ponitur genus, & est sextus Ciceronis à specie, ut Non est homo, nec leo, nec asinus, nec alia eiusmodi species. ergo nō aīal, vel Est hō. ergo aīal. Non fuit facta iniuria consuetudine, nec ratiocinatione, nec affectu. ergo nulla iniuria, uel cōsuetudine nocuit contra legē. ergo iniuriam fecit. *pag. 135.*

Alius ab inductione] Reducitur ad septimum Ciceronis a simili.

Alius à iudicio de eodem, aut simili, aut contrario] Hic videtur pertinere ad decimum Ciceronis ab adiunctis. *pag. 136.*

Alius à partib. Hic est locus communis tum partib. generis, tum totius, tum homonymi, & refertur ad secundum Ciceronis ab enumeratione partium, cum sublatis omnibus partibus tollitur aut homonymum, aut genus, aut totum. Itaque quatenus cōsideratur homonymū multipliciter dici, ē locus à quotupliciter: quatenus genus diuiditur, est locus à diuisione quatenus enumerātur ꝑtes ita, ut sublatis illis tollatur homonymū, vel genus, uel totum, est locus à partibus, qui distinguitur à loco speciei, quia uniuersalior est; & locus partium semper continet plures partes, locus speciei potest esse ab vna specie.

Alius quoniam in plurimis rebus accidit, vt *pag. 135.*

ſequatur eas aliquid boni,& mali, à conſequentibus ſuadere, aut diſſuadere, & accuſare, aut defendere. & laudare, aut uituperare] Hic locus eſt duodecimus Ciceronis. quò poteſt referri etiam undecimus ab antecedentibus,& decimus ab adiunctis. Quamquam apud Ciceronem ea diſtinctio eſt, ut antecedentia, & conſequentia neceſſaria ſint,adiuncta non neceſſaria; cum Ariſtoteles uideatur accipere conſequentia generatim pro iis etiam, quæ non neceſſario cõſequuntur. præterea alia ſunt conſequentia naturæ: alia argumentationis. Sic etiam antecedentia. Nam ſol eſt antecedens naturæ: dies conſequens, Antecedens uero argumentationis multiplex eſt; aut minus uniuerſale conſequenti,ut ſi homo eſt,animal eſt: aut vniuerſalius, ut ſi omne animal ſentit, etiam homo: aut poſterius,ut ſi peperit, cũ uiro concubuit: aut prius, ut ſi arrogans eſt,odioſus eſt: aut æquale conſequenti,ut ſi homo eſt,aptus, natusq; ad ridẽdum eſt: aut ſimul cum conſequenti, ut ſi Luna deficit,terræ adeſt obiectio. Sic cognoſcitur etiam conſequens multiplex. Iam Ariſtoteles hoc in loco reſpicit conſequentia naturæ, quæ ſunt antecedẽtia argumẽtationis,ut Si non oportet inuidiæ ſubiici,nõ oportet erudiri.Si ſapiẽtẽ eẽ oportet, erudiri oportet. Argũ autẽ erit ab adiunctis in hunc modum;ſi eruditus eſt,adiũgitur,ut ei inuideatur.ſi eruditus eſt,adiũgitur, ut ſit ſapiens.

Alius,quando de duobus oppoſitis ſuadere,aut disſuadere oporteat,eodem,qui dictus eſt,modo, uti in utranque partem] Reducitur ad locum à contrariis.

Alius,quoniam non eadem laudant aperte, & occulte;ſed aperte quidem iuſta,& honeſta maxi

me

me laudant; priuatim autem utilia magis uolunt: ex his conari alterum colligere] Ad octauum, Ciceronis à differentia:

Alius ab eo, quod contingit ex proportione] pag. 137
Ad decimum septimum à pari.

Alius, si quod contingit, sit idem, etiam ea, ex quib. contingit, esse eadem] Ad duodecimum à consequentibus.

Alius ab eo; quod non idem semper ipsi eligũt posterius, ac prius, sed è conuerso] Ad octauum à differentia.

Alius, si non factum sit id, cuius gratia sit, affirmare huius caussa esse, aut factum esse] Ad decimum quartum à caussis.

Alius communis & controuersantib. & consu pag. 138.
lentibus considerare, quæ suadeant, & dissuadeãt, & quorũ caussa & agãt, & fugiant] Etiã à caussis.

Alius ab iis, quæ fieri quidem uidentur, sed fidem non habent] Ad decimũ quinctũ ab effectib.

Alius, qui ualet ad refutandum, Repugnantia considerare] Est decimus tertius Ciceronis.

Alius in calumniam uocatis & hominibus, & pag. 139.
actionibus, quæ non existimentur, dicere caussam paradoxi] Ad locum à causis.

Alius à caussa & si existat, esse, & si non existat, non esse] Est notus locus à caussis.

Alius considerare, nũ licuit melius, aut licet, q̃ ea, q̃ deliberat, aut agit, aut egit] Ad locũ à maiori

Alius simul considerare, quando aliquid agendum sit, contrarium iis, quæ acta sunt] Ad locum à repugnantib.

Alius locus ab iis, in quibus peccatũ est, accusa pag. 140.
re, aut defendere] põt redigi ad locũ à caussis.

Alius à nomine] Est tertius Ciceronis à notatione.

Preter

Præter locos enthymematum verorum enumera Aristoteles locos adumbratorũ in dictione quat
pag. 141. tuor.
pag. 142. in re sex,
pag. 145. Addit enthymematum dissolutionē duob. modis fieri, & cum enthymemata ex quattuor reb. ducantur, verisimili, exemplo, tecmerio, signo, docet, quomodo hæc ipsa dissoluantur. Quæ omnia ex verbis Aristotelis perdiscenda sunt.

pag. 123. 124. Iam ad enthymema pertinet sententia. Nã, cũ duplex sit sententia, vna sine epilogo, vel per se manifesta, vel cum dicitur: altera sine epilogo; hæc vltima vel est pars enthymematis: vel enthymematica.

Atq; hæc oĩa de enthymemate, quæ est prima demonstratio oratoria: secunda enim est exẽplũ quod etiam reducitur ad enthymema, vt cũ Aristoteles tradit quędam enthymemata duci ab exẽplo.

Etenim enthymema cũ accipitur late, cõprehendit etiam exemplum; cum strictim, distinguitur ab exemplo. Videtur autem late fuisse acceptum
pag. 2. in illis proœmij verbis; At hi nihil quidem de enthymematibus dicunt, id quod est corpus fidei. Strictim vero in communibus Rhetoricæ, vbi sic
pag. 8. scriptum est; Fides vero illa, quæ demonstrat, aut apparet demonstrare, quemadmodum in Dialecticis est aut inductio, aut syllogismus, aut qui apparet syllogismus: sic etiam in Rhetoricis. Nam exemplum quidem est inductio, enthymema vero syllogismus.

De reb. factis vel fictis exẽplorum. Iamuero exẽplum est aut rei factę, aut rei fictę. Exemplum rei factæ est, quod rem vere gestam cõtinet. vt quemadmodum Darius nõ prius traiecit,
pag. 120. quàm Aegyptum cepit; cum autem cepisset, traiecit

cit. Iterū Xerſes nō prius irrupit, quā occupauit, cum autem occupaſſet, irrupit: ita hic Rex, ſi ceperit, traijciet. Quare aduerſus eum oportet parari, & non ſinere eum Aegyptum in poteſtatem redigere.

Exemplū rei fictę eſt, aut parabola, aut logus. *pag.* 121. parabola continet res fictas ex veriſimilitudine; vt ſimile eſt ſorte datos magiſtratū gerere, ac ſi, quis athletas ſortiatur, nō qui poſſint decertare, ſed qui obtigerint: aut ex nautis, quem oporteat gubernare, ſortitus fuerit, quaſi deceat obtingentē non autē ſcientē. Logus eſt, qui continet res parum veriſimiles; qualis Steſichori apud Himerenſes aduerſus Phalarim, de equo, qui vt ceruum vlciſceretur, ſeruiuit homini, & Aeſopi apud Samios pro duce populari de vulpe, caninis muſcis cōflictata, & nō permittente, vt herinaceus eas abigeret. Hęc de primo artificio, qđ poſitū eſt ī demōſtratione. Sequitur ſecūdū, qđ ſpectatur in morib. quod etiam Ariſtoteles appellat ſecūdū initio generis deliberatiui, cum ſcribit; Continget vero *pag.* 38; ſimul, dum de his dicemus, vt etiam illa aperiamus, vnde aliquibus moribus præditi exiſtimabimur; quæ erat ſecunda fides.

DE NATVRA MORATAE Orationis.



ORES ſunt, ſecundum quos homines cuiuſdammodi apparent. ac cōſiderantur à phyſicis ab ethicis, à poetis, ab oratoribus diuerſa ratione. A phyſicis, quatenus accidunt facultatibus animi. Ab ethicis, quatenus ſi boni

boni sint, ad felicitatem perducunt; si mali, à felicitate abducunt. A poetis, quatenus pertinent ad imitationem, in qua tradit Aristoteles, cum de Tragœdia conscribit, exprimendos esse mores bonos, conuenientes, similes, & ęquales. Ab oratoribus. quatenus sunt instrumentum fidei, & potentissimam propemodum, vt idem Aristoteles ait, fidem continent. Vt autem mittamus alias rationes, & eam inuestigemus, quæ oratoria est, illud in primis ducimus obseruandum, spectari mores in tribus oratore, auditore, elocutione, de quibus singulis agendum est.

Mores spectantur in tribus.

De Morib. oratoris.

pag. 7.

Mores oratoris sunt, secundũ quos orator euiusdam modi apparet, vt probitas, prudentia, beneuolentia, secundum quos apparet probus, prudens, beneuolus. Libro primo Aristoteles, vbi declarat fidem artificiosam de moribus oratoris vnius meminit probitatis; quæ cum duobus intelligi modis possit, aut opinione auditorũ ex bonis eius actionibus anticipata, aut oratione expressa; ipse eam intelligit secundo modo; vt sufficiat bonos mores oratione exprimere, etiam si orator probus non existat: oratorem enim posse esse tum bonum, tum malum, idem explicat, cum tradit eum esse tum ex facultate, qui habeat facultatem, & potentiam vtendi falso persuasibili, tum ex prælectione, qui quandoq. præligat gloriam ex falsis argumentationibus. Dicat igitur Quinctilianus, quidquid velit, de viro bono dicendi perito. Nam eiusmodi esse, bonum est: sed non necessarium; magisq; persuadebit orator malus, qui propter orationem probus uideatur, quàm bonus, qui probitatem suam nesciat oratione exprimere; qui vero, ante quàm dicat, creditur esse bonus quia bonus sit,

pag. 6.

&

& dicendo quoq; præse fert probitatem, melius sine dubio persuadebit, illud vtile est: hoc etiam necessarium. Vbi agit Aristoteles de Rebusp. eodem libro primo ad probitatem adiungit beneuolentiam in hunc modum; Nam eò quia apparet quibusdam moribus præditus is qui dicit, ei fidem habemus, id est, si bonus appareat, vel amicus, vel vtrunque. At libro secundo commemorat tres mores, prudentiam, virtutem, beneuolentiam, & per virtutem intelligit æquitatem, bonitatem, probitatem. Nam eadem de re agens modo nominat τοὺς ἐπιεικεῖς, modo τοὺς ἀγαθοὺς, modo virtuti opponit μοχθηρίαν. *pag.37.* *pag.74.*

Mores auditoris sunt, secundū quos auditor cuiusdam modi apparet, quadruplici ratione, aut affectuum, aut habituum, aut ætatum, aut fortunæ Mores affectuum sunt, vt voluptatis, libidinis, metus, ægritudinis. Quales sint mores voluptatis perspici potest ex ijs, quæ libro primo tradita sunt de reb.iucūdis. Mores libidinis ex tractatione de affectib.cognoscūtur, vt mores iræ cui contraria est lenitas, amoris, odij amicitiæ inimicitiæ, Sic mores metus, cui cōtraria fidētia, cuius q; pars est pudor, & mores ægritudinis, cuius partes sūt misericordia, stomachatio, inuidia, æmulatio. Mores habituū sunt; vt iustitiæ, fortitudinis temperantiæ, magnificentiæ, magnanimitatis, liberalitatis, mansuetudinis, prudentiæ, sapientiæ, & habituū contrariorum, de quibus libro primo in genere demonstratiuo. Mores ætatum sunt, vt iuuenum vsque ad annum trigesimum: senum vltra annū quadragesimum nonū: virorum quoad corpus ab anno trigesimo vsq. ad trigesimū quintum; quoad animum vsq. ad quadragesimum nonum. Mores iuuenum, & senum ferme inter se *De moribus auditoris.* *pag.107.* *pag.49.* *pag.75.* *pag.31.* *pag.112.*

con-

pag. 108. contrarij sunt : virorum inter hos interiecti; de vsq; ad 112 quib. libro secundo. Mores fortunæ sunt, ut nopag. 113. bilium, diuitum, potentium, fortunatorum, de quibus eodem libro secundo.

De moribus elocutionis. pag. 163. Mores elocutionis sunt, secundũ quos elocutio cuiusdam modi apparet, ita vt respondeat generi & habitui eorum, de quib. agitur. Genus dicitur ætas, vt puer, uir, senex: sexus, vt mulier, vir: natio, vt Laco, Thessalus. Habitus dicitur, vt esse agrestem, vel eruditum.

Vsus moralæ orationis Cum autẽ prima pars tres mores oratoris comprehendat, prudentiam, virtutem, beneuolẽtiam; de primis duobus sic scribit Cicero libro secundo officiorum; Fides vt habeatur, duabus rebus effici potest, si existimabimur adepti coniunctam cum iustitia prudentiam. Nam & ijs fidem habemus, quos plus intelligere, quàm nos arbitramur; quosq; & futura prospicere credimus, & cum res agatur, in discrimenq; ventum est, expedire rem, & cõsiliũ ex tempore capere posse. hanc enim omnes existimant ciuilem, veramq. prudentiam. Iustis autem, & fidis hominibus, id est bonis ita fides habetur, vt nulla sit in his fraudis, iniuriæq; suspicio. Itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos rectissime committi arbitramur. Tertius mos exprimetur, si significabitur paratus animus ad benefaciendum: pręclare enim idẽ scribit Cicero, ad amorẽ multitudinis conciliãdum, valere plurimum beneficentiam, & beneficam voluntatem, & multitudinem vehementer cõmoueri ipsa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, iustitiæ, fidei, omniumq. earum virtutum, quę pertinent ad mansuetudinem morum, & facilitatem. nosq. cogi illos diligere, in quib. eas virtutes esse remur. & Aristoteles libro secundo docet

docet, amari eos, qui benefecerunt:& eos, qui putantur velle benefacere. Quemadmodum igitur orator propter animi sui propensionem ad benefaciendum valde amabitur: sic etiam beneuolus, & amicus existimabitur. Nam amicus definitur is, qui vult alicui bona illius caussa, eaq; pro viribus efficit. Neq. vero paruum signum beneuoli animi est ea laus, quæ non ab adulatione sed à veritate proficisci videatur. Itaq. cum multis de caussis homines esse beneuoli existimentur quos licet colligere ab Aristotele, vbi agit de amore; duobus potissimum modis orator beneuolus apparebit, tum commemoratione suorum factorum, & officiorum sine arrogantia, tum vero laudatione auditorum sine assentatione.

pag. 84.
pag. 83.
pag. 83.

Mire apparet prudẽs Demosthenes vbiq;,quẽad modũ in prima olynthiaca, vbi differit de publica pecunia,& caute admodũ suadet, vt ea militaris ex theatrali fiat. Nam, cum capitale esset, agere de theatrali pecunia in vsus militares conuertenda, de hoc ipso agens se ipsum interrogat in hũc modum; Quid igitur, dicet aliquis, tu ne auctor es, vt militaris habeatur? Ego vero nequaquam. & quæ sequuntur. Vt prudens appareat Cicero, pro Sex. Roscio Amerino dicit; Vereor, ne aut molestus sim vobis, Iud. aut ne ingenijs vestris videar diffidere, si de tam perspicuis reb. diutius disseram. Sed plures sunt modi prudentiæ exprimendæ, quàm vt comprehẽdi breui disputatione possint. Visus est quibusdam imprudens Q. Metellus Numidicus, qui cũ in Censura populũ Rom. ad matrimonia capessenda adhortaretur, de molestia, incommodisq; perpetuis rei vxoriæ confessus est, neq. adhortatus est magis, quàm dissuasit, absterruitq;. Illud enim potius ad prudentiam

tiam eius pertinebat, ut & nullas plerunq. esse in matrimonijs molestias assseueraret;& si quę tamen accidere non nunquam viderentur, paruas & leues, facilesque esse toleratu diceret, maioribusque eas emolumentis, & voluptatibus obliterari, easdemque ipsas neque omnibus neque naturę vitio, sed quarundã maritorum culpa,& iniustitia euenire. Tamen dixit in hunc modum; Si sine vxore possemus, Quirites esse, omnes ea molestia careremus. sed quoniam ita natura tradidit vt nec cum illis satis commode, nec sine illis vllo modo viui possit, saluti perpetuæ potius, quàm breui uoluptati consulendum. Ad hanc obiectionem respondit Castritius apud Gellium lib. 1. cap. 6. recte, atque cõdigne Metellum esse loquutum quòd aliter Censor loqui debeat, aliter rhetor; cũ Rhetori concessum sit sententijs vti falsis, audacibus, subdolis, captiosis, si modo verisimiles sint, & possint ad mouendos hominum animos qualicunque actu irrepere: Censorem vero nihil deceat aliud dicere, quàm quod verum sibi esse atq; omnibus videtur. Obiter notamus, cum à Gellio citetur oratio Metelli Numidici habita in Cẽsura ad populum de ducendis vxoribus, commemorari etiam orationem Macedonici in Epitoma 59. quam Augustus Cæsar, cum de maritandis ordinibus ageret, velut in sua tempora scriptam in senatu recitauit; vt putandum sit, aut duas orationes ea de re à duobus Metellis esse habitas, aut vnum pro altero nominatum esse.

Præse fert probitatem Demosthenes aduersus Midam, cum ostendit se iniurijs aduersari coactum,& ciuium cohortationib. adductum accusare ipsum Midam. Itemque Cicero contra Verrẽ, cum vult videri accusationem suam magis defen

sionem, quàm accusationem. Neque vero occulta probitatis significatio est apud eundem Ciceronem pro lege Manilia, vbi legitur; Et meus labor in priuatorum periculis caste, integreque versatus ex vestro iudicio fructum est amplissimũ consecutus. Hinc illa oratoria, Caussam iustam agi, defendi, quod æquum, & bonum est, orationem haberi pro iustitia, & æquitate, aliaque eiusmodi, quæ oratorem à bonis moribus non esse alienum declarant. probus etiam apparuit C. Gracchus in oratione habita, cum ex Sardinia rediit, cuius verba hæc sunt; Versatus sum in prouincia, quomodo ex vsu vestro existimabam esse, non quomodo ambitioni meæ conducere arbitrabar. nulla apud me fuit popina, neque pueri eximia facie stabant: sed in conuiuio liberi vestri modestius erant, quàm apud principem, & paullo post; Ita uersatus sum in prouincia, ut nemo posset vere dicere, assem, aut eo plus in muneribus me accepisse, aut mea opera quempiam sumptum fecisse. Biennium enim fui in prouincia. Si vlla meretrix domum meam introiuit, aut cuiusquam seruulus propter me solicitatus est, omnium nationum postremissimum, nequissimumque existimatote. Cum à seruis eorum tam caste me habuerim, inde poteritis considerare quomodo me putetis cum liberis vestris uixisse. & post; Itaque Quirites, cum Roma profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli. Alij vini amphoras, quas vini plenas tulerunt, eas argento plenas domum reportarunt. Scipio quoque Africanus antiquior in ea oratione, qua se defendit ab accusatione M. Neuij Tribuni pl. miram probitatem ostendit, cũ pauca p̄fatus, quæ dignitas vitę suæ,

atque gloria postulabat, Memoria, inquit, Quirites, repeto diem esse hodiernum, quo Annibalem Pœnum imperio nostro inimicissimum magno prælio vici in terra Africa, pacemq; & victoriam vobis peperi insperabilem. Non igitur simus aduersum deos ingrati, sed censeo relinquamus nebulonē hunc, eamusq; nunc protinus Ioui opt. max. gratulatum, sed hæc probitatis exempla sufficiant.

Solet profiteri Demosthenes se beneuolum esse ijs, qui audiunt, vt ī oratione de corona; Primū Athenienses deos, & deas omnes precor, vt quāta ego beneuolentiam erga Remp. & vos omnes constanter habeo, tanta mihi à vobis in hoc iudicio tribuatur. Hic autem locus apud Ciceronem frequentissimus est, quo non solū eius officium sine arrogantia laudatur, verum etiam res gestæ auditorū cū maxima laude recensentur. pro L. Flacco; Cum in maximis periculis huius vrbis, atque imperij grauissimo, atq; acerbissimo Reip. casu, socio, atq. adiutore consiliorum, periculorūque meorum L. Flacco cædem à nobis, coniugib. liberis nostris vastitatem à templis, delubris, vrbe, Italia depellebam; sperabam Iud. honoris potius L. Flacci me adiutorem futurum, quàm miseriarum deprecatorem. post reditum in senatu; Si P.C. pro vestris immortalib. in me fratremq. meum, liberosq. nostros meritis parū vobis cumulate gratias egero, quæso, obtestorq;, ne meæ naturæ potius, quàm magnitudini vestrorū beneficiorū id tribuendum putetis. Cauendum est autē oratori, ne se ipsum laudet, & suas res gestas cōmemoret, nisi cum necesse est. quod declarat Cicero libro secundo Academicarum quæstionum, cum loquēs de Lucullo ait; Cuius mihi consilium, & auctori-

tas quid tum in maximis reb.profuisset,dicerē, nisi de me ipso dicendū esset; qđ hoc tempore non est necesse. Itaq. priuabo illum potius debito testimonio,quàm id cum mea laude communicem.

Quod attinet ad secundā partē moratæ orationis,debent accōmodari verba oratoris ad affectus, ad habitus,ad ætates,ad fortunā auditorū.Ad affectus,vt ad metū Cæsaris pro Marcello; Nunc venio ad grauissimā querelā, & atrocissimā suspicionē tuam,quę nō tibi ipsi magis quàm cū omnib, ciuib.tum maxime nobis q̃ à te cōseruati sumus prouidenda est;quàm etsi spero esse falsam: nunq̃ tñ verbis extenuabo.tua enim cautio nostra est;ut si in alterutro peccandū sit,malim videri nimis timidus, quàm parū prudens.& paullo post; Sed tñ cū in animis hominū tantæ latebræ sint, tanti recessus,augeamus sane suspicionē tuā : simul enim augebimus diligentiam. Ad habitus, quos respexit Cicero in partitionibus cum tradidit, Hominum duo esse genera,alterum indoctum, & agreste, quod anteferat semper vtilitatem honestati; alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat.Itaque huic generi laudem,honorem,gloriam,fidem,iustitiam,omnemque virtutē illi autem alteri quæstum,emolumentum,fructūque proponi, atque etiam voluptatem. Et apud homines bene institutos plurimum de laude, & de honestate dicendum, maximeque ea virtutum genera tractanda, quæ in communi hominum vtilitate tuenda, augendaque versantur : sin apud indoctos, imperitosque dicemus, emolumenta, voluptates, vitationesque dolorum præferendas. Ad ætates, vt ad iuuentutē cui debet proponi decus,& honor : ad senectutem,cui quæstus,& utilitas ; ad vigentem ætatem, cui honestum simul, &

vtile. postremo ad fortunã, vt ad nobilitatem, cui conuenit illud Horatij; Fortes creantur fortibus. Ad diuitias, cui illud Demonstenis; Omnino pecunia opus est, & absque ea nihil rite potest administrari. Ad potentiam, ut Pompeij pro Milone. Ad prosperam fortunam, vt Cæsaris pro Marcello.

Sequitur tertia pars moratę orationis, quæ debet respondere ætati, sexui, nationi, habitui eorũ, de quibus agitur. Mores respondentes iuuentuti expressit Sophocles de Neoptolemo ĩ Philoctete, q̧ cum dolis Philoctetem circumuenire nollet, licet ei plurimum instaret Vlisses, mox repente sententiam mutat, & Philoctetem circumscribit: iuuenes enim sunt, vt ait Horatius, cærei, & facile mutantur. Quales mores respõdeant sinectuti, declarauit Socrates apud Xenophontem in Apologia; Et videre deterius, & audire minus, & esse indocilem, & tardiorem, & eorum, quę didicit, obliuiosiorem & quæ sequuntur. Cum autem senex sit, vt inquit idem Horatius, laudator temporis acti, talis fingitur Nestor apud Homerum. Vigentis ætatis alij mores exprimuntur, nempe medij inter mores iuuentutis, & senectutis. Aristoteles in poetica reprehendit Euripidem, quòd Menalippæ tribuerit mores parum sexui fœmineo congruẽtes, quam Philosophorum more de natura disputantem induxit, cum indecorum videatur fœminæ tam excellentem rerum cognitionem tribuere. Non solum igitur, vt inquit ipse Horatius, Intererit multum, Maturus ne senex, an ad huc florente iuuenta Feruidus, verum etiam mulier ne, an vir loquatur. Quinetiam habenda est ratio nationis, de qua idem; Colchus, an Assyrius Thebis nutritus, an Argis. Postremo habitus, de quo ẽt Horatius; Dauusne, an heros, an matrona.

na potẽs, an ſedula nutrix, mercator ne vagus, cultor ne virentis agelli. Ergo quemadmodum poeta debet exprimere in perſonis, quas imitatur, mores conuenientes, ſic orator quoque debet dicere conuenientia ijs, de quibus loquitur; vt non tribuat mores unius generis alteri generi, vel vnius habitus alteri habitui.

Hactenus de morata oratione.

DE NATVRA AFFECTVVM.



ERTIVM artificium oratorium poſitum eſt in affectibus, de quibus præter illa, quæ ſuperius notata ſunt, vbi de natura Rhetoricæ diſputauimus, conſiderandum eſt, Quid ſit affectus, Ad quam animi facultatem pertineat, Quæ cuiuſque affectus origo ſit, Quomodo quidam affectus etiam virtutes nominentur, Quid unuſquisque ſit, & Quomodo excitetur.

Ac affectus quidem dupliciter accipitur. aut tamquam propria rei affectio, quæ à re, cuius affectio eſt, non ſeparatur, quemadmodum propria hominis affectio eſt, ut ſit aptus, natuſque ad ridendũ; trianguli, vt habeat tres angulos æquales duob. rectis; numeri, vt ſit par, & impar; quo ſenſu Ariſtoteles dicebat li. 1. Geometriã verſari in affectionib. quæ magnitudinib. accidũt: aut tanq̃ cõmotio animi, qua aliqd ꝓſequimur, aut fugimus

ille etiam est in reb. innanimatis, hic tantum in animatis. Quinctilianus interpretatur τὰ πάθη affectus. Cicero in tertia Tusculana morbos verbum è verbo reddēdo, sed rectius perturbationes. libro secundo officiorum turbatos animi motus, libro primo de inuentione, affectiones. Zeno per turbationem definiebat auersam à recta ratione contra naturam animi commotionem; in qua definitione ponitur commotio tamquàm genus. Dicitur animi ad differentiam earum commotionum, quę fiunt in corpore. Dubitatur tamen, quia videtur etiā corpus cōmoueri, ut apparet in timētib. qui pallescunt, & verecundantib. q erubescūt. sed tollitur dubitatio, si dicatur, commotionem fieri potissimum in animo, etiam si eam commotio quædam corporis consequatur. Dicitur contra naturam, quia si animus moueatur secundum naturam, ut cum appetit bonum, & scientiam naturaliter, ille motus non est perturbatio. Nominatur cōmotio auersa à recta ratione, ut distinguatur à constantia, quæ opponitur perturbationi cū sit ex ratione, vt scriptum est ī quarta Tusculana. Cicero in partitionib. definiuit motum, animi incitationem aut ad uoluptatem, aut ad molestiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem. Itaq; notauit quattuor præcipuos motus, propter bonum duos aut præsens, aut futurum: propter malum itidem duos, vel præsens, vel futurum. Aristoteles libro secundo scripsit, Affectus esse, propter quos
pag. 75. immutati in iudicationib. diffident, quos molestia, voluptasq; consequitur. vbi tria sunt obseruāda; primum per affectus homines immutari: deinde in iudicationib. diffidere: postremo etiam ex animorum commotione aliquam percipere vel voluptatem, uel molestiam.

Cum

Cum autem triplex sit animi vis, vna viuendi, altera sentiendi, tertia intelligendi; nec ad primã, nec ad tertiã ꝑtinet affectus, sed tm̃ ad secũdã. prima. n. solũ agit: affectus etiã patitur. illa est sine cognitione: hic cũ cognitione. Tertia ẽ tm̃ animi: affectus ẽ cõis animo, & corpori. Reliquũ est, vt secunda uis affectum habeat; quæ est duplex; vna cognoscendi, vt sensus, & Phantasia: altera appetẽdi, ut quæ concupiscit, & quæ irascitur. Ad hanc vltimam affectus pertinet; quẽ Stoici putabant esse hominis ꝓpriũ, nõ ei cũ ceteris animalib. cõe, hoc argumẽto; Quod ex opinione existit, ad solũ hominẽ ꝑtinet. Nã opinio in solo homine est. At affectus ex opinione existit: vnusquisque. n. affectus est opinio quædã uel boni, vel mali, vel præsentis, vel imminentis. ergo ad solũ hominẽ ꝑtinet. Tamen ad assumptionẽ respõdetur, affectũ nõ ex opinione solum existere, sed etiam ex sensu, aut phantasia, boni, malive, præsentis, aut futuri. Itaque etiam in bestias conuenire.

Omnis vero affectus ex ingenito suo cuiq; amore originẽ trahit. Vnusquisque. n. se ipsum amat; & quia amat idcirco, quæ sibi bona esse vel scit, vel putat, ea absentia desiderat, ijs præsentib. guadet: quæ vero mala, ea metuit, ijs dolet. perdifficile autẽ est homini in his affectionib. nõ errare ꝓpter sui ipsius amorem. præclare. n. scriptum reliquit Plato, Quidquid amat, ĩn eo ipso, qđ amat cœcum est. Tamẽ constat, vnũquẽq; sui ipsius maxime amantẽ esse, & ob id etiã erga se ipsum maxime cæcutientẽ. Quamobrem merito commẽdatur illud p̃ceptum Apollinis, quo vnusquisque monetur se ipsum cognoscere, vt de se ipso recte sentiat, & in affectus inaniter non feratur.

Dubitatur, quia quidã ex affectib. numerantur

etiam inter virtutes, vt apud Aristotelem librô secundo Ethicorum, lenitas, amicitia, stomachatio; cum lenitas sit mediocritas inter iracundiam, & & irę uacuitatem; amicitia inter obsequium, & litigium; stomachatio inter inuidiam, & maleuolentiam. Quidam respondent, uirtutem esse non πράϋνσιν, de qua agit Aristoteles in affectibus. sed πραότητα, de qua in Ethicis, Et amicitiam impropriè ab Aristotele libro secundo esse nominatã illã mediocritatẽ, quę lib. quarto dicitur uacare nomine, & esse amicitiæ maxime similis, ac ab amicitia in eo differre, quòd sit sine affectu diligendi eos, quibuscum versatur. Stomachationem autem, quamuis positam in enumeratione, reiectam esse quodammodo à numero virtutum, quòd in sequentibus libris, vbi aliæ virtutes tractantur, nulla eius mentio fit. Nos existimamus eandem rem appellari affectum, & virtutem, vel uitium posse, alia tamen, atque alia ratione. Quod vt melius intelligatur, obseruandũ est illud, quod scriptũ reliquit Aristoteles libro secũdo Ethicorũ, tria esse, quæ efficiuntur in animo, facultatẽ, affectũ, habitũ. Nã vt exempli caussa irã sumamus, facultas irascendi est, qua possumus irasci. Affectus motus ipse, quo irascimur, & ex quo aliquã voluptatẽ, & molestiã percipimus. Habitus, quo vel bñ, vel male ad irascẽdũ nos ipsos hẽmus ita vt ira possit ẽt eẽ virtus, uel uitiũ. Ergo differt affectus à facultate, quia aliud est actus proueniẽs à facultate, aliud ipsa facultas. Differt etiã ab habitu: nã propter affectũ nec boni, nec mali dicimur, nec laudamur, nec vituperamur; nec sequimur electionẽ; & dicimur moueri: cõtra uero propter habitũ. Qua distinctione perspici facile pt, quomodo lenitas, amicitia, stomachatio, & alia huius modi sint modo.
affectus,

affectus, modo uirtutes, uel vitia. Iam uidendum est, quid sit vnusquisq; affectus, & quo excitetur.

Superius notauimus esse quattuor præcipuos affectus, uoluptatem, libidinẽ, metũ, ægritudinẽ.

De uoluptate verba Ciceronis sunt lib. 2. de finibus; Vt scias me intelligere, primum idem esse dico uoluptatem, quod ille ἡδονήν. Et quidem sæpe quærimus uerbum latinum par Græco, & quod idem ualeat. hic nihil fuit, quod quæreremus; nullum inueniri potest, quod magis idem declaret latine, quod Græce, quàm declarat uoluptas.

Aristoteles li. 1. definit uolupatẽ, ut sit motus animi, & cõstitutio subita, quæ cadit sub sensum, ad recreandã, & explendã naturã. Cicero sic scribit; Voluptatem hanc esse sentiunt omnes, quam sensus accipiens mouetur, & iucunditate quadã perfunditur. & Oẽs iucundum motum, quo sensus hilarentur, græce ἡδονήν, latine uoluptatem uocant, & Huic uerbo oẽs, qui ubiq; sunt, qui latine sciunt, duas res subiiciunt, lætitiam in animo, commotionẽ suauem iucunditatis in corpore. Sed hoc interest, quod uoluptas dicitur etiam in animo uitiosa res, ut Stoici putant, qui eam sic definiunt, sublationem animi sine ratione opinantis se magno bono frui: non dicitur lætitia, neque gaudium in corpore. & In eo uoluptas omnium latine loquentium more ponitur, cum percipitur ea, quæ sensum aliquem moueat, iucũditas. Hanc quoque iucunditatem, si uis, transfer in animum: iuuare enim in utroque. partes uoluptatis sunt maleuolẽtia, delectatio, iactatio. quæ definiuntur in quarta Tusculana, ut Maleuolentia sit uoluptas ex malo alterius sine emolumento suo. Delectatio uoluptas animũ deleniens suauitate auditus, uisus, tactionũ, odorationũ, saporũ.

pag. 49.

Iacta-

Iactatio uoluptas gestiens se efferēs insolentius.

Mouetur uoluptas in uniuersum, si ea dicātur, quæ placent, & iucunda sunt. vt apud Ciceronē in secunda Catilinaria; Iacet ille nunc prostratus, Quirites, & se perculsum, atque abiectum esse sentit; & retorquet oculos, profecto sæpe ad hanc vrbem, quam ex suis facibus ereptam esse luget, quę quidem lętari mihi videtur, ꝗ tantam pestem euomuerit, forasque proiecerit.

Definitur libido in quarta Tusculana, opinio venturi boni, quod sit ex usu, iam præsens esse, atque adesse. Eique subiicitur ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, indigētia, desideriū, & cetera eiusmodi. Ac definitur ira, libido puniēdi eius, qui uideatur læsisse iniuria. Excandescentia ira recens, & modo existens. odium ira inueterata. Inimicitia, ira ulciscendi tempus obseruans. Discordia ira acerbior, intimo animo, & corde concepta. Indigentia libido inexplebilis. Desiderium libido eius, qui nondum adsit uidendi. Apud Aristotelem hæ libidinis partes tractantur, ira, cui cōtraria est lenitas, amor odium, amicitia inimicitia.

pag. 75. Et affertur illa definitio iræ, vt ipsa sit appetitio cum dolore, eius, quæ apparet, ultionis, propter eam, quæ apparet despicientiam uel in se, uel in suorum quempiam, non conuenienter. Dicitur appetitio, quam Cicero appellat libidinem, & opinionem boni uenturi. Dicitur cum dolore, quia qui irascitur, dolet se, aut suorum aliquē despici, quemadmodum etiam gaudet duabus de causis, propter spem ulciscendi, & propterea quia in ulciscendo cogitatione uersatur. Dicitur eius, quæ apparet, ultionis: quia finis iræ est ultio. Dicitur propter despiciētiam, quia despicientia est

caussa

caussa conficiens iræ,& quidem despicientia triplex, contemptio, incommodatio, contumelia. Dicitur vel in se, uel in suorum quempiam, cum ex eo oriatur ira, quia sibi, aut suorum alicui aliquid factum, aut faciendum fuerit: non enim solum ex facto, sed etiam ex deliberatione facti mouetur. Dicitur non conuenienter: quia excitatur aduersus singulares homines, quibus non cõuenit despicere, vt despiciunt, quemadmodum aduersus inferiores genere, facultate, uirtute, aliqua alia re, in qua ipsi excellãt: & aduersus eos, quibus putatur cõuenire, ut benefaciant, quales sunt quibus benefactum est, qui ipsorum nomine aliquid consequuti sunt, quibus ipsi benefacere uoluerunt.

Traditur oratorem oportere ita animos eorũ, quos in iram impellere contendit, tractare, ut nõ secus eos afficiat, ac sunt ij, qui ira affecti inueniuntur, id est, vt dolorem afferat eis ex despicientia, & uoluptatem ex spe, & ipsa ulciscendi cogitatione. Ac aduersarios eis rebus affines facere, ob quas irascuntur, id est, contemptioni, incommodationi, contumeliæ. Atque iis similes ostendere, quibus irasci debent, nempe despicientib. Apud Ciceronẽ sub persona M. Antonij præcipitur lib. 2. de oratore, si quid ipsis, qui audiunt, perniciosum, aut inutile sit, id factum augendum. Iram concitat Lepidus apud Salustium lib. 1. historiarum à contemptione L. Syllæ; Neque se aliter tutum putat, quàm si peior, atque intestabilior metu uestro fuerit. Et ab incommodatione, ac contumelia; Populus Rom. paullo ante gentium moderator, exutus imperio, gloria, iure, cogitandi inops, despectusque ne seruilia quidem alimenta reliqua habet. pag. 10

Iræ

Iræ contraria est lenitas,quæ definitur constitu
pag.80. tio,& remissio iræ.

pag.83 Qui uult iram sedare,& ad lenitatem traducere, monet Aristoteles ei dicendum, eos, qui irascuntur, aut pertimescendos esse, ut non sit tutũ inimicitias cum eis exercere, aut reuerentia dignos, aut benemeritos, aut inuitos, aut reb. com missis ualde dolentes. Cic.quoq; scribit, si quid ipsis, qui audiunt, perniciosum, aut inutile sit, id factũ diminuendũ. Latinus lib.x.Aeneidos Turni,& Rutulorũ iram in Latinos sedat hoc modo;

Bellum importunũ ciues cum gente deorum
Inuictisq; uiris gerimus, quos nulla fatigant
Prælia, nec uicti possunt absistere ferro.

apg.83. Amare definitur uelle alicui, quæ putat bona, illius caussa, sed non ipsius,& pro uirib.eorum effectorem esse. Amicus, qui amat,& redamat. Colligitur odio habere nihil aliud esse, nisi uelle alicui, quæ putat mala,& pro uirib. eorum effectorẽ esse. Inimicum autem, qui odio habet,& habetur. Amor uero differt ab amicitia, quia amor in uno esse potest: amicitia in duob. minimum est. Sic odium ab inimicitia.

pag.87. His cognitis, scribit Aristoteles nos illud consequi posse, ut ostendamus amicos,& inimicos, qui sint,& qui nõ sint: ut efficiamus, qui nõ sint,& disturbemus, qui sint: ut eos, qui aut ꝑꝑ iram, aut ꝑꝑ inimicitias controuersantur, in utrã constituerimus partẽ traducamus. Cũ aũt præcipuus amoris,& amicitiæ locus sit, à uolũtate benefica,& beneficiis collatis, ostẽdit Cicero pro Marcello oẽs esse Cæsari amicos ĩ hũc modũ; Sed quisnã est iste tã demens? de tuis'ne? tametsi, ꝗ magis sunt tui, ꝙ quib. tu salutẽ insperantib. reddidisti? an ex eo numero, qui una tecũ fuerunt? non est

cre-

credibilis tãtus in ullo furor, ut quo duce sũma oĩa ſit adeptus, huius uitã nõ anteponat ſuæ. At ſi tui nihil cogitãt ſceleris, cauẽdũ eſt, nequid ini mici. ? qui ? oẽs.n. qui fuerunt, aut ſua pertinacia uitã amiſerunt, aut tua miſericordia uitam re tinuerunt, ut aut nulli ſuperſint de inimicis, aut qui ſuperfuerunt, amiciſsimi ſint.

In quarta Tuſculana definitur metus opinio ĩpẽ dẽtis mali, qđ ĩtolerabile eſſe videatur. eiq; ſubii citur pigritia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, cõturbatio, formido. Ac pigritia diciturcẽ me tus cõſequẽtis laboris. Terror metus concutiẽs. Timor metus mali appropinquãtis. Pauor metus mẽtẽ loco mouẽs. Exanimatio metus ſubſequẽs, & quaſi comes pauoris. Cõturbatio metus excutiẽs cogitata. Formido metus ꝑmanẽs. Apud Ariſt. definitur metus, & metui cõtraria fidẽtia, & metus ꝑs, q̃ dicitur pudor, & pudori cõtraria ĩpudẽtia. *pag. 87.*

Definitio metus eſt, ut ſit moleſtia q̃dã, & perturbatio ex phãtaſia futuri mali, uel idonei ad interimẽdũ, uel moleſti, qđ nõ lõge, ſed prope ſit.

In mouendo metu, ut præcipit Ariſto. oportet oſtendere eiuſmodi eſſe, ut poſsit pati, ꝙ maiores alij paſſi ſint; quodq; æquales patiãtur, aut paſſi ſint ab ijs, à quibus non arbitrabantur, & hæc, & tũc, cũ minime arbitrabãtur. Mouet metũ Philippus apud Saluſtiũ li. 1. hiſtoriarum, ſi obliti ſcelerũ Cinnæ, cuius in urbẽ reditu decus, atque ordines omnes interierunt, nihilominus ſe, atque cõ iuges, & liberos Lepido permiſerint. *pag. 90.*

Definitio fidentiæ eſt, vt ſit ſpes cum phantaſia rerum ſalutarium ut prope exiſtentium; metuendarũ uero aut nõ exiſtentiũ, aut lõge exiſtentiũ. *pag. 90.*

In mouenda fidentia habenda eſt rõ rerũ ſalutarium, quæ prope ſint, & metuẽdarum, quæ aut

nullę

nullæ ſint, aut longe abſint. Mouet fiduciam Lepidus apud Saluſtium, quòd L. Syllæ opes futiles, & corruptæ ſint.

pag. 91. Pudor dicitur eſſe dolor quidam, & confuſio in iis malis, quæ videntur pertinere ad exiſtimationis offenſionem, aut præſentibus, aut præteritis, aut futuris.

Excitatur pudor, ſi ea mala commemorentur. Id quod fit à Numano lib. 9. Aeneidos in hunc modum.

Vobis picta croco, & fulgenti murice ueſtis
Deſidiæ cordi iuuat indulgere choreis.
Et tunicę manicas, & habēt redimicula mitræ.
O' veræ phrygiæ: neque enim phryges.

pag. 92. Imprudentia definitur eſſe deſpicientia quædam, & vacuitas perturbationis in iis malis, quæ uidentur pertinere ad exiſtimationis offenſionē.

Traducuntur homines ad impudentiam, ſi mala, quæ poſſunt exiſtimationem offendere, diminuantur.

Lib. 4. Tuſculanarum diſputationum definitur ægritudo opinio recens mali præſentis, in quo demitti, cōtrahiq; aīo rectū eſſe uideatur. eiq; ſubiicitur inuidētia, æmulatio, obtrectatio, miſericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamētatio, ſolicitudo, moleſtia, afflictatio, deſperatio, & ſi qua ſunt de genere eodem. Ac definitur inuidentia ægritudo, ſuſcepta; propter alterius res ſecundas, quæ nihil noceant inuidenti. Aemulatio ægritudo, ſi eo, quod concupierit, alius potiatur, ipſe careat. Obtrectatio, uel zelotypia ægritudo ex eo, quòd alter quoque potiatur eo, quod ille ipſe concupiuerit. Miſericordia ægritudo ex miſeria alterius iniuria laborantis. Angor ægritudo p̄mens. Luctus ægritudo ex eius, qui carus

fue

fuerit, interitu acerbo. Mœror ægritudo flebilis, Aerumna ægritudo laborioſa. Dolor ægritudo crucians. Lamentatio ægritudo cum eiulatu. Solicitudo ægritudo cum cogitatione. Moleſtia ægritudo permanens. Afflictatio ægritudo cum vexatione corporis. Deſperatio ægritudo ſine ulla rerum expectatione meliorum. Apud Ariſtotelem mentio tantum fit miſericordiæ, ſtomachationis, inuidiæ, æmulationis. & ante miſericordiam agitur de gratia, quæ an affectus ſit, dubitatur, Nam quidam explicatores, tametſi ea inter affectus ab Ariſtotele connumerari uideatur, tamen ſcribunt eam non eſſe proprie affectum, ſed quod efficitur ab amore, ut ad amorem tàmquàm eius effectus reducatur. Alij dicunt gratiam eſſe affectum, & ad amorem referri tãquam ſpeciem ad genus. Quę duæ explicationes illud dubitationis habent, quòd nō ſtatim poſt tractationē amoris ſit de gratia diſputatum, ſed primum de metu, de fidentia, de pudore; de impudentia, & poſtea de ipſa gratia coniunctim cum miſericordia. Nos uidemur hanc diſtinctionem ſequi poſſe, ut gratia ſit uerus affectus, & coniungatur cum tractatione miſericordiæ: quia ambę ſunt propter malum; ſed una mouetur opitulando: altera putando, ſe, aut aliquem ſuorum idem pati poſſe. Quemadmodum enim ſuperiores omnes affectus ſunt rei futuræ: ſic ſequẽtes exiſtunt rei præſentis. Verum ſi eſt affectus rei præſentis, dupliciter contingit, aut propter malum, aut propter bonum alterius. Si propter malum, aut ita, ut qui commouetur, ſuccurrat indigenti, & eſt gratia: aut ita, ut putet ſe, aut aliquem ſuorum idem pati poſſe, & eſt miſericordia. Si propter bonum, aut ita, ut ipſum bonum comitetur indignitas,

& est stomachatio, aut ita, ut ipsum bonum non comitetur indignitas, & tunc duobus modis, uel quia alius bonum habeat, & est inuidia, uel quia ille ipse, qui perturbatur, non habeat, & est ęmulatio.

pag. 96. Definitur gratia, ut sit, per quam is, qui possidet, dicitur gratiam tribuere ei, qui indiget, non pro ulla re, neque ur aliquid eueniat ei, qui tribuit, sed, ut aliquid ei, qui indiget. ubi primum obseruabitur appellari gratiam tum affectum, per quem tribuitur beneficium, tum ipsum beneficium. Deinde in gratia qnattuor requiri; primum, ut detur indigenti: non enim est gratia, nisi cum beneficium in indigentem confertur: alterum, ut non detur pro re aliqua, neque ut fiat remuneratio: tertium, ut non idcirco detur, ut aliquid ipsi tribuenti suppetat, & aliquam utilitatem ipse tribuens consequatur: quartum, ut ab animo commodandi, & benefaciendi proficiscatur.

Ostendetur gratia esse magna trib. modis; quā tribuent ualde indigentibus, quę sit magnarum rerum, aut difficilium, aut opportunarum, quam tribuent soli, aut primi, aut in primis. Diminuetur uero quattuor modis, si dicetur eum, qui dedit, sui caussa dedisse, si casu, si coactum, si reddidisse, non dedisse. Amplificat gratiam Didonis Aeneas lib. 1. Aeneidos in hunc modum;

O sola infandos Troię miserata labores;
Quæ nos reliquias Danaum, terræq; marisq;
Omnib. exhaustos iam casib. omnium egenos
Vrbe, domo, socias.

Sic Cicero multis in locis gratiam à se acceptam amplificat, cum est ab exilio reuocatus. Cognita autem amplificandæ gratiæ ratione patet

simul

ſimul ratio diminuendæ.

Definitur miſericordia moleſtia quædam in eiuſmodi malo, quod appareat habere vim interitus, & moleſtiæ afferēdæ, eius, qui eo ſit īdignus, quod etiam ipſe ſe paſſurum expectet, aut aliquē ſuorum; idque quando propinquum appareat. Ergo in miſericordia tria ſpectantur: perſona miſerantis, ut ipſe ſe malum paſſurum, aut aliquē ſuorum putet: perſona eius, quem miſeratur, ut malo indignus ſit: ipſum malum, ut interitus, & moleſtiæ afferendæ uim habere, ac propinquū eſſe uideatur. *pag. 57.*

Itaque mouebitur miſericordia ex harum rerum inſpectione, vt oſtendantur illi, qui audiūt, pati poſſe: & illum, erga quem mouenda ſit miſericordia, eſſe indignum malo: & ipſum malum, eſſe eiuſmodi, quale notatum eſt. Multum autem ualuit in miſericordia excitanda Galba, quē ſcribit Cicero lib. 1. de oratore, C. Sulpitij Galli propinqui ſui Q. Pupillum filium pene in humeros ſuos extuliſſe, qui patris clariſſimi recordatione, & memoria fletū populo moueret; & duos filios ſuos paruos tutelæ populi commendaſſe; ac ſe tāquàm in procinctu teſtamentum faceret, ſine libra, atq. tabulis populum Rom. tutorem inſtituere dixiſſe illorum orbitati. In eadem re excelluit mirabiliter M. Antonius, quē lib. 2. de oratore idē teſtatur, cum ſibi Manius Aquilius in ciuitate retinendus eſſet, excitaſſe mœſtū, ac ſordidatum ſenem, & metum magnum animi, ac dolorem præ ſe tuliſſe, vt diſcinderet tunicā, ut cicatrices oſtēderet, cū C. Marius mœrorem eius præſens, ac ſedens multū lacrymis ſuis adiuuaret; cumq; is ipſe illum crebro appellans collegā illi ſuū cōmendaret, atq. illum aduocatum ad communem Impe-

ratorum fortunam defendendam inuocaret. Ip-
ſe quoque Cicero in oratore ad Brutum gloria-
tus eſt, ſe ita dolenter vti miſeratione ſolitum eſ
ſe, vt puerum infantem in manib. perorans tenue
rit, ut alia in cauſſa excitato reo nobili, ſublato
etiam filio paruo, plãgore, & lamentatione com-
pleret forum, ut etiam ſi plures dicerent, perora-
tionem ipſi tamen omnes relinquerent, ꝙ in mi
ſerationibus excelleret. Non immerito igitur à
Gellio, & ab aliis prælatus eſt C. Graccho, qui in
miſerationibus parum uehemens apparuit, & in
uiolentis, atque crudelib. facinorib. uſus eſt ſer-
mone non admodum diuerſo à quotidianis ſer-
monibus, ut in oratione de legib. promulgatis in
hunc modum; Nuper Theanum Sidicinum con
ſul uenit. uxorem dixit in balneis uirilib. laua
ri uelle. Quæſtori Sidicino à M. Mario datũ eſt
negocium, uti balneis exigerentur, qui lauaban-
tur. Vxor renunciat uiro, parum cito ſibi balneas
traditas eſſe, & parum lautas fuiſſe. Idcirco pa-
lus defixus eſt in foro; eoq́; adductus ſuæ ciuita-
tis nobiliſſimus homo M. Marius, ueſtimenta de
tracta ſunt, uirgis cæſus eſt. Caleni ubi id audie-
runt, edixerunt, ne quis in balneis lauiſſe uellet,
cum magiſtratus Rom. ibi eſſet. Ferentini ob ean
dem cauſſam prætor noſter Quæſtores arripi iuſ
ſit. Alter ſe de muro deiecit: alter prehenſus, &
uirgis cęſus eſt. Et alio in loco ſic; Quanta libi-
do, quantaq́; intemperantia ſit hominum adole-
ſcentium, unum exemplum uobis oſtendam. His
annis paucis ex Aſia miſſus eſt, qui per id tempus
magiſtratum non ceperat, homo adoleſcens pro
legato. Is in lectica ferebatur. ei obuiam bubul
cus de plebe Venuſina aduenit: & per iocum, cũ
ignoraret, qui ferretur, rogauit, num mortuum
fer-

ferrent. vbi id audiuit, lecticam iussit deponi: stuppis, quib. lectica deligata erat, usque adeo uerberari iussit, dum animam efflauit. Hæc profecto minus miserabilia sunt, quàm illa, quę solet Cicero exprimere, ut de C. Verre; Ipse inflam matus scelere, & furore in forum venit; ardebant oculi; toto ex ore crudelitas emanabat. Expectabant omnes, qua tandē progressurus, aut quidnā acturus esset, cum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & uirgas expediri iubet. ò nomen dulce libertatis. ò ius eximium nostræ ciuitatis, ò lex Porcia, legesq; Semproniæ. ò grauiter desiderata, & aliquando reddita plebi Rom. Tribunitia potestas. Huccine tandem hæc omnia reciderunt, ut ciuis Rom. in prouincia populi Rom. in oppido fęderatorū ab eo, qui beneficio populi Rom. fasces, ac secures haberet, deligatus in foro virgis cęderetur? Quid cum ignes, ardentesq; laminæ, ceterique cruciatus admouebantur? Si te acerba illius imploratio, & vox miserabilis non leniebat, ne ciuium quidem Rom. qui tum aderant, fletu, gemituque maximo commouebare?

Stomachari dicitur esse, molestia affici ob eū, qui appareat indigne bene agere. *pag.* 101.

Excitatur stomachatio, si tales parentur illi, qui audiunt, quales stomachosi esse solent, dolentes indignis bona euenire: ac ostendantur indigni, qui misericordiam impetrēt, illi, qui poscūt, ut sui misereantur, & ob illa, ob quæ poscunt: & omnino commemorentur, ac sub oculos subiiciātur prosperi eorum successus, qui indigni ea prosperitate habeantur: qualis est illa Horatij commemoratio in Menam Pompeij Magni libertū; Sectus flagellis hic Triumuiralib. *pag.* 103.

Præconis ad fastidium;
Arat Falerni mille fundi iugera,
Et Appiam mannis terit;
Sedilib.q; magnus in primis eques.
Othone contempto sedet.

pag.104. Definitur inuidia, ut sit molestia quædam propter eã, quæ apparet prosperitatẽ bonorũ, erga si miles, nõ ut aliquid ipsi existat, sed propter illos.


Mouetur inuidia, si quam videntur habere bonorum prosperitatem illi, qui similes sunt, ante oculos proponatur, ita ut doleant auditores propter illorũ bona. Apud Ciceronẽ li.2. de oratore, quædam traduntur ad inuidiã mouendã, quæ videntur magis ad stomachationem excitandã pertinere, cum indignitas hominis exprimatur; nẽpe moueri animos ad inuidiã, si dicatur, opes, honores, imperia, non esse uirtute parta, sed uitijs, atq. peccatis: si, illa sint honestiora, atq. grauiora, non esse tanti ulla merita, quanta insolentia hominis, quantumq; fastidium. Apud eundẽ Cic. additur mitigari animos ad inuidiam concitatos, si quis dicat, magno illa labore, magnis periculis esse parta; nec ad suum commodum, sed ad aliorum esse collata: seseq; si quam gloriam peperisse videatur, ea non delectari, totumq; abiicere, atq. deponere.

Definitur æmulatio molestia quædam propter pag.106. præsentiam, quæ appareat, bonorum honoratorum, & eorum, quæ assumere ipsi contingit, in similib. natura, nõ ꝙ alij, sed ꝙ non etiam ipsi sint. Quemadmodum autem inuidia dolet bono alieno: sic æmulatio malo suo; ꝙ honorata inesse bona uideantur in iis, qui natura similes sunt, non propter illos, quib. æmulantur, sed ꝑ, illos, qui ęmulãtur. Nã, ut ꝑ ĩuidiã se accingũt, ne alij bo

na

na potiātur; ita pp ęmulationē, ut ipsi adipiscātur Quare excitabitur æmulatio, si bona aliorū honorata proponētur, quæ & ipsi consequi possint. ut apud Ciceronē pro Sextio; Hæc imitamini per Deos īmortales, qui dignitatē, qui laudē, qui gloriā quæritis. hęc ampla sunt, hæc diuina, hæc immortalia, hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandātur, posteritati propagantur. Hactenus de affectib.

DE NATVRA ELOCVTIONIS, & dispositionis partium.



CVM tres sint partes Rhetoricæ, vna de triplici fide, tum demonstrationis, tum morum, tum affectuum; altera de elocutione; tertia de dispositione partium orationis: satis primę partis natura explicata est. sequitur, ut elocutionis, ac dispositionis naturā ostendamus.

Quemadmodum autem fides primū locū obtinet: sic elocutio secundum. id quod declarat Aristoteles lib. 3. in hunc modum; Ac primū quidem quæsitum est secundum naturā, qꝫ natura factum est primū, res ipsæ unde possint persuaderi. Alterum uero, quomodo eædem exponantur elocutione. Iam in arte poetica definitur elocutio per verba interpretatio, & cum sit nomen cōmune: tamen propter excellentiam elocutio intelligitur ornata orō, cuiusmodi est ea, qua utitur orator. tribuitur. n. potissimum oratori, qui ab ea ēt nomē eloquētis hēt, id quod testatus ē Cicero in oratore ad Brutū in hūc modū; Sed iā illius pfecti oratoris, & sūmæ eloquentiæ spēs exprimen- *pag. 150.*

da est; quem hoc uno excellere, id est oratione, cetera in eo latere indicat nomen ipsum. non enim inuentor, aut compositor, aut actor hæc cō plexus est omnia; sed & græce ab eloquendo ῥήτωρ, & latine eloquens dictus est. Ceterarum enim rerum, quæ sunt in oratore, partem aliquā sibi quisque uendicat: dicendi autem, id est eloquendi maxima uis soli huic conceditur.

pag.151. Cum autem proprium sit oratoris ornate dicere, quæritur, an ornata oratio aliis disciplinis cō ueniat. Nam de elocutione in lib. 3. Aristotelis verba sunt: Atque id quidem, quod pertinet ad elocutionem, habet non nullā paruam necessitatē in omni doctrina: interest enim quiddam ad declarandum, ita'ne, an ita dicas; non tamen tanto pere. His uerbis Aristoteles non magnam requirit elocutionis necessitatem in doctrinarum pertractatione. Cicero quoque lib. 1. de finib. scribit, A' philosopho, si afferat eloquentiam, non aspernandam; si non habeat, non admodum flagitandam: satis enim esse, si cōplectatur uerbis, quod uelit, & dicat plane, quod intelligatur. Addunt non nulli uerborum elegantiam non solum esse parum necessariam sapientiæ studiosis, uerum etiam indecoram, cum sapientiam non deceat esse fucatam, miniatam, cerusatam. Nec desunt nostris temporibus multi, qui putent tantam esse difficultatem rerum cognoscendarum, ut tempus non habeatur discendi ornamenta elocutionis, & colligendi pigmenta orationis. Verum, vt nulla necessitas sit elocutionis, quam tamen Aristoteles non negat aliquam esse, quamuis paruā, cum aliquid intersit ad declarandum, ita'ne, an ita dicas: non unius profecto necessitatis in sermone habenda ratio est, sed simul uenustatis.

Quo

Quod elegãtissime probauit Cic.li.3.de oratore, necessitate, & pulchritudine totius mũdi, oĩum aĩaliũ, oĩum arborũ in natura, & artis nauigãdi, ædificandi, ceterarum omnium. Præterea omnis quidẽ fucus aspernandus est, sed non idcirco illuuies, & situs, & sordes sequendæ. Nec negandũ, fieri posse, ut sapientia cum eloquentia coniungatur, exemplo Platonis, Xenophõtis, Aristotelis, Theophrasti, aliorumque ueterum, qui non minus eloquentes, quàm sapientes extiterunt.

Ac in ratione quidẽ elocutionis spectãtur uerba tum simplicia, tum coniuncta. De simplicibus sex præcipit Aristoteles.

Primo loco adhibenda esse propria, quæ faciũt orationem perspicuam; & immutata, quæ efficiũt non humilem, sed ornatam; non externa, & inusitata, non duplicata, non facta, quæ reddunt elatã, & in maius, quàm decet, augent. *pag.* 152.

Scđo loco elaborãdũ potissimũ in metaphoris *pag.* 153.

Tertio epitheta formanda esse aut à malo, & turpi, ut si Orestes appelletur matricida, & mulæ dicantur semiasinæ: aut à meliori, ut patris uindex, filiæ uolucrum equorum. *pag.* 156.

Quarto in diminutiuis modum retinendũ, ut cum Aristophanes dixit aurulum, togulam, conuiciolum, morbulum.

Quincto frigidam elocutionem uitandã esse.

Sexto imaginem, uel similitudinem parum à trãslatione discrepãtẽ recipiẽdã esse, ut de Achille, Leo ruit, translatio est: Tãquã leo ruit, imago. *pag.* 158.

In coniunctione uerborũ septẽ cõsiderat Arist.

Elocutionem emendatam. *pag.* 160.

Tumorem, & concisionem orationis. 101.

Decoram orationem. 162.

Elocutione numerum. 164.

166. Elocutionem fusam,& uersam.

170. Elocutionem urbanam.

177. Elocutionem conueuientem.

Singulorum uero capitum ita ad oram libri enumerata, & distincta præcepta sunt, ut paruo negocio cognosci hæc egregia,& pclara Aristotelis de elocutione doctrina, quemadmodũ etiam de ceteris possit. Quare in hac parte diutius non commorabimur.

De partib. orationis. Quoniã uero oratori uidendũ est,nõ solũ quid dicat,qđ pertinet ad inuẽtionẽ, & qũo dicat, qđ ad elocutionẽ: uerum ẽt, quo loco dicat,quod ad partium dispositionem: idcirco de partibus orationis simul agendum est, quæ enumerantur modo duæ,modo quattuor,modo plures, ĩ quas suo loco collocatas omnes res inuentæ distribuũtur: nihil enim aliud dicitur esse dispositio,nisi rerũ

pag. 180. inuentarum in ordinem distributio.

Iamuero necessariæ partes sunt duæ, ꝓpositio, & fides. Queadmodũ.n.in sermonib. philosophorum existit problema,uel quæstio,& præter problema ipsa demonstratio: sic in contentionib. oratorũ solet existere propositio, & fides. Et, queadmodum nullus sermo instituitur à philosophis, in quo primum non quæratur id, de quo agitur, deinde nõ demõstretur: sic nulla caussa tractatur ab oratorib. in qua primũ nõ ꝓponatur id, qđ in controuersia positum est, deinde non probetur; vt merito propositio, & fides partes necessariæ appellentur. Propositio aũt hoc in loco intelligitur nõ ea procemij pars, quæ indicat, quinam sit finis, cuius caussa oratio ĩstituta est; quia est pars à procemio diuersa: nec narratio, quia est necessaria pars: sed expositio eius, quod uenit in controuersiam, vt ĩ caussa Milonis, Vter vtri insidias fecerit.

fecerit. Ita enim se habere propositionem ad fidẽ, vt problema ad demõstrationẽ modo notauimus Quamquã narratio reduci ad ꝓpositionẽ potest: sed omnis quidem narratio est propositio: at non omnis propositio est narratio. illa vero propositio, quę est narratio, pars necessaria nõ existit, nec intelligi in hoc primo p̃cepto potest. Fides quoque nõ accipitur hic, quemadmodũ in primo præcepto statim post definitionẽ Rhetoricæ pro qualibet fide tum artificiosa, tum experte artis: nec, vt initio lib. 3. ꝑ fide artificiosa: nec vt in proœmio, pro illa fide artificiosa, quæ dicitur demonstratio, & anthymema: sed pro illa parte orationis quæ dicitur cõfirmatio, inde scilicet appellata, qđ in illa potissimum cũ omnis fides existat, tum vero ea, quę potẽtissima est & dignissima inter alias, quæ propter excellentiã fides nominetur, nempe demonstratio, & argumentatio, ac enthymema. quod ab Aristotele appellatur corpus fidei, & dicitur potentissimam fidem continere.

Cũ aũt duæ sint partes necessariæ, si addãtur minus necessariæ, quattuor erunt, ꝓœmiũ, ꝓpositio, fides, peroratio. ꝓœmiũ .n. nõ est pars necessaria, q̃a nõ conuenit generi deliberatiuo, nisi cũ est, q̃ contradicat: tũc .n. ducitur ꝓœmiũ à iudicialib. caussis. Nec peroratio est pars necessaria, q̃a nõ ꝑtinet ad genus demonstratiuũ; nec semꝑ ad iudiciale, veluti si pusilla oratio sit, aut res custodiri memoria commode possit. Quidã putant hoc præceptũ Aristotelis de quattuor partib. orationis esse idem cũ præcepto Ciceronis in partitionib. vbi scriptũ est, orationis partes eẽ quattuor, earũ duas valere ad rẽ docendã, narrationẽ, & confirmationem: ad impellendos animos duas, principium & perorationẽ. Tamen constat in eo diuersum

esse, quòd Cicero loco propositionis, quam Aristoteles partem necessariam nominat, narrationem ponit, quæ non est pars necessaria. Non enim cõuenit generi deliberatiuo, nisi assumpta caussa criminationis; nec demonstratiuo nisi in partib.

Alij alias partes fecerunt minus necessarias, vt Refutationem, quæ non est generis demonstratiui; nec deliberatiui, nisi cum existit, qui contradicat: tunc enim solet adhiberi accusatio. & defensio ex genere iudiciali assumpto, & Aduersam collationem, quæ non est generis deliberatiui, nisi existente aduersario. & Repetitionem, quæ quandoque reperitur in caussa deliberatiua, cum existit aduersarius. sed, quemadmodum superius notauimus, narrationem redigi ad propositionẽ quandoque posse: sic hoc in loco ex doctrina Aristotelis refutationem, & aduersam collationẽ ad fidem reducimus. & repetitionem ad perorationem. partes enim non sunt multiplicandæ, vt tradit Aristoteles, ne in errorem incidamus Theodori, & Lycimnij; quorum alter fecit non solum narrationem, uerum etiam supernarrationem, & prænarrationem: alter nominauit irruptionem, aberrationem, ramos; quod fuisse inane, ac nugatorium ipse Aristoteles monet, cum imponendũ nomen non sit, nisi forma, ac differentia aliqua inferatur. Plures etiam partes enumerantur apud Ciceronem lib. 1. de oratore, nempe initium, demonstratio, quæ accepta est pro narratione, constitutio controuersiæ, quæ pertinet ad partitionẽ, confirmatio, refutatio, peroratio, & lib. 2. exordium, narratio, diuisio, propositio, confirmatio, refutatio, digressio, peroratio, sed narratio, partitio, uel constitutio controuersiæ, vel diuisio, ad propositionem referuntur. Confirmatio, & repre


hensio,

hensio, vel refutatio ad fidem, digressio ad pero rationem, cum illa fiat caussa amplificationis, quæ ad hanc pertinet.

Reliquum est, vt præcepta singularum partium explicentur, quæ vt melius, & facilius cognoscā tur, ad Rhetoricam praxin redigentur; &, cum trium generum sint, in tribus orationibus explicabuntur, seruato hoc ordine, ut primum res, de qua agitur, & argumentum ipsum declaretur: deinde genus caussæ: præterea conueniens elocutionis genus: postremo artificium partium singularum; quibus cognitis, totus habebitur artis Rhetoricæ vsus.

ARTIS RHETORICAE PRAXIS DEMONSTRATIVA EXPLICATA IN Oratione Ciceronis

PRO MARCELLO.



Argumentũ orationis



Marcellus in consulatu, quem gessit cum Ser. Sulpitio, anno ab V. C. septingentesimo secundo, Cæsari se inimicissimum ostẽderat, cum ad senatum retulisset, vt ei prouinciam Galliam administranti ante tempus succederetur; vt is exercitum dimitteret; vt ne eius absentis in petitione consulatus ratio haberetur, vt colonis, quos is rogatione Vatinia Nouocomũ deduxisset, ciuitas adimeretur. ac sequutus erat partes Pompeianas, nec ei victori supplex ire uoluerat, vt iuerat Cicero, & alij post pugnam Pharsalicam. Itaque Mitylenis exulabat anno septingentesimo septimo. Quo tempo

re

re Cæsar, ad cuius pedes C. Marcellus M. frater se abiecerat, & ad quem cunctus senatus supplex accesserat, commemoratis primum offensionibus suis in senatu dixit, se M. Marcello redeũdi potestatem facere; &. Cicero Cæsari hac oratione gratias egit, cum silere in perpetuum statuisset. quod scriptum est ad Sulpitium epistola quarta libri quarti Familiarium. Hoc autem Cæsaris beneficio M. Marcellus frui nequaquam potuit. Nam anno septingentesimo octauo, cum esset rediturus, & Italiam uersus nauigaturus, antequam conscenderet, à P. Chilone est interfectus. qua de re extat epistola Ser. Sulpitij, quæ est duodecima libri quarti Familiarium.

Genus causæ. Atque hæc quidem oratio in genere demonstratiuo est: gratias enim agere est quodammodo laudare, quod pertinet ad demonstratiuum. Nam quæ oratio indicat magnitudinem virtutis, vel operis ex virtute, ea est laus, uel encomium vt docet Aristoteles li. 1. At gratiarũ actio est oratio *pag. 43.* quæ indicat magnitudinẽ virtutis, vel operis, vt beneficentiæ, vel beneficij. Ergo est laus, vel encomium. Et, vt gratias agere per se non sit laudare: potest tamen referri ad genus demonstratiuum, propterea quòd eius præceptis tractetur. Nam ut in ceteris artibus cum tradita sunt cuiusque rei difficillima, reliqua, quia aut faciliora, aut similia sint, tradi non est necesse: sic in ratione, & exercitatione dicendi qui cognouerit præcipua genera, cetera quoque cognoscet. vt affirmat Cicero sub persona Antonij libro secundo. de oratore. Itaq; gratiarũ actio refertur ad genus demonstratiuũ, cũ gratias agat nemo, quin simul acceptũ beneficiũ laudet. Cũ vero demõstratiuum sit pcipuũ huius orationis genus; assumitur quoq;

iudiciale

iudiciale ad defendos illos de quibus Cæsar suspiciones habebat, & minuendas huiusmodi suspiciones. ac deliberatiuū ad eum cohortandum, vt saluti suæ consulat propter communem salutē ad vnum enim genus assumi cetera notius est ex doctrina Aristotelis, quàm vt nostra egeat explicatione.

Genus elocutionis. *pag. 179.* Iam in genere demonstratiuo accuratissimam elocutionem inesse oportere, constat ex eo, quod scribit Aristoteles lib. 3. elocutionem scriptionis requiri exactissimam: demonstratiuum vero esse scriptioni accommodatissimum. Itaque Cicero vtitur omnino exacto, atque accurato dicendi genere, & mira adhibet tum verborum, tum sententiarum ornamenta.

Conuenit autèm exornationibus mediocre elocutionis genus.

Quamobrē ipse Cicero in oratore ad Brutum testatur, se in ornando Pompeio pro lege Manilia temperata oratione orũandi copiam persequutum esse. & in hac oratione mediocre, ac temperatum dicendi genus sequitur.

Partes orationis. Partes aūt huius orationis sunt proœmiū, & fides. nulla narratio est, q̃a, cū duob. modis fiat; aut cōtinēter, vt in genere iudiciali, vbi continuatur ipsa narratio, & eius partes non permiscentur cum partibus fidei: aut secundum partem, cum tota narratio vno in loco non ponitur, sed singulæ eius partes cum demonstrationibus, & amplificationibus ita coniunguntur, vt distingui narratio à fide difficulter possit; primo modo nunquā conuenit generi demonstratiuo; quod significauit Aristoteles, cum scripsit; *pag. 180.* Demonstratiuæ autem, & deliberatiuæ quomodo contingit narrationem esse, qualem dicunt? Secundo modo conuenit

uenit tunc, cum res gestæ eius, qui laudatur, ob scuriores existunt, vt Critiæ: sed non conuenit, cum clariores, vt Achillis, quod docuit Aristoteles in hunc modum; Et notos in memoriam reuocare oportet. Quamobrem multi non indigẽt narratione, quemadmodum si velis Achillem laudare: omnes enim sciunt eius actiones. sed vti ipsis oportet. si vero Critiam, narrare oportet: nõ enim multi sciunt. Iam vero in hac oratione res agitur notissima: idcircoque nulla opus est narratione. Aristoteles negat perorationem congruere orationibus demonstratiuis. cuius rei illa afferri ratio potest, quòd cum quattuor sint munera perorationis, vt ipse Aristoteles scribit, auditorem erga se bene constituere, quæ confirmata sunt, amplificare, affectus mouere, memoriam renouare; in hoc quidem genere sua sponte bene constituti sunt auditores, qui vel suas vel suorum laudes audiuerunt; amplificatio vero per totam orationem adhibetur; sic affectus delectationis, quæ duo sunt huius generis propria, vt testatur Aristoteles lib. I. & Cicero in partitionibus. in singulis autem laudibus ea commoratio fit, vt illæ in animis auditorum penitus imprimantur, nec opus sit ipsarum memoriam renouare.

pag. 188.

pag. 180.

pag. 196.

Traditur in genere deõmstratiuo tale esse prooemium, quale in aulesi preaulium, ut quemadmodum tibicines, antequam cantum incipiant, qualibet prolusione utuntur; sic oratores in demonstratiuis orationib. pro arbitrio possint, unde voluerint, procemiũ ducere. sic admitti prooemium separatum, ut quæ à Cicerone de eo uitio scripta sunt, de caussis deliberatiuis, & iudicialibus sint intelligenda. Præterea præcipitur, duci prooemium tum à laude, vel vituperatione,

Artificium prooemij. *pag.* 182.

tum

tum à suasione, vel dissuasione, tum ab ijs, quæ referuntur ad auditorem. procemium huius orationis non est separatũ, sed ductum à re, id est à restitutione Marcelli. Ac sumptum est à laude Cęsaris.

Quòd siquis voluisset Cęsarem vituperare, potuisset à vituperatione sic exordiri; Tacebam antea P.C. de C. Cæsare, quòd tantum esse in homine sceleris, audaciæ, crudelitatis non putabã. Nunc, cũ eius iniquitatem penitus nouerim, facere nõ possum, quin exclamem, eum multo iniustiorem esse, quàm extitisse quondam Sylla commemoratur. id quod breuiter demonstrabo.

Ciceronis exemplum reduci ad suasionem potest, per aliquod verbum, quod consilium indicet, vt oportet, conuenit, & similia, in hunc modum; Conuenit summis laudib. extollere maximam Cæsaris mansuetudinem, inusitatam, inauditamque clementiam, maximum in summa potestate rerũ omniũ modũ incredibilem sapientiã, ac pene diuinã; idcircoq; eũ suscepi laudandum.

Alterum exemplum ad dissuasionem sic; Non oportet illi honorem habere, qui non solum singulorum ciuium bona publicauit sed vniuersas quoque prouincias, regionesque vno calamitatis iure comprehenderit. id quod fecisse Cæsarẽ luce clarius ostendã. Præterea ab ijs, quæ referuntur ad auditorem ad hunc modum potuisset procemium duci; Et si uereor P. C. ne id quod dicturus sum, vobis incredibile videatur tamen peto à vobis, ut me attente audiatis. Facile enim probaturus sum Cæsarem victoriam vicisse.

Artificium confirmationis. pag. 190.

In fide habenda primum ratio est status, & controuersiæ, quam Aristoteles quadruplicem commemorat, An sit, Quid sit, Quale, & Quãtũ: dein de vero etiã ꝓprij instrumẽti, postremo ordinis.

Quidam

Quidam putant in genere demonstratiuo nullum esse statum, duobus adducti argumentis. primum, quia vbi aduersarius non est, ibi status esse non potest: in genere demonstratiuo non est aduersarius; ergo nec status quidē: deinde vero quia vbi est res certa, ibi non est status: in hoc genere est res certa: ergo nō est status. Nos tñ sequimur auctoritatem Ciceronis, & Aristotelis. Cicero enim sub persona Antonij statum ponit in hoc genere, cum ex persona caussa constat, vt laudis, ita vt quęratur, quid factum sit, aut fiat, futurum ve sit, aut quale sit, aut quid uocetur. & in Topicis scribit, In laudationibus aut negari posse id factum esse, quod laudetur; aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit; aut omnino nō esse laudabile, quod non recte, non iure factum sit & ijs omnib. generib. vsum esse nimis impudēter Cęsarem contra Catonem. Aristoteles vero videtur agnoscere statum in hoc eodem genere, dum scribens de narratione demonstratiua ait non solum eam cōstare ex ijs, quę arte carent, quòd qui dicit actionum auctor nō sit, sed etiam ex ijs, quę artem habent; hoc autem esse, vt res aut esse demonstretur, si fide careat, aut qualis sit, aut quanta, aut etiam omnia. Argumenta autē contraria ita diluimus, vt dicamus, auscultatores esse aduersarios, si non manifestos, vt in causis iudicialibus, & sæpe etiam in deliberatiuis, at saltem occultos, cum arbitrentur oratores, eos, qui audiunt, aliter sentire, si non de re, at certe de qualitate, & quantitate rei. Et non semper hic rem certam esse, cumque certa est, de nomine, de qualitate, de quantitate rei posse statum existere. Ac status quidem huius orationis est quantitatis, cum quæritur, quantum sit hoc beneficiū

Status caussæ.

pag. 188.

Cæsaris collatum in Marcellum. & status coniecturalis in parte iudiciali An aliqui cogitent de insidijs contra Cæsarem, & status negocialis in parte deliberatiua, An oporteat Cæsarem conser uare salutem suam, contraquàm ipse dicebat, cũ illud in ore haberet, se satis diu uixisse.

Propriũ in strumentũ. Cum tria sint instrumenta oratoria, enthymema exemplum amplificatio, Aristoteles scribit amplificationem generi demonstratiuo esse maxime accommodatam, cuius verba sunt; Omnino ex ijs formis, quæ omnibus orationibus communes sunt, amplificatio aptior est ad demonstratiuas: assumunt enim actiones confessas, vt nihil aliud reliquum sit, nisi magnitudinem adiungere & pulchritudinem. Quare alibi præcipit sic, In demonstratiuis plerunq; amplificatio erit honestorum, aut vtiliũ. facta. n. credi oportet: etenim raro horũ demõstrationes afferunt, si fide careãt, aut si alius caussã habeat. Hæc ille. Amplificatio aũt est vehemẽs argumẽtatio circa quantitatẽ rei. Ac oĩs argumẽtatio ducitur partim à ꝓpris ꝓpositionib. eius generis, in quo habetur oratio; partim à cõmunib. partim à locis Topicis. propriæ propositiones generis demonstratiui sunt ab honesto. inter communes magni, & parui propositiones huic generi maxime congruunt. loci Topici possunt omnes conuenire, à quibus tribus partibus Cicero argumentatur.

pag. 44.

pag. 191.

pag. 39 Præcipuæ propositiones honesti dicuntur esse trium generum, vt honesta sint tum virtutes, tum efficientia virtutum, tũ effecta à virtutib. Hic laudatur virtus, & effectum à virtute, nempe beneficẽtia Cæsaris, & beneficiũ collatum in Marcellũ.

pag. 43. Præterea si laudentur virtutes, illa proprie dicitur laus: si opera virtutũ, encomium: si ea, quæ

circũ

circũ ſunt, communiter fides demonſtratiua. Quæ circũ ſunt, vt nobilitas, & diſciplina, omitti ſolent tanquam communiora: quærenda enim eſſe magis ꝓpria, Ariſtoteles docet. Quare omittũtur etiã a Cicerone; & laudatur potiſſimũ clementia, & opus clementiæ. Itaq; eſt laus, & encomium. *pag. 129.*

Cum autem in hoc genere quinque ſint ordines collocandi ex doctrina Ciceronis in Partitionib. (nam aut temporum ſeruantur gradus, aut generum diſtributiones, aut à minorib. ad maiora aſcendimus, aut à maioribus ad minora dilabimur, aut hęc inęquabili varietate diſtinguimus) in hac oratione tertius ordo ſeruatur, dum probat Cicero Cæſarem magnitudine laudis ſuperaſſe imperatores Romanos, exteras gentes, potentiſſimos populos, clariſſimos reges; & hoc facto clementiæ ſuperaſſe ceteras ſuas res geſtas; & nõ ſolum viciſſe ceteros omnes victores bellorum ciuilium æquitate, & miſericordia, verum etiam ſe ipſum, & victoriam ipſam. Nunc ſingula argumẽta colligamus. *Ordo laudis*

Ille quidem fructum] In hoc ſtatu quantitatis, in quo quæritur, quantum ſit hoc factum Cæſaris id eſt, an ſit tantum, vt ceteris eius reb. geſtis debeat anteponi, primum argumentum vim habet à tertia forma honeſti in hunc modum; omne opus virtutis eſt honeſtum, & laudabile. Beneficium hoc eſt opus virtutis, nempe beneficentiæ & clemẽtiæ Cæſaris. ergo honeſtum, & laudabile

Et à duodecima forma; Quæcunque bonæ actiones ſunt erga alios & non erga ſe, honeſtæ ſunt.

Et à decima quarta; Beneficia honeſta ſunt, quæ non ſunt erga ſe. Quoniã vero fundamentũ huiusmodi virtutis, vt teſtatur Cicero li. 1. officiorũ, eſt, vt pro dignitate cuique tribuatur: idcirco vt

 hæc

hæc virtus Cæsaris habeatur vera, & nō adumbrata, in ipso prope vestibulo laudationis ponitur dignitas Marcelli, in quem opus ipsius virtutis collatum est, & argumentum etiam ducitur à minori; Si in accepto beneficio tanta est gloria, quanta in dato esse laus debet? Cum enim omnis liberalitas posita sit non solum in datione, sed etiam in acceptione, vt scriptum reliquit Aristoteles lib. 4. Ethicorũ, magis tamē consistit in dando, quàm in accipiendo, quinque de caussis, quę ex ipso Aristotele colliguntur; primum quia magis propriũ virtutis est beneficio afficere, quàm affici, & honesta agere, quàm non agere turpia: deinde quia habetur gratia ei, qui dat, non ei, qui accipit: præterea quia difficilius est dare, quàm non accipere: tum quia liberales proprie dicuntur, qui dant, non magis liberales, quàm iusti, qui non accipiunt: postremo qa maxime amantur pp dationē. Quòd si is, qui accipit, laude dignus existimatur, quanto est dignior existimandus, q dat?

Nullius tantũ est flumen ingenij] Vltima forma honesti complectitur omnē collationem: Quæ honestis honestiora sunt, etiã laudibiliora, de qua collatione ita Aristoteles; Cum illustrib. vero fa-
pag. 41. ciēda collatio est. Nã id habet vim amplificãdi, & honestũ est, si bonis viris melior sit. Ac iure in laudes cadit amplificatio. consistit .n. in excellentia, & excellentia est rerũ honestarũ. Quamobrē si nō cũ illustrib. at certe cũ alijs est comparãdũ, siquidem excellentia indicare uirtutē videtur. Hæc ille; cuius verba diligētius considerent illi, qui orationes demonstratiuas magis historicas, quã oratorias cōficiunt, sine vllis amplificantionib. & collationib. Conferuntur ergo hoc in loco res gestæ Cæsaris cum aliorum reb. gestis; & cum Cęsar alijs

præfe-

pferatur, eius tñ laudib. bellicis anteponitur laus clementiæ à vigesima octaua forma honesti; Quæ ꝓpria singulorū sunt, honesta sunt. Sic quæ magis ꝓpria sunt, honestiora sunt. laus clemētię ē magis ꝓpria Cęsaris, quā laudes bellicę. ergo honestior. pag. 41.

Domuisti gentes] Confertur victoria sui ipsius cum aliarum rerum victoria. & ostenditur uincere se ipsum, rē quandā excellentē esse. quæ vero excellunt honesta, & laudabilia sunt, vt dicitur in vigesima quincta forma honesti.

Quæ quidem tanta est] Hoc pertinet ad vigesimam primam formā, Quæ memorabilia sunt, honesta sunt. Sic quæ valent magis ad memoriam laudabiliora.

Et ceteros quidem omnis victores] Vigesima forma est, Et victoria, & honor ex rebus honestis sunt. omnia autem hæc argumēta a proprijs propositionib. generis demonstratiui ducta, quia versantur circa magnitudinem rei, pertinent etiam ad propositiones eius, quod magnum est, quas diximus esse quidem communes omnibus generibus, sed demonstratiuo maxime conuenire; quemadmodum etiam sequentes amplificationes.

Atq. hoc Cæsaris iudicium] probatur Cæsaris iudicium de Pompeianis magnum esse, & late patere tribus argumentis, quia ipse à scelere liberauerit inimicos suos; quia declarauerit voluntatē suam de bello; quia ostenderit se moderatiorem esse, quàm fuissent Pompeiani.

Quare gaude tuo isto tam excellenti bono] probatur laudem clementiæ esse magnam, quòd sit excellens bonum; quod à natura, & moribus optimis proficiscatur; quòd à virtute donata videatur. Et hæc pertinent ad statum quantitatis, quæ pars est propre demonstratiua. sequitur iudi

cialis, quæ defendit illos, de quibus Cæsar suspicionē habebat, & continet statū coniecturalem.

Nunc venio ad grauissimam querelam, & atrocissimam suspitionem tuam] Dicebat Cæsar se suspicari de illis, quibus veniam dabat, ne ipsi insidias facerent. Cicero autem huiusmodi suspicionem esse falsam, quia nulli erant, qui cogitarent de insidijs contra Cęsarem. Status coniecturalis est, An aliqui cōgitarent de insidijs. Argumētatur Cicero à loco Topico, qui dicitur partium enumeratio, quibus sublatis illud conficit, neminem esse, qui huius modi scelus cogitet. Nam aut amici, aut inimici huiusmodi cogitationē habent. De amicis non est credibile. Inimici nulli sunt, cū aut perierint in bello, aut amicissimi facti sint. Ergo nulli tantum facinus cogitant.

Sed tamen cum in animis hominum tantæ latebræ sint] Hæc pars deliberatiua est de vita Cæsaris conseruanda. Deliberatiui autem generis ꝓprius status est negocialis de re futura, An oporteat aliquid facere, vel nō facere, dare, vel non dare, auctor Hermogenes. status autem negocialis est pars status generalis, vel qualitatis, cum altera pars sit iuridicialis. Quæritur ergo, An oporteat Cæsarem conseruare salutem suam. Dicebat Cæsar, non oportere, quia satis diu uixerat. Responsio Ciceronis est opoitere, quia ille quidem satis diu vixit naturæ, vel gloriæ, sed non patriæ. immo uero nec glorię quidē satis immo nec diu quidē.

Omnia sunt excitanda tibi] Probatur Cæsarem non satis diu uixisse patriæ, argumento ducto ab eo, quod fieri non potest, cuius propositiones tametsi communes sint omnibus generibus: deliberatiuæ tamen maxime congruunt. Belli vulneribus mederi nemo potest præter Cæsarem. ergo Cæsar

far est conferuandus, vt illis medeatur. ergo Cæ far nondum fatis uixit patriæ.

Quid, fi iftud, ne gloriæ quidem tuæ fatis eft?] probatur Cæfarem non fatis diu vixiffe gloriæ argumento ducto à definitione gloriæ; vt perfecta gloria non fit, nifi perficiantur merita.

Quid eft enim omnino hoc ipfum Diu] proba tur Cæfarem non vixiffe diu à definitione ipfius diu, quod proprie dici non poteft, vbi eft aliquid extremum, vt in hac vita noftra. Et à cauffa ad effectum, quia Cæfar femper immortalitatis amo re flagrauit. Ergo debet pofteritati inferuire, & fe oftentare.

Diuerfæ voluntates ciuium fuerunt] Redit Ci cero ad ftatum coniecturalem, & argumentatur à præcedentibus, & adiunctis de voluntate ciuium erga Cæfarem. Nam perfuncta Refp. eft mifero, fataliqúe bello. vicit is, qui non fortuna inflam maret odium fuum, fed bonitate leniret. armorū periculo omnes liberati funt. omnis fracta diffen fio eft armis, & extincta æquitate victoris. Nifi Cæfare faluo, & in benigna fententia manente ciues falui effe non poffunt. Ergo adiungitur, vt omnes unùm velint de falute Cæfaris. Hanc par tem quidam faciunt perorationem. tamen quæ pars ualet ad probandam cauffam, peroratio non eft. hæc valet ergo non eft.

Sed vt vnde eft orfa, in eodem terminetur ora tio mea] probat Cicero omnes agere gratias Cæ fari à fignis, id eft precibus, & lacrymis.

Sed quia nō eft aftantibus omnibus neceffe di cere à me certe dici volunt] probat fe neceffe ha bere Cæfari gratias agere, ab adiunctis, quòd a ftantes ita uelint; quòd fentiat omnium lætitiam non vt de vnius folum, fed vt de commu-

ni omnium salute; quòd, si præstitit summam be neuolentiam in dubitatione salutis, debet etiam præstare in conseruatione. Hæc autem pars, qua gratiæ aguntur Cæsari, continet principale negocium huius orationis, vt nesciam, quomodo appellari peroratio possit, vt ab explicatoribus appellatur; nisi eo modo peroratio dicatur, quo etiã finis procemij potest dici conclusio, & finis narrationis, & ceterarum partium similiter; cum vera peroratio, quæ pręstat illa quattuor munera, quę superius commemorauimus, generi demonstratiuo ex doctrina Aristotelis minime conuenire videatur.

ARTIS RHETORICAE

PRAXIS IVDICIALIS EXPLICATA IN ORAtione Ciceronis

PRO MILONE.



ES, qua de agitur in hac oratione, est cędes Clodij facta à Milone. Iam operæprecium est cognoscere, quomodo Milo, & Clodius inter se inimicitias susceperint, atq. exercuerint. Ac Ciceronis quidem caussa Milo factus est Clodio inimicus, q; fauerit illius ab exilio reuocationi. Itaque antequàm ille ab exilio rediret, Milo accusauit Clodium de ui, qua de re sic legitur in oratione post reditum in Senatu; Primo de ui postulauit. posteaquàm ab eodem iudicia sublata esse uidit ne ille oĩa ui posset efficere, curauit. Post illius reditum, rursus eundem de ui accusauit. Aedilitatem petijt Clodius, ut uitaret accusationẽ, quemadmodum scriptum reliquit Dio libro trigesimo nono. Robortellus uir nostri ordinis clarissimus in libro de artificio dicẽdi scribit id sibi nõ liquere hac ratione, quia profiteri nõ possẽt rei. At respõderi potest, Clodium petijsse, antequàm profiteretur: quia petitio fit apud propulum, professio apud magistratum; & potest aliquis petere, uerũ desistẽs petitione, aliqua de caussa impeditus *Argumentum orationis.*

tus

tus, non profiteri. Aut ita respondendum, Cum præsentiret Clodius, Milonē de accusatione sui cogitare, & instarent comitia Aedilitia, eum professum esse; antequàm reus fieret à Milone, vt per professionem uitaret iudicium. Aut melius dicē dum, Reos quidem profiteri non potuisse: sed hoc fuisse nouum in Clodio, ut propter petitionē Aedilitatis accusatio sopiretur. Quare in episto la lōgiore ad Lentulū dolet exemplum præclarissimum in pōsterū uindicandæ seditionis de Rep. sublatum ab iis, qui Clodium de ui accusatum in iudicium adduci uetuerunt. & in Sextiana, Cōn sulem Pr. Trib. pl. noua noui generis edicta pro. posuisse, Ne reus adesset, ne citaretur, ne quęreretur, ne mentionem omnino cuiquam iudicum, aut iudiciorum facere liceret. Milo igitur, qui Clodium de ui postulauerat ex lege Aelia Fusia, quam Cicero uocat remedium Reip. lib. 2. ad Att. & certissimum subsidium post reditum in Senatu; Metello cōnsuli obnunciauit, ut comitia Aedilitatis impediret, quoad Clodius condemnaretur. ut apparet ex epistola 3. lib. 4. ad Att. Metellus noluit comitia protrahere. Itaque Clodius est Aedilis designatus; & ad Aedilitatem quàm citissime Philippi, Marcellinique tempore peruenit, ad quam rogitās fuit assumptus, ut fugeret iudiciū; quod constat ex Dione. Cum autem anno ab vrbe condita 697. etiam Clodius accusasset Milonē in Aedilitate, cuius accusationis fit mentio in oratione pro Sextio, anno 701. occisus est à Milone. qđ narratur plurib. verbis ab Asconio. Addit vir doctissimus Robortellus in hunc modum; Occiditur & Clodij filius, qui articulatim cœsus à seruis Milonis. Asconius in argumenro orationis huius. Hoc mihi, ut uerum fatear, nequaquā

pro

probatur, Nam de Q. Metello Scipione, qui in Senatu eo tempore conquestus est, Asconij verba sunt; Milonem, cum sciret in Albano, paruulum filium Clodij venisse ad villam, &, cum puer ante subtractus esset, de seruo Alicore quæstionem ita habuisse, ut eum articulatim consecaret. Quę verba non uideo, quomodo intelligi possint de filio Clodij, qui iam subtractus erat, & non de seruo Alicore, ut ego sine ulla dubitatione arbitror intelligendum. Scribit ptæterea Robortellus sic; Clodiani in curia subselliis in unum congestis bustum Clodij fecerunt. curia incensa, & domus Lepidi interregis. Cicero in hac oratione & Asconius in argumento. Domum tamen Lepidi non incensam, sed oppugnatam esse, legitur in oratione hoc modo; Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium Marci Lepidi, cędem hanc ipsam contra Remp. Senatus factam esse decreuit? & apud Asconium: Quo igne & ipsa quoque curia flagrauit; & item Porcia basilica, quæ erat ei iuncta, ambusta est. Domum quoque Marci Lepidi interregis (is enim magistratus curulis erat creatus) & absentis Milonis eadem illa Clodiana multitudo oppugnauit. Iam, cũ duo adolescentuli, Appij Claudij, filij C. Claudij, qui fuerat frater P. Clodij, Milonẽ accusassent, inter alios, qui ei affuerunt, Cicero ob clamorem Clodianæ factionis timide caussam egit. Idem, cum Milo damnatus esset, quasi sui erroris corrigendi caussa, orationem, quam habemus, perfecte scripsit. Robortelli uerba sunt; Consueuerat etiam M. Cicero aliter, quàm dixerat, postea domi, & attentius scribere orationes, ut patet in Verrem, Asconio teste. Nam præter primam, & secundam reliquas non habuit in foro, sed scripsit tantum.

Sic

Sic ille. Ego uero notarem potius consuetudinē Ciceronis in hunc modum; consueuerat M. Cicero domi commentarios caussarum conficere: deinde caussas in foro agere: postremo caussarum orationes diligentius scribere. De commentariis Ciceronis meminit Asconius, Quinctilianus, Di. Hieronymus. Exemplum autem Verrinarum non uidetur recte probare consuetudinem Ciceronis; siquidem Cicero non solum scribere consueuerat eas orationes, quas non potuerat habere: sed etiam eas, quas habuerat, cum essent dignæ, quæ scriberentur. Verrinæ autem erant duæ actiones concessæ à lege in ea caussa, quæ requirebat eiusmodi iudicium bis agi. primum iudicium prima actio: secundum secunda actio, aut comperendinatio appellabatur. Et, quoniam Verres prima actione perterritus secundam non expectauit, ideo Cicero non habuit secundam, sed scripsit tantum, nolens commentariorum laborem amittere.

Genus caussæ. In hac caussa iudices fuerunt extra ordinem. Nam erant & iudicia ordinaria, quæ exercebātur à prætorib. & dicebantur perpetuæ quæstiones. Verum in hac caussa ex lege Pompeij quæsitor creatus est L. Domitius Ahenobarbus, qui consul fuerat anno urbis 699. & à Pompeio tales iudices propositi sunt, ut nunquàm neque clariores uiros, neque sanctiores propositos esse constaret. auctor Asconius. In eorum numero fuit Q. Petilius, & M. Cato, & alter Cn. Pompeius, de quibus fit mentio in oratione. Superius notauimus fuisse accusatores Appios Claudios adolescētes duos. Nam constat Ciceronem fuisse defensorem. Agebatur de re præterita, nēpe de cœde Clodij facta à Milone. & quærebatur, utrū iustū, an iniustū fuisset

ſet huiuſmodi factum Milonis. Itaq; patet genus huius orationis eſſe iudiciale, ex auditorib. qui ſunt iudices; ex partibus, quæ ſunt accuſatio, & defenſio; ex tempore, quod eſt prẹteritum; ex fine, qui eſt iuſtum, & iniuſtum: quæ quattuor ſunt proprietates generis iudicialis.

Tradit Ariſtoteles elocutionem iudicialem accuratiorem eſſe oportere, quàm deliberatiuam. Iudiciis autem conuenit uehemens elocutionis genus. *Genus elocutionis.*

Quod attinet ad partes orationis, procemium ſumitur ad beneuolentiā conciliandā. Ante narrationem ponitur illa fides, quæ proprie dicitur cōfutatio, qua reprehenduntur tria firmamēta aduerſariorū. Sequitur propoſitio, & quæ ad propoſitionem referuntur, narratio, & partitio. Inde illa fides, quæ proprie uocatur confirmatio, & pluribus argumentis probat Clodium Miloni feciſſe inſidias. Poſtrema collocatur peroratio ſumpta ad miſericordiam concitandam. Iam ſingularū partium artificium explicemus. *Partes orationis.*

Tradit Ariſtoteles duplex eē munus proœmij, unum maxime neceſſarium, & proprium, quod eſt indicare, quinam ſit finis, cuius cauſſa oratio inſtituta eſt: alterum, quod conſiſtit in formis, quas ipſe appellat medicamenta, & communia, quæ ducuntur à quattuor locis, ab oratore, ab auditore, à re, ab aduerſario. A' primo, & quarto loco quæcunque ad depellendam, offerendamque criminationem attinent. A' ſecundo, cum auditor redditur beneuolus, aut iratus, interdum uero ēt attentus, aut contra, aut docilis, ſi quis uoluerit vir probus apparere. A' re, quæ declarant qualitatem rei. Idem fere prẹcipit Cicero lib. 2. de oratore in hunc modum; Cum erit utendum prinipio, *Artificium proœmij. 183.*

quod

quod plerunque erit; aut ex reo, aut ex aduerſario, aut ex re, aut ex eis, apud quos agitur, ſententias duci licebit. Ex reo (reos appello, quorum res eſt) quæ ſignificent uirum bonum, quæ liberalem, quæ calamitoſum, quæ miſericordia dignũ, quæ ualeant contra falſam criminationem. Ex aduerſario, iiſdem ex locis fere contraria. Ex re, ſi crudelis, ſi infanda, ſi præter opinionem, ſi immerito, ſi miſera, ſi ingrata, ſi indigna, ſi noua, ſi quæ reſtitui, ſanarique non poſſit. Ex ijs autem, apud quos agetur, ut beneuolos, beneq; exiſtimantes efficiamus. quod agendo efficitur melius, quàm rogando. Nominat ergo Cicero reum pro oratore. Sed idem eſt locus rei, & oratoris. Ac ſolet quidem ille uti medicamentis prius quàm proponat, ut in hac oratione, ubi procœmium ductum eſt à reo, & ab oratore, dum laudatur Milo, quod ualet ad depellendam criminationem: appellatur enim uir fortiſſimus, & dicitur magis de Reip ſalute, quàm de ſua perturbari, ac ſemper conſceleratisſimos homines, clamoresq; maximos pro ciuium ſalute neglexiſſe, ſemperq; pro bonis contra improbos ſenſiſſe. & diſcutitur metus. Nam præcipit idem Ariſtoteles, omnes aut crimina obijcere, aut metus diſcutere in procœmiis. Diſcutitur autem metus per inſinuationem. Etenim, cum uelit Cicero remouere metum ab animis iudicum, obſcure, & oblique id facit; quæ inſinuatio eſt: primum enim dicit ſe timere, ſed tamen recreari, & refici Pompeij ſapientia, & iuſtitia; deinde uero, cum ipſe deſinat timere, oſtendit idem iudicibus eſſe faciendum.

Et ab aduerſariis, dum obiicitur criminatio Clodianis, quos P. Clodij furor, rapinis, & incendijs publicis pauit. qui ſuperiori proximo die,

quàm

quàm hæc oratio habita est, Munacij Planci Tribuni pl. concione incitati sunt, ut iudicibus uoce præirent.

Et ab auditore, dum redditur Pompeius beneuolus, qui sapientissimus, & iustissimus nominatur; & dicuntur in iudicum consilio ex cunctis ordinib. amplissimi uiri iudicare. Et redduntur auditores irati, quòd Clodiani concione Munacij Planci incitati essent, vt iudicium perturbarent. Et attenti, quòd statuendum esset de bonis, & fortibus uiris, ac de benemeritis ciuibus. Et dociles, quòd semper ipse, & Milo iudicum auctoritati dediti fuissent: sic enim apparent boni, quales maxime solent attendere. Et à re noua, indigna, ingrata, misera, ut à noua forma iudicij, & à conditione ipsius iudicij, in quo esset statuendũ, vtrum qui semper iudicum auctoritati dediti fuissent, semper miseri lugerent, an diu uexati à perditissimis ciuibus aliquando recrearentur. Atq. hoc quidem est uuũ munus procemij iudicialis.

Quod ad alterum attinet, promittitur luce clarius ostensum iri insidias Miloni à Clodio factas. Scribit enim Asconius, cum M. Bruto, & alijs quibusdam placuisset ita defendi crimen, interfici Clodium pro Rep. fuisse; Ciceroni id nõ placuisse: sed, cum insidias Milonem Clodio fecisse posuissent accusatores, eum contra disputasse, Clodium Miloni insidiatorem fuisse, eoque spectasse totam eius orationem.

In fide habetur ratio status, ordinis, proprij instrumenti. Status huius caussæ est qualitatis, qui à Cicerone dicitur generalis. Cum autem ex doctrina Hermogenis huiusmodi status sit duplex iuridicialis de re præterita, & negocialis de re futura; in hac caussa est iuridicialis, Iure'ne, *Artificium confirmationis status.*

an

an iniuria occidit Clodium Milo. Est alter status, qui dicitur couiecturalis, Vter utri insidias fecerit. Intentio est, Milo iniuste interfecit Clodium. Depulsio, Iuste interfecit. Quæstio, Vtrũ iuste, an iniuste interfecerit. Ratio, Quia interfecerit insidiatorem. Firmamentum, Nulla de caussa licet homini hominem interficere. Et cædem Clodij contra Remp. factam esse à senatu iudicatum est, Et à Pompeio. Et non fuit insidiator Clodius, sed Milo. Iudicatio, An liceat homini hominem aliqua de caussa interficere. An præiudiciũ factum sit Miloni à senatu. An à Pompeio. Quis fuerit insidiator.

Ordo. Prius confutantur priora tria firmamenta. deinde ponitur narratio. inde, quoniam quartum firmamentum positum est in negatione rationis, qua utebatur Cicero, probatur, & confirmatur ipsa ratio. Egregie. Tradit enim Arestetcles, qui *pag. 192.* priore loco dicit, eum argumenta sua prius exponere debere: post autem contrarijs occurrere, nisi aduersa caussa multiplex sit, in qua prius cõtrarijs occurrendum, ut fecit Callistratus in Messeniaca concione: qui posteriore loco dicit, eum prius contra aduersarij orationem dicere oportere, soluendo, & syllogismum opponendo; maxime uero, si illa, quæ obiecta sint ab aduersario, fidem fecisse uideantur. Iam Cicero secundo loco dicebat, respondens ad accusationem aduersariorum; & ob id statim post procemium collocauit refutationem; ut fecit etiam pro M. Cœlio, pro L. Murena, pro L. Sylla, & in alijs defensionibus.

Propinm nstrumẽtũ Tribuit Aristoteles generi iudiciali enthymema tamquàm proprium instrumentum, quod ualet tum ad refutandum. Omnis autem refutatio

fit

fit duob. modis, aut obiectione, qua resistimus ad- uersarijs, ostendendo eorum argumenta non ualere, nec firmiter concludi: aut contraria ratiocinatione, cum contra argumentando firmiora in medium afferimus. Priorem modum Cicero lib. 1. de inuen. uidetur tripartitum facere; si aut ex ijs, quæ sumpta sunt, non conceditur aliquid unum, plurave: aut his concessis, complexio confici ex his negatur: aut si genus ipsum argumentationis uitiosum ostenditur. Alterum modum, per quem contra firmā argumentationē alia æque firma, aut firmior ponitur, scribit in deliberationib. maxime versari, cum aliquid, qđ contra dicatur, æquū esse concedimus, sed id, quod nos defendimus, necessariū esse demonstramus: aut cum id, qđ illi defendūt, vtile esse fatemur; qđ nos dicimus, demonstramus esse honestum. Cum igitur velit Cicero aduersariorū argumenta infirmare, vtitur obiectione, non concedens illa ipsa, quæ aduersarij sumpserant, Nulla de caussa licere homini hominem interficere; & Miloni præiudicium factū esse à Senatu; & à Pompeio. pag. 193.

Cum autem triplex sit ratio parandorum argumentorū, vna à formis, altera à propositionib. cōib. tertia à locis Topicis; in hac refutatione argumenta ducuntur à formis generis iudicialis quæ sunt iusti, atque iniusti propositiones. Et quoniam iusta, & iniusta definita sunt ad duas leges, tum ad legē ꝓpriam, vel non scriptā, vel scriptā, tum ad legē cōem; primū argumentū ducitur à lege propria non scripta, id est à consuetudine, quæ probatur exemplis M. Horatij, P. Africani, Ahalæ Seruilij, P. Nasicæ, L. Opimij, C. Marij, Senatus. Additur exemplum Orestis. Deinde à lege propria scripta, id est à lege 12. tabularum.

præterea à lege communi, poſtremo etiam à lege propria ſcripta, id eſt à lege Cornelia de ſiccarijs. Quoniã vero iuſta, & iniuſta aut ſunt ſcripta, aut non ſcripta; & non ſcriptorum duo ſunt genera, quorum alia ſunt ſecũdum virtutis, & vitij exuperantiam; alia propriæ legis, & ſcriptæ ſupplemẽta, quæ dicuntur æqua: ab hoc extremo iuſtorum nõ ſcriptorum genere argumentum ducitur, Spectandam eſſe voluntatem Senatus, & Pompeij, non illius decretum, huius lègem, quòd rem, non cauſſam rei damnaſſe videantur.

Artificium ꝓpoſitionis, narrationis, partitionis. Propoſitio duplex eſt; vna breuior: altera longior. illa aut ſimplex caput continet, vt Vter vtri fecerit inſidias, & nomine generis appellatur: aut plures partes complectitur, & dicitur partitio; quã duplicem eſſe præcipit Cicero libro 1. de inuen. alteram, quæ oſtendit, quid cum aduerſarijs conueniat, & quid in controuerſia relinquatur: alteram, quæ rerum diſtributam continet expoſitionem, & debet habere breuitatem, abſolutionem, paucitatẽ. propoſitio longior, quæ totum factum exponit, narratio nominatur. De narratione ſex præcipit Ariſtoteles, primum eius virtutem non eſſe poſitam in breuitate, aut conciſione, quod putaſſe Iſocratem colligitur ex Quinctiliano, ſed in modo, vt ea dicantur, quæ perſpicua, & quæ probabilia ſint. Deinde ei attexenda eſſe, quæcũque ad noſtram virtutem pertineant, aut ad improbitatem aliorum, aut certe quæcunque iudicib. grata ſint. Præterea minorem eſſe narrationẽ defenſori, quàm accuſatori, & defenſorem res geſtas cõmemorare oportere quæcunque non afferunt miſerationem in eum, qui perpeſſus eſt, aut indignationẽ in eũ, q defenditur. Quarto loco narrationẽ oportere eſſe moratam. Quincto etiã affectã, ſex-

pag. 188.

to multis in locis narrari posse,atq. interdum etiã non in principio. Quæ omnia quomodo à Cicerone seruata sint, videndum breuiter est.

Prima collocatur simplex propositio in hunc modum; Reliquum est iudices, vt nihil iam aliud quærere debeatis, nisi vter vtri insidias fecerit.

1 Sequitur narratio ꝑspicua, & probabilis ex doctrina Aristotelis, dum quattuor narrantur, primũ quemadmodum Clodius reliquerit annum suum, id est annum vrbis 700. cum tracta sunt comitia à Q. Pompeio Rufo Tribuno pl. quo ex S. C. in carcerem coniecto septimo demum mense, vt scribit Dio, aut octauo, ut Appianus, creati sunt cõsules M. Messalla, & Cn. Domitius. Deinde, quemadmodum timuerit Milonis consulatum. Nam petebant consulatum anni 701. T. Annius Milo, M. Plautius Hypseus, Q. Metellus Scipio. diu autem tracta sunt comitia consularia, vt nec eo quidem anno Kalendis Ian. consules in Rep. fuerint. præterea, quẽadmodũ abierit ad collocãdas insidias cũ sciret iter certo die Miloni esse Lanuuiũ, quod fuit municipium vetus, postea colonia facta à C. Cæsare dictatore, vt scriptum reliquit Frontinus. Demum, quemadmodum congressi sint inter se Milo, & Clodius, & interfectus sit Clodius; qua de re legendus est etiam Asconius.

2 Attexuntur, quæcunque ad virtutem Milonis pertinent, qui ostenditur fortissimus, & minime insidiosus. ac quęcunque ad improbitatem Clodij qui sceleratus, & insidiosus.

3 Minori narratione vtitur Cicero, tamquã defensor, quàm vteretur si accusator existeret. Idcirco multa omittit, quæ narrantur ab Asconio. Et ne miserationem excitet erga Clodium, aut indi-

gnationem in Milonem, caute loquitur in hunc modum; Fecerunt id serui Milonis (dicam enim non deriuandi criminis caussa, sed ut factum est) neq; imperante, neq. sciente, neque præsente domino quod suos quisque ser uos in tali re facere uoluisset.

4 Exprimit improbissimos Clodij mores, ostẽdẽs initio narrationis, quid statuisset Clodius, & eiusdem audaciam, atque contemptionem, cum ait; palam agere cępit, & aperte dicere, occidendum Milonem.

5 Adhibet affectum, cum alijs in locis narrationis, tum vero cum illud adijcit; Quòd si ita putasset, certe optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio, non semel ab illo, neq. tum primum petitum, quàm iugulari a uobis, quia se illi nõ iugulandum tradidisset.

6 Multis in locis narrare conuenit, id est non solum post procemium ante confirmationem, & confutationem; verum etiam post confutationem, vt in hac oratione, in qua confutatio est ante narrationem.

Extrema collocatur partitio, quæ aperit, quid cum aduersariis conueniat, & quid in controuersia relinquatur, Insidias factas esse cõstat; & id est quod Senatus contra Remp. factũ iudicauit. Ab vtro factæ sint, incertũ est. Notauimus superius omnem fidẽ duci à tribus partibus, aut à propositionibus propriis generis, aut à propositionibus cõmunibus, aut à locis Topicis.

Artificium confirmationis. pag. 45.

Cũ autẽ in genere iudiciali tria assumẽda sint Quasobres faciant iniuriã, Qui, & quib. ob tres caussas iniuriam faciunt, ob consuetudinẽ, ob ratiocinationẽ, vel uoluntatem, ob affectum, vt irã, & cupiditatem.

Itaq.

Itaq. prima coniectura de insidiis ducitur à ratiocinatione utilitatis ꝙ optatissimus Clodio fuerit interitus Milonis, nō sic Miloni interitus Clodii ob vtilitates propositas.

Secunda ab ira,ꝙ maiori ira fuerit inflammatus Clodius in Milonem, quàm Milo in Clodium.

Tertia à consuetudine, quòd omnia per uim Clodius,nihil per vim Milo.

Quarta ab illis, qui faciunt iniuriam, inter quos ab Aristotele enumerantur illi, qui cum sæpe vitauerint iudicium, & sæpe pœnas non dederint, sperant se impune abituros, qualis erat Clodius; quemadmodum etiam secunda coniectura ab illis, quibus faciunt iniuriam, nempe qui male meriti sunt, & male merituri uidentur, quæcunque offeratur occasio, qualem existimabat esse Milonem Clodius, defensorem Ciceronis, vexatorem furoris sui, domitorem armorum suorum, accusatorem suum.

Præterea cum ex propositionibus communibus illæ, quæ sunt facti, & non facti, magis congruant generi iudiciali, & coniecturis faciendis, ab ijs fit quincta, & sexta,& septima coniectura. pag.117.

Itaque quincta est,si futurum fuit,vt aliquid fieret, vel ut aliquis faceret, factum est.Etenim qui facturus fuit,eum fecisse verisimile est. Dixerat Clodius,periturum Milonem triduo,quòd cogitaret de insidiis. ergo credibile est eum insidiatum esse.

Sexta,si potuit,ac voluit,fecit. Qui enim,cum possint,volunt,faciunt:quoniam nihil impedimēti habent.potuit Clodius insidias facere,quòd sci

uerit Miloni Lanuuiũ esse iter necessariũ;& quidem eo ipso die, quem nunquam reliquisset, nisi ad cogitatum facinus properasset. Nõ potuit Milo, Nam dixerunt C. Cassinius, & C. Clodius comites P. Clodii mansurum fuisse P. Clodium in Albano eo die, sed propter mortem Cyri architecti nuntiatam, subito, & repente constituisse proficisci; vt si subita fuit eius profectio, & repentina, nec ipse Milo potuerit insidiari Clodio, quem fore in via ne suspicari quidem potuerat, nec Cicero cogitare de insidijs, quæ eius consilio factæ dicebantur. Voluit Clodius, quòd eo die se dissimulauerit rediturum. Noluit Milo, quòd præ se tulerit illo die Roma exiturum. Voluit Clodius, quòd caussam mutã di consilij finxerit, cum ille, qui dicitur Cyri mortem nunciasse, non id nunciauerit, sed Milonem appropinquare. Noluit Milo, quòd nullius rei mutauerit consilium. Voluit Clodius, quòd accessum ad vrbem nocturnum non metuerit. Noluit Milo, quòd nocte prope vrbem Clodium nõ expectauerit, vt noctu inuidioso, & pleno latronum in loco eũ occideret. Potuit Clodius quòd fundum habuerit, qua transiturus erat Milo, vbi propter insanas substructiones facile mille hominum versabatur valentium. Non potuit Milo, quòd aptum ad insidias locum non habuerit.

Septima, si voluit, & extrinsecus, non est impeditus. Noluit Milo, & extrinsecus est impeditus, quia fuerit penula irretitus, rheda impeditus, vxore pene constrictus. Voluit Clodius, quòd egressus sit è villa vesperi, & tarde caussa insidiarum, & diuerterit in villam Pompeij, donec Milo veniret. Extrinsecus autem non est impeditus, quòd fuerit sine vxore, in equo, sine comitib. græ-

culis,

culis, ſine ſcortis, exoletis, lupis.

Iam uero cum ex locis Topicis ad coniecturā maxime apta ſint, quæ ex adiunctis, quæ ex effectis, quæ ex cauſſis ſumi poſſunt, vt ſcriptum reliquit Cicero in Topicis; ab adiunctis ducuntur quinque ſequentia argumenta.

Octauum, ſi Clodius fuit latro, & non ſemper viator à latrone, non nunquā etiam latro à viatore occiditur; ſi mulier incidit in viros; ſi nunquā Milo non fuit ita non paratus, propter prouidentiam ſuam; ſi caſus, & exitus pugnarum ſunt incerti, & Mars communis; ſi magna fuit inſcitia pranſi, poti, & oſcitantis ducis, adiungitur, vt Clodius potuerit interfici, etiam ſi inſidiator extiterit.

Nonū, Milo manumiſit ſeruos ſuos nō metu cō ſcientię, ſed merito, ꝙ eſſet ab inſidijs liberatus.

Decimum, Tametſi ſerui P. Clodij dixerant in quæſtione, nullas inſidias ab eo factas: tamen eis fides non erat præſtanda, quòd eſſent ſerui P. Clodij, poſtulati ab Appio, producti ab Appio, ex domo Appij accuſatoris; quòd non liceat in dominum quæri de ſeruis proprijs, & multo minus de ſeruis alienis, & accuſatoris, quòd modus quęſtionis non fuerit legitimus.

Vndecimum, Milo nulla cōſciētia exanimatus Romam reuertit, ſeque populo Rom. ſenatui, publicis præſidijs, & Pompeio conſuli tradidit.

Duodecimum, Idem neglexit illa, quæ de ſe vulgo circumferebantur, arma eſſe diſpoſita ad patrię euerſionem, & illud, quod dixit Popa Licinius quod non minus fuit falſum, quâm quod dictum eſt in ſenatu contra ipſum Milonem.

Ab effectis autem tria argumenta ducuntur.

Decimū tertium, Si laudabile factū, laudabilis etiam qui fecit. At laudabile fuit factum Milonis

qui non occidit Sp. Melium, non Ti. Gracchum, sed omnium sceleratissimum Clodium.

Decimum quartum, si factum vtile, ei, qui fecit, gratia referenda. At ita vtile fuit factum Milonis, vt etiam si insidias fecisset tam scelerato ciui, is tamen vti potuisse videatur eadem confessione, qua alij multi vsi sunt.

Decimũ quintũ, si beneficiũ diuinũ, magis deis immortalibus est gratia habenda, quàm de insidijs Milonis cogitandum. At beneficium fuit diuinum, quòd extinctus sit is, qui omnia humana, ac diuina permiscebat.

Artificium perorationis pag. 196.

Placet Aristoteli quattuor ex rebus componi perorationem, tum ex eo vt erga se bene comparet auditorem, & erga aduersarium male: tum ex eo, vt amplificet, & deprimat: tũ vt constituat auditorem ad affectus: tum vt memoriam renouet. In fine refutationis Cicero memoriã renouauit illis verbis; Si neq; omnis confessio facti est inusitata; neque de caussa quidquam nostra aliter, ac nos vellemus, à senatu iudicatum est; & lator ipse legis, cum esset controuersia nulla facti, iuris tamen disceptationem esse voluit, & electi iudices, & isti præpositus quæstioni, qui hæc iuste, sapienterque disceptet: reliquum est iudices, & quę sequuntur. In media etiam confirmatione sic; video adhuc constare omnia, iudices; Miloni etiam vtile fuisse, Clodium viuere; illi ad ea, quæ concupiuerat, optatissimum interitum Milonis fuisse: odium illius in hunc acerbissimum; in illũ huius nullum: consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda, huius tantum in repellẽda: mortem ab illo denunciatam palam Miloni, & prædictam; nihil vnquam auditum ex Milone: profectionis huius diem illi notum; reditũ illius huic ignotum

ignotum fuisse;huius iter necessarium; illius etiā potius alienum, hunc præ se tulisse illo die Roma exiturum; illum eo die se dissimulasse rediturū; hunc nullius rei mutasse consilium; illum caussā mutandi consilij finxisse; huic si insidiaretur, nocte prope vrbē expectandū; illi etiā si hunc non timeret,tamen accessu ad vrbem nocturnum fuisse metuendum. Has enumerationes cum fecisset Cicero memoriæ reuocandæ caussa, non necesse habuit repetere argumēta in peroratione.Id vero potissimum munus obiuit, quo animi auditorum ad affectum impelluntur.mouet enim misericordiam,commemorans merita Milonis in patriam, merita eiusdem in se ipsum, merita sua in patriam. Neque omittit munus amplificationis,ea merita mirabiliter amplificans. Et omnia trahit ad conciliandam beneuolentiam iudicum in Milonem,& excitandum odium in Clodium; quod erat primum munus.


Atque hæc breuiter de artificio huius orationis scripta sint.

ARTIS RHETORICAE

PRAXIS DELIBERATIVA EXPLICATA IN ORATIONE DEMOSTHENIS

AD EPISTOLAM PHILIPPI.

Argumentum orationis.



HILIPPVS Amyntæ filius Alexandri Magni pater, quattuor, & viginti annos Macedonum imperium tenuit. contra quem Athenienses, Argæum, ut Regem efficerent, frustra iuuerunt. Is, ne regni initio infestos haberet Athenieńses, Amphipolim Thraciç, de qua illi ualde laborabant, liberā eis reliquit. & primam pacem cum eis fecit. Anno tertio eisdem indixit, atque intulit bellum, adempta Amphipoli; & per tresdecim annos id bellum gessit. Anno decimo quincto secundam pacem fecit. postea uero ei multa incommoda inferenti Athenienses uigesimo anno bellum intulerunt, subsidio Bysantiis misso: sed eodem anno tertiam pacem cum eo composuerunt. Inter tertium, & decimum quinctum annum, cum Olynthij Thraciæ populi, qui à Philippo defecerant, ab Atheniensibus auxilium petiissent, Demosthenes tres olynthiacas ad populum dixit, ut eum ad arma pro Olynthiis contra Philippum capienda incitaret. Eodē tēporis spatio dixit Philippicā primam, qua Athenienses, qui cladem acceperant à Philippo, est consolatus. Facta secunda pace, eā

ora-

orationem habuit, quæ inscribitur de pace. Cũ uero pax suspecta esset, secunda, tertia, & quarta Philippica conatus est Atheniensibus persuadere, bellum esse gerendum aduersus Philippum, qui pacem seruaret uerbis, re ipsa bellum gererẽt. Inter secundam, & tertiam pacem cum Philippus per epistolam populo Atheniẽsi bellum minatus esset, propterea quòd dum Selybriam urbẽ Thraciæ oppugnaret, quædam nauigia, quæ Athenienses miserant, aduehendi frumenti caussa suspicatus esset missa esse, non frumentandi caussa, sed ad iuuandos Selybrianos. Demosthenes habuit hanc orationem, qua adhortatus est Athenienses ut fortiter sustinerent bellum, anno primo olympiadis centesimæ decimæ.

Proprietates generis deliberatiui positæ sunt quattuor in rebus in auditore, in partibus in tẽpore, in fine: Auditor est concio, aut senatus: partes suasio, & dissuasio: tempus futurum: finis utilitas. Huius orationis auditor fuit concio Atheniẽsium, qui Remp. popularem habebant. sub suasione uidetur contineri adhortatio. Quanquam suasio, & adhortatio inter se aliquo modo differunt, quòd qui suadet, suffragium ferri uult, & uersatur in ijs, quæ sunt in potestate: qui adhortatur, suffragium non expectat, & tractat etiam necessaria. Adhortationes autem sunt uel castrenses, uel ciuiles. plurimæ uero castrenses, quibus Imperatores ad rem fortiter gerendam, milites adhortantur. Hæc ciuilis est. Agitur res futura, ut fortiter armis utantur. Et spectatur utilitas pugnandi, cum sine armis Athenienses salui esse non possint. *Genus caussæ.*

De elocutione deliberatiua ita scribit Aristoles; Ac deliberatiua quidẽ elocutio omnino similis *Genus elocutionis. pag. 176.*

milis est umbratili picturę: quò enim amplior sit turba, eò longius spectatur. Quamobrem quæ exquisita sunt, superuacanea, & peiora apparent in utrisque. Requirit ergo Aristoteles in deliberatiuo genere amplitudinem orationis, & non nimis exquisitum studium. Idem fere scri bit Cicero in Partitionibus cum ait, Tota oratio simplex, & grauis, & sententiis debet esse ornatior, quàm verbis. Cum autem requiratur màgis in oratione deliberatiua grauitas sententiarum, quàm verborum, mire grauis est Demosthenes in sententiis,& enthymematibus, &, cum usus sit oĩ genere dicendi, grauitatẽ adhibuit po tissimũ in Philippicis. auctor Cicero in oratore ad Brutum, sic etiam in hac oratione,

Partes orationis.

Huius orationis partes sunt proęmium cum quadam narratione permixtum,& fides. Nulla pe roratio est talis, qualem faciunt in genere iudiciali, unde quandoque ipsa assumitur in delibera tiuo, cum contradictio existit. tunc enim & aduersa collatio, & repetitio, quæ in peroratione fieri solet, deliberationib. conuenit. auctor Aristoteles. Iamuero ut magis huiusmodi orationis artificium cognoscatur, verba Demosthenis à no bis latine conuersa ante studiosorum oculos proponemus, cum præsertim ipsa oratio breuissima sit. Sic artificium ex uerbis Demosthenis colligemus.

P ROOE-

PROOEMIVM ORATIONIS

DEMOSTHENIS AD EPI stolam Philippi.






OBIS omnibus patefactum est, uiri Athenienses, Philippum magis bellum uobiscum distulisse, quàm pacem fecisse. Etenim cum Pharsalijs Italũ tradiderit, & res phocenses ordinauerit, ac uniuersam subuerterit Thraciam, caussis, quę minime consistunt, simulatis, & iniustis prætextibus adinuẽtis, iamdiu quidem opere ipso cum ciuitate nostra bellum gerit, nunc uero etiam oratione per eam ipsam, quam misit, epistolam, id confitetur. Ego autem conabor ostẽdere, neque oportere uos illius potentia exhorrescere, neque timide ipsi resistendo à maioribus uestris degenerare, sed & corporibus & pecunijs & nauibus & (ut simpliciter dicam) rebus omnibus sine ulla cunctatione ad bellum paratos esse.

EXPLICATIO PROOEMII.

pag. 185.



Enus deliberatiuum natura sua nō habet procemium: quia pro priū munus proęmij est indicare, quinam sit finis, cuius causſa oratio instituta est: in genere autem deliberatiuo intelligunt, de quo agitur, vt scribit Aristoteles. Assumit tamen aliquod prooemium a quinque locis;

1 Ab obiectione criminis, à qua in uolumine prooemiorum Demosthenis illud ducitur;

Vellem. Athenienses, ex oratoribus quosdam tantum habere studium utilissima dicendi, quantum habent, ut belle dicere uideantur; ut & ipsi boni uiri potius, quàm eloquentes haberentur; & res uestræ, quemadmodum conuenit, meliore conditione essent. Nunc vero quidam mihi prorsus uidentur eloquentiæ laude contenti, quid postea uobis euenturum sit, nihil curare.

Ab eodem loco ductum est prooemium in octaua Philippica contra Pansam, qui fauere Antonio uidebatur.

Et illud etiam apud Salustium lib. 1. historiarū in oratione Philippi, quòd Lepidus seditionibus omnia turbarit.

Et apud eundem lib. 3. in oratione Macri Tribuni pl. quòd Sylla parauerit seruitium plebi.

Itaque cum obiici aliqua criminatio potest oratori, quia contra sentiat, aut studio contendendi, aut proprij commodi caussa, aut ob aliquam aliam rem à publica utilitate alienam; itemque ei, contra quem deliberatio habetur: inde licebit

bit exordiri; ut facit Demosthenes in hac oratione,ubi criminatur Philippum, quòd magis bellũ cum Atheniensibus distulerit, quàm pacem fecerit.

2 A depulsione criminis, unde illud in eodem volumine; Fortassis importunus,Athenienses,quibusdam uestrum uideor esse, qui sępe de iisdem perpetuo reb. uerba faciam. Verum si rem recte consideretis, non me in culpa uidebitis esse, sed eos,qui uestris decretis non obtemperant.

Ab eodem loco sumptum est procemium apud Salustium in oratione C.Cottę Cos. ꝙ cum uideretur administrare consulatum infeliciter, id nequaquam eueniret ipsius dolo, aut culpa, qui nihilominus esset bonus,& fortis.Ergo cũ animaduertit orator sibi obijci,aut fieri posse,ut obijciatur aliquod crimẽ;debet ab eius depulsione procemium sumere.

3 Ab amplificatione in hunc modum; Vellem uos,Athenienses,attente audire ea, quæ dicam. Nec enim parua res agitur. Cicero in procemio primæ Catilinariæ amplificat audaciã Catilinæ. Amplificatio autem procemio accommodata est, cum auditores existimant rem esse minorem, quàm orator dicit.

4 A diminutione,ut cum Demosthenes non negat quidem mala,quæ Reip.acciderunt,esse mala; sed dicit,ea leuius ferenda,quòd facta sint fortuna,non ignauia hominum. Omnino enim, si auditores putant agi de re maiore,quàm dicit orator,ab eius diminutione exordiendum est.

5 Ornatus caussa, ut cum Cicero pro lege Manilia ostendit, cur antea ad populum orationem non habuerit, & cur etiam in insolita ratione dicendi sibi lætandum esse putet. Nam aliquod

proce-

procemium esse in oratione debet, ne ipsa sit, vt ait Aristoteles, abrupta. Quare cogitandum est, quomodo Cicero in partitionibus tradiderit, Deliberationi conuenire principia uel non longa, uel sæpe nulla. nũquam enim nulla uidentur cõgruere, ne oratio abrupta sit.

Exemplum autem omnium deliberatiuorum procemiorum habetur egregium in secunda Agraria, vbi primum sumptum est procemium ornatus caussa, dum Cicero se elegantissime confert cũ uiris nobilibus adhibita etiam ornatissima amplificatione, quòd factus sit consul homo nouus; cũ primum licitum fuerit, anno ætatis quadragesimo tertio; cum primum petierit, sine ulla repulsa; & viua uoce

Deinde ab obiectione criminis, quòd Rullus, & eius sectatores cum populi non solum commoda, verum etiam salutem oppugnarẽt, & impedirent, oratione assequi uellent, vt populares esse viderentur.

Præterea à depulsione, quòd ipse Cicero popularis esset, cõtra quàm dicerent aduersarij, qui pacem populo restituere cuperet in consulatu.

Tum ab amplificatione, quòd idem Cicero rem popularem procuraret, pacem, libertatem, ocium.

Postremo ab extenuatione, quòd ipse Rullus uerbo tantum popularis esset, non etiam re.

Iam ad Demosthenem reuertamur, qui cum in procemio Philippum criminetur, an ullam narrationem faciat, quærendum est.

Tradit Aristoteles, deliberationi narrationem minime conuenire; siquidem hæc rerum prætetitarum est: illa rerum futurarum. Assumi tamen eam aut ad criminandum, aut ad uituperandum, aut ad crimen diluendum, aut ad laudandũ; idque

idque non esse munus suasoris, aut dissuasoris. Itaque solet interponi breuis narratio in ipso procemio; ut fit in oratione Ciceronis pro lege Manilia, ubi breuissime narratur, bellũ graue, & periculosum à Mithridate, & Tigrane inferri, quotidie afferri litteras ex Asia, quæ declarant. Bithyniæ uicos exustos esse, Capadociam esse in hostium potestate, Lucullum ab eo bello discedere, unum Pompeium expeti. Huiusmodi autem narratio non est proprie deliberatiua, sed iudicialis assumpta ad criminandos illos Reges, ut facilius bellum contra ipsos decernatur. Sic in hac Demosthenis oratione cum procemio permixta est narratio quædam iudicialis, quæ Philippum criminatur, quòd caussas falsas simulauerit, & prætextus iniustos adinuenerit belli gerendi contra Athenienses, posteaquàm quędam alia negocia confecerat. Nam Pharsalij Halum tradiderat. de qua insula reddenda Atheniensib. extat oratio Demosthenis habita anno secundo olympiadis centesimæ decimæ, quam tamen Libanius Demosthenis esse non putat. Præterea Phocense negocium ad finem perduxerat. Cum enim Phocenses Philomelo duce Delphicum templum spoliassent, anno secundo olympiadis centesimæ sextæ; à Locris, & Bœotis finitimis populis bello petiti sunt, quod Sacrum, & Phocicum uocatum est. Anno autem secundo olympiadis centesimæ octauæ Philippus per speciem Delphici templi tuendi se Bœotis contra Phocenses adiunxit; & anno sequenti magno apparatu contra eos profectus Phalæcum ducem eorum sub conditionib. dimisit, ac ipsos in deditionem sine prælio accepit, finemque bello Sacro post decem annos imposuit. Idem anno quarto olympiadis centesimæ

ſeptimæ Chalcidenſes in Thracia ſubegit. & anno ſecundo olympiadis centeſimæ nonæ omnes Thracas in deditionem ſuam traxit. Cum igitur hæc omnia geſſiſſet, ſe conuertit aduerſus Athenienſes cauſſis falſis ſimulatis, & prætextib. iniuſtis adinuentis. Criminatus enim eſt Athenienſes, quòd nauigia miſiſſent ad iuuandos Selybrianos, quorum urbem ipſe oppugnabat; eum tamen illam miſiſſent aduehendi frumēti cauſſa. Quare eis per litteras minatus eſt, ſe omnibus uirib. ſuis eos ulturum.

Proponit uero Demoſthenes ſe oſtenſurū, neque potētiam Philippi eſſe ita magnam, ut ſit pertimeſcenda, neque timide ipſi reſiſtendum. Nunc ad fidem ueniamus.

PRIMA PARS FIDEI ORATIONIS DEMOSTHENIS ad Epistolam Philippi.






TENIM primum uerisimile ẽ, viri Atheniẽses, Deos nobis existere maximos socios, et adiutores; quorum cũ ille fidẽ transgressus sit, & iusiurandum negligat, soluit iniuste pacem. Deinde vero quibus reb. in tantam creuit potentiam, decipiens semper aliquos, & magna promittens se beneficia collaturum, has omnes iam præterijt. Ac cognoscitur sine dubio à Perinthijs, & Byzantijs, & illorum socijs, desiderium eius esse, tractandi ipsos eodem modo, quo prius Olynthios. Neque ignoratur à Thessalis consilium eius, vt sit dominus, non dux sociorum. Suspectus autem habetur à Thebanis, propterea quòd Nicæam quidem præsidio retineat, in Amphyctioniam uero penetrauerit, atq. ad se conuertat legationes ex Peloponneso, & illorum præripiat societatem. Ita ut ex ijs, qui prius ei amici erant, partim nunc bellum gerant, si-

Athenienses, inuenio, non solum res sociorum Philippo in suspicionem uenisse, atq. inimicitiã, verum etiam res proprij principatus non egregie compactas esse, neq. apte, neq. vt aliquis potest existimare. Nam omnino Macedonica quidem potentia loco additamenti, aliquod habet momentum, & vsum, ipsa uero per se debilis est, & ad tantam rerum magnitudinem contemnenda. Praeterea uero hic ipse eam bellis, & expeditionib. & illis reb. omnib. quibus aliquis eum existimare magnum possit, sibi infirmiorem reddidit. Neque enim existimetis, uiri Athenienses, eisdem rebus guadere Philippum, & qui ei subditi sunt. Sed consideretis illum quidem gloriae cupidum esse: hos uero incolumitatis. & illi quidem non licere eam consequi sine periculo: his vero non esse opportunum, relinquendo domi liberos, parentes, vxores, conteri, & pro eo quo tidie periclitari. Quare Macedonum multitudo ex his aliquis potest perspicere, quomodo erga Philippum affecta sit. Familiares autem eius & peregrinorum duces inuenietis gloriam quidem habere ex reb. fortiter gestis, timidius uero uiuere, quã eos, qui gloriã nõ habent. Nã his quidem existit periculum solum aduersus hostes: illi uero assentatores, & qui ipsos criminãtur, magis quàm pugnas timent. & illi quidem cum omnibus pugnant aduersus eos, qui contrariam aciem

instruxerunt: hi uero etiam malorum, quę in bellis habentur, non minima pars existit, & separatim contigit, timere consuetudinem Regis. Præterea uero ex vulgari multitudine, cum aliquis errauerit, pœnam assumpsit dignam: hi uero cum rectissime se gesserint, tum maxime calumnijs afficiuntur, & vituperantur, præterquàm conuenit. Atq. his nemo recte existimans fidem non adhibuerit. Sic enim aiunt, eum honoris amantem esse, qui eius consuetudine vtuntur, ut cum velit omnia opera pulcherrima existimari sua esse, magis indignetur militib. ac ducib. illis, qui aliquid dignum laude gesserint, quàm qui omnino frustrentur.

EXPLICATIO PRIMAE

PARTIS FIDEI ORATIONIS Demosthenis ad epistolam Philippi.



N fide spectandum est potissimum caput quæstionis, uel status, quò diriguntur argumenta; & proprium instrumentum argumentandi.

Status proprius generis deliberatiui est negocialis, qui res futuras tractat deliberationibus propositas, An timide sit resistendum Philippo. Quoniam uero timorem afferebat potentia Philippi, & Demosthenes dicebat infirmas esse Philippi opes; hinc oritur status coniecturalis, Vtrum firmæ, an infirmæ Regis opes sint.

Cum autem tria sint instrumenta oratoris, ut superius notauimus, enthymema, exemplum, amplificatio; tametsi exemplum sit maxime accommodatum deliberationibus. (Nam ex rebus ante pag.44.
gestis, inquit Aristoteles, dum futura conijcimus, de eo, quod agendum est, iudicium facimus:) tamen ubique Demosthenes enthymematibus delectatur: ut cum orationes aut sint exemplares, aut enthymematicæ, ac oratores alij exemplares, alij pag.9.
enthymematici, orationes Demosthenis sint enthymematicæ, & ipse Demosthenes enthymematicus, cuius enthymemata lucernam olere Pythias dixit.

Ac enthymemata quidem ducuntur à uerisimilibus

libus, ac signis. Et uerisimilia, ac signa aut à fomis, id est proprijs propositionibus eius generis, in quo oratio uersatur: aut à propositionibus cõmunibus, aut à locis Topicis.

Propriæ ꝓpositiones generis deliberatiui sũt ab utili, qui est eius proprius finis. & idcirco Demosthenes potissimum ostendit fore utile Reip. Atheniensi fortiter resistere Philippo; inutile nõ resistere. Et, cum apud Hermogenem utile sit duplex, quod conducit, & quod necessarium est; primum cadit sub suasionem, secundum non cadit, sed tantum sub adhortationem; qua animi cõfirmantur. Quamobrem Libanius sic scribit; Nõ amplius orator suadet Atheniensib, ut bellum gerant (cogebat enim ipsa necessitas) sed confirmat eorum animos ad periculum adeundum. & ipse Demosthenes sic ait; Hæc animis insigenda sunt, & cogitandum, in vestra non esse potestate, vt dicatis uos pacem agere. iam enim ille, & bellum indixit, & re ipsa intulit. Vt autem colligatur illud, quod Reip. utile est, eius rei, qua de agitur, tenenda sunt propria, ut, cum de quinque potissimum rebus genus deliberatiuum sit, de parandis pecunijs, de bello, & pace, de regione custodiẽda, de rebus inferendis, uel efferendis, de legibus ferendis; atq hæc oratio de bello sit; non possit in ea excellere Demosthenes, nisi illa teneat, quę cũ de bello agitur, tenenda sunt, copias ciuitatis, & alienas, bella ciuitatis, & aliena; quàm sint potentes Athenienses, & Philippus, & quomodo potentes, an terra, an mari; quàm opulenti; quos amicos habeãt, qui eis prodesse possint, quos inimicos, qui obesse; quàm apti ad bella gerenda. Hæc omnia optime tenebat Demostenes, qui argumentatur cum copijs Atheniensium cõiun-

ctum

ctum iri copias sociorum omnium, Perinthiorũ, Byzantiorum, Thessalorum, Asianorum satraparum, Xersis; ac opes Philippi infirmas esse.

Quoniam vero non est satis in hoc genere vti lem esse rem dicere, nisi etiam probetur fieri posse; idcirco ex propositionibus communibus illæ, quæ sunt eius, quod fieri potest, maxime huic generi congruunt. Itaq. argumentatur Demosthenes ab eo, quod fieri potest, quod considerat Aristoteles bifariam, tum quod fit, tum quod facile fit. Quare probat Demosthenes fieri posse, vt Philippus vincatur, & facile vincatur; ductis argumentis;

1 A' dijs, quos ille quotidie violat in hunc modum; Philippus religionẽ violauit, & neglexit iusiurãdum. ergo verisimile est deos ei non fauere, sed nobis, qui sumus iustiores.

2 A' socijs, qui eũ habent suspectum, cum ab eo decepti sint, ita; Philippus suspectus est socijs omnib. vt Perinthijs, Byzantijs, Thessalis, Thebanis. ergo infirmæ sunt eius opes.

3 A' Xerse Rege Persarum omnium potẽtissimo qui ei futurus est infestus per satrapas Asianos; Asiani satrapæ inimicitias susceperunt cũ Philippo. ergo omnib. modis Athenięses iuuabũt, & p se & per Regem Persarum. Potẽtissimus est Rex Persarum. Igitur vobiscum coniunctus facile Philippi potentiam debellabit. probatur eum esse potẽtissimum duobus modis.


4 A' morib. Philippi, qui omnia perfidiose agit; Philippus perfidus est, & omnia violenter agit. ergo imperium diuturnum habere non potest. quod enthymema pulcherrima sententia exornatur.

5 A' Macedonum natura, quorum copiæ per se satis

satis infirmæ sunt; quique non eodem animo pugnant, ac Philippus. hic enim gloriæ: illi vtilitatis tantum caussa; Potentia Macedonica infirma est, tum per se, tum tantæ moli comparata, tum quòd Macedones male affecti sunt erga Philippū. ergo eius imperium nō est egregie compositum,
6 A' familiaribus, & amicis, ac ducibus Philippi. qui ab eo irridentur, & contemnuntur. Familiares, & amici, ac duces Philippi in maximo metu viuunt. ergo facile ab eo deficient.

Reliquum est, ùt enthymemata ex locis Topicis ducta colligamus. Quod breuiter faciemus, si verba Demosthenis prius hic adscripserimus.

SECVNDA PARS FIDEI ORATIONIS DEMOSTHENIS AD Epistolam Philippi



VOMODO igitur, si hæc ita se habent, fideliter se iamdiu erga ipsum gerunt? propterea quòd viri Athenienses, hoc tēpore cū ipse prospere agat, id res omnes eiusmodi obscurat. Nā prosperi successus mirabiles sunt ad obtenebranda, & offuscanda hominum peccata. si vero quid offenderit, tunc plana hæc omnia detegētur. Euenit enim id, quod in corporib. nostris: quia cū aliquis valet, nihil singillatim sentit ex partibus debilitatis: cum vero ęgrotauerit, omnia commouentur; siue existat ruptio, siue luxatio, siue aliquid aliud ex membris non perfecte sanum. sic etiam in regnis, & omnibus principatibus, quoties in bellis prospere agunt, obscura sunt mala vulgari multitudini; si quid vero offenderint, quod nunc verisimile est illum passurū esse, qui maius onus subiuit, quàm ipse ferre possit: difficilia oīa omnib. manifesta fiunt. Quòd si quis uestrū viri Athenienses, videns Philippū prospera fortuna vtentem, eum metuendum esse arbitretur, & superatu difficilem, viri quidem prudentis vtitur prouidentia. Etenim magnum momentum

est

est, immo vero totum ipsa Fortuna ad omnes hominum actiones. Verum multis modis eligere aliquis posset non minus nostram prosperam fortunam, quàm illius. Accepimus enim à maioribus principatum longiori tempore non solũ, quã hic, sed (vt breuiter dicam) quàm omnes, qui regnauerint in Macedonia. Atq; illi quidẽ Atheniensibus tributa tulerunt: nostra verò ciuitas nemini vnquã omnium hominum. Prętérea vero tanto plures aditus, quàm ipse, ad deorum beneuolentiã habemus, quanto in actionibus magis pijs, ac iustioribus perseueramus. Cur igitur ille in superiore bello maiorem habuit prosperitatẽ? propterea quòd viri Athenienses (nã libere vobiscum loquar) ipse quidem militat, & laborat, ac periculis præsens est, neque occasionem omittens, neque horam anni relinquens vllam. Nos vero (dicetur enim verum) nihil facientes hic desidemus, tardantes semper, & decernentes, ac sciscitantes per plateam, num quid magis nouũ dicatur. At vero, quid fieri potest magis nouum quàm vt homo Macedo contẽnat Atheniẽses, et audeat eiusmodi mittere epistolas, quales paullo ante uidistis? Atq. ei quidem existunt mercede conducti milites. Neq. vero medius fidius ad hęc desunt ex nostris oratorib. quidam, quos ab illo dona domũ recipientes ad nutum Philippi viuere minime pudet, neque ipsi sentiunt se omnia

nia tum quæ sunt ciuitatis,tum sua ipsorum par uo lucro vẽdere.Nos vero neq. vllum apparatũ facimus ad res illius perturbandas,neq. peregrinos milites volumus alere, neque ipsi audemus militare. Non igitur mirandum est,si insuperiore bello ipse fuit,quàm nos, meliori conditione. sed potius, si nihil nos facientes eorum,quę decet facere eos, qui bellum gerunt, putamus nos superaturos eum,qui omnia agat,quæ oportet agere meliori conditione futuros. Quorũ,viri Athenienses,oportet cogitationem habere,& eam rationem inire,quòd in vestra non est potestate, vt dicatis vos pacem agere.Iam enim ille,& in dixit bellũ, & operib. intulit.Nullis vero reb. neque publicis,neq;priuatis parcere.ac militare prompte omnes,siquando occasio postulet.atque vti militib.meliorib. quàm prius.Neq.enim aliquis vestrum existimet. per quos ex bonis factę sunt peiores res ciuitatis,per eos rursus restitutũ iri, ac meliores factum iri . Neq . existimetis, existentib.vobis. ignauis, quemadmodũ prius, alios pro vobis prompte decertaturos,sed cogitetis,turpe esse,patres quidem vestros labores,& pericula magna sustinuisse tunc, cum bellum aduersus Lacedæmonios gesserunt: nos vero neque pro ijs,quæ illi cum iustc possedissent, tradiderũt nobis,velle fortiter pugnare:sed hunc ex Macedonia ortum sic esse paratum ad pericula,vt pro

principatu

principatu maiori efficiendo, toto corpore vulneratus sit, pugnans cum hostibus: Athenienses vero, quorum patrium est, nemini cedere, & omnes superare, ob mollitiem, aut socordiam dedecorare maiorum opera, & patrię commoda. Vt autē longior ne sim, dico oportere nos omnes ad bellū parari, et alios Graecos aduocare, nō sermonibus, sed operib. ad nostram belli societatem, quòd omnis quidem sermo inanis est, si existat actionum expers; tanto autem magis sermo ciuitatis nostrę quanto videmur expeditius eo vti, quàm alij Graeci.

EXPLICATIO SECVNDAE PARTIS FIDEI ORATIONIS Demosthenis ad epistolam Philippi.

DVCITVR argumentum à simili in hunc modum; Eadem ratio est in regnis, & imperijs, quæ in corporibus nostris. At, cum decubuerint corpora, tum maxime malum apparet. sic cum regna aliquã cladẽ acceperint, tũ potissimũ mala erumpũt.

Et à differentia, sic; Atheniensium imperiũ fuit diuturnius, quàm regnũ Macedonię; et Macedones Atheniensibus uectigales fuerunt; & Athenienses deis cariores, quia pietatis, & iustitiæ studiosiores. ergo illorum felicitas non minus, quàm horum exoptanda.

Et ab adiunctis; Philippus diligentior est, quàm Athenienses, ergo fortunatior.

Et ab antecedentibus; Philippus iam bellum indixit, & re ipsa intulit. ergo in Atheniensium manu non est pacem agere.

Et à repugnantibus: Non potest Reip. status ꝑ eos in integrum restitui, per quos labefactatus est. ergo melioribus ducibus vtẽdũ, quàm prius.

Et ab exemplo; Maiores Atheniensium multos labores, & magna pericula in Laconico bello sustinuerunt. ergo turpe est Athenienses pro ijs, quę illi iure parta reliquerunt, defendendis nolle fortiter pugnare.

Et Philippus è Macedonia oriundus nullum fugitat periculum. ergo turpe est Athenienses, quorum proprium est imperare, & vincere, esse molles, & socordes.

Et

ARISTOTELIS
ARS POETICA
AB ANTONIO RICCOBONO
LATINE CONVERSA

AD NOBILISSIMVM,
atque omni reuerentia digniſ-
ſimum Abbatem,

*FRANCISCVM IVSTINIANVM
patritium Venetum.*



VENETIIS, Apud Paulum Meiettum,
Bibliopolam Patauinum, 1579.

340

NOBILISSIMO, ATQVE OMNI REVERENTIA DIGNISSIMO ABBATI,

FRANCISCO IVSTINIANO, Patritio Veneto

Antonius Riccobonus Rhodiginus S. D.



ICI non potest, Abbas nobilissime, quantum amplitudini tuae debeam. Nam praeter alia plurima, & maxima officia, quibus me benignissime obstrinxisti, ea in me publice audiendo diligentia vsus es, ut, quantum in te utilitatis ex disputationibus meis, tantundem in me laudis ex praesentia tua redundarit; cumq; semper praedicaueris, tua te, non mea caussa scholae meae subsellia frequentare, conatus quidem es, (qua tua humanitas fuit) soluendi beneficij cura me liberare, sed multo me vehementius

obligasti. Quid enim mihi illustrius esse poterat, quàm iuuenem nobilissimum, & egregijs animi bonis ornatissimum, ac longissime iam in præclaris litterarum studijs progressũ, profiteri se esse in numero eorũ, qui me quotidie audiunt? quod dũ maximo meo cum honore professus es, agnoui benignitatem tuam, vt cum multum fulgeas patriæ claritate, familiæ splendore, legum diuinarum, atque humanarum cognitione, in quarum studio felicissimum iam cursum ad omnem excellentiam cum summa magnificentiæ laude confecisti, illud etiam in tuis ornamentis ponatur, quòd quãto grauior es, tanto te benigniorem omnibus præstes. Quam singularem virtutem tuam cum aliàs sum admiratus, tum eo maxime tempore, quo me artem Poeticam Aristotelis in hoc clarissimo gymnasio explicantem quotidie audiuisti: tunc.n. multas, easq; non leuissimas tui erga me amoris, ac beneuolentiæ notas accepi, de quibus cum diligentius cogitem, ac profitear me, dum viuam, esse cogitaturum, vt aliquod argumentum habeas grati animi erga te mei,

in tuo ornatißimo nomine non ad promerendam, sed ad referendam aliqua ex parte gratiam artem Poeticam Arist. in tuæ potißimũ spẽ gratiæ latine conuersam, in manus hominum trãdo; quæ cum diu in barbarorum sordibus iacuisset, cœpta quidem est tandem aliquando latinitatis splendore collustrari, sed, cum adhuc multis in partibus obscurior existimaretur, etiam si multorum eruditißimorum hominum interpretationibus illustrata esset, rursus tamen interpretanda esse videbatur, non eo quidem consilio, vt aliorum conuersiones reprehenderentur, quod maleuoli potius hominis est, quã eius, qui veritatis lucem amet, sed vt priorum interpretum lucubrationibus, quod fieri à posterioribus solet, aliquid adderetur, quo magis huius præclaræ artis idea appareret. Qua in re ipse quidem summopere elaboraui, ut hunc librum latine conuerterim, & quidem, vt mihi persuadeo, multo clarius, & planius, quàm ceteri fecerint: sed, quid profecerim, tu, & tui similes iudicabunt. Ego certe, si hunc laborem meum tibi non omnino displicuisse intellexero,

ſatis magnum fructum uidebor percepiſſe; & magis inflammabor ad ſuſcipiendos quotidie maiores labores, ut tibi gratificer, ac omnia officia pro uirib. meis præſtem, quæ pertinere ad honorandas maximas, & clariſſimas uirtutes tuas uideantur. Vale Patauij kal. Mart. MDLXXIX.

QVOMODO ARS POETICA SIT PARS LOGICAE.


VM dubitandum non ſit, Abbas nobiliſſ. quin ars Poetica inter partes Logicę ex doctiſsimorũ hominũ ſententia cõnumeretur; illud quęritur, quod valde dubium eſt, quõ ipſa ſit Logica, & ſyllogiſtica. Bartholomæus quidem Lombardus, uir eruditiſſ. in ſuo in artẽ Poeticam Ariſt. commẽtario ſcripſit, eam eſſe Logicam, quòd enthymemate, & exemplo utatur, quemadmodum Rhetorica. Iacobus tamen Zabarella, Comes illuſtris, ac Philoſophus in Ariſtotelis doctrina pręexcellentiſſimus in eo opere, quod ipſe opera Logica merito inſcripſit, quia multorum operum præſtantiam præ ſe ferat, negauit vllam artem eſſe Logicam ea de cauſſa, ꝙ enthymemate, & exẽplo utatur. ſic enim affirmauit omnes artes futuras eſſe Logicas. Sed tradidit, ut aliqua ars ſit Logica, oportere eam docere

re uſum alicuius argumentationis; ac Poeticam id facere,cum doceat uſum exẽpli in factis. De hmõi autem exemplo ſic ſcripſit;Hominũ mores & affectiones,& actiones,quæ in poematib. introducuntur,exẽpla ſunt,quę imitãda, vel euitãda ſpectatorib. proponũtur,ficta quidem à poetis,tamen apta ad mores hominũ corrigendos. Propterea alius eſt apud oratores, alius apud poetas exẽplorũ vſus. nam oratores uerbo exemplis utuntur: poetæ uero non uerbo, ſed re exempla ficta ob oculos ſpectantium ponunt,ut perſuadeant bonos eſſe imitãdos,prauos aũt abhorrendos,ac fugiendos. Itaq; ſolum argumentationis aſſumptum à poeta ꝓponitur nõ uerbis,ſed factis: conſequens aũt ipſi auditores, & ſpectatores colligunt, quoad bene agendum trahuntur. Hæc ille. Mihi quidẽ, ut uerũ fatear, admodũ mira hæc Zabarellæ argumentatio uidetur, cuius aſſumptio ſit in factis, & nõ in dictis, in reb. & non in uerbis: cõcluſio uero

in mente ſpectatorũ; ut aliqua ẽt detur argumentatio, quæ nõ ſit oratio, ſed ſolũ factum,& mentis conceptio. Ariſt. tamen uidetur cõſiderare oẽm argumentationẽ in dictis; ſic ẽt exemplũ; quod tametſi ſit aut rei factæ, aut rei fictæ, qualis parabola,& logus: tamen intelligitur oratio, quæ exprimit rẽ factam, aut rẽ fictã, quemadmodũ lib. 2. artis Rhetoricæ,& aliis in locis. Quare mihi duriuſcula uidetur explicatio iſtius argumentationis, quæ dicitur exẽplũ in factis. de quo cum colloquerer cum Iulio Carrara, ciue Veneto, quem tu ducem, ac ſocium ſtudiorum tuorum merito domi tuæ diutius habuiſti; quemq; ego, nõ tã quia iuris Cęſarei, ac Pontificii Doctor ſit, ꝙ ꝗ cũ doctrina ipſius iuris, q̃ noſtris tẽporib. praua barbarie,& tumultuaria opinionũ uarietate à plurimis perturbatur, Philoſophiam, & earum artium, quę ad Humanitatem pertinẽt, ſtudia coniunxerit, tui ſimilib. i. grauisſimis, ac nobilisſimis uiris eẽ amã

dum,

dum,ac complectendum arbitror; dũ ille mecum Zabarellæ in eo assentiretur, quòd nulla alia ratione Poetica possit Logica,& Syllogistica appellari,nisi quia aliquem syllogismum doceat;& diceret agere eam de syllogismo,& paralogismo: cogitaui huiusmodi opinionẽ satis probabilẽ eẽ,ut poetica esse pars Logicę existimetur,quia ad ipsam pertineat docere vsũ ratiocinandi in imitatione,quemadmodũ ad Rhetoricam in persuasione. Quod quõ probari possit,considerãdum est. Ac Poetica quidem habet quædam sibi cõia cum Rhetorica: quædam propria. Cõia sunt,sententia,mores,& dictio. propria est fabula. Inter sententiæ munera dicitur esse argumentari: sed Poetica argumentandi usum non tradit in sententiæ ratione,ꝙ ea traditio magis conueniat Rhetoricæ. Qua de re sic scribit Arist. Tertiũ est sentẽtia. id aũt est dicere posse insita, & cõuenĩetia,qđ in orationib. Politicæ & Rhet. opus existit. Nã prisci Politicè intro-

introducebant dicentes.qui vero nũc ſunt,Rhetoricè. & alibi in hũc modũ; Ac que pertinent quidẽ ad ſententiã, in libris de Rhetorica poſita ſunt.hoc .n.magis eſt proprium illius methodi. Sunt autẽ ſecundũ ſententiam ea,quę cunq; ab oratione paranda ſunt.Et eo rũ partes exiſtunt,tum demonſtrare, & ſoluere : tũ perturbationes parare, ut miſericordiam,uel metum,uel irã, & quæcunque talia: tum præterea am plificare,& diminuere . Cũ igitur tria ſint munera ſententiæ vnũ demonſtra re,& refellere; alterum affectus excita re;tertium amplificare,& diminuere; quoniam de his munerib. tractatũ eſt lib.1.& 2.artis Rhetoricæ,qui libri ẽt Poeticæ ſeruiunt; idcirco dicit Ariſt. ad illos eſſe libros confugiendũ. Quare, quòd attinet ad ſententiam , nihil præcipitur in Poetica de argumentatione,i.demonſtratione, & refutatione.Quoniam uero fabula, quam modo notauimus eſſe Poeticæ propriam, indiget ratiocinatione in ea. ſ. parte,

quæ

quę eã pulcherrimã reddit,idcirco ad conformandã fabulam necesse est, vt Poetica sit Logica, & Syllogistica, ac doceat usum ratiocinandi. Nam fabulæ partes præcipuæ sunt peripetiæ, & agnitiones, quib. ipsa pulcherrima efficitur. Aristotelis uerba sunt de Tragœdia; Ad hæc maximæ res, quib. capit animos Tragœdia, sunt fabulæ partes, nempe peripetiæ, & agnitiones. & alibi; Ad hæc quidẽ fabulæ partes circa hęc sunt, peripetia, & agnitio. Idem scribit, cum duplex sit fabula, vna simplex, altera implexa, constitutionẽ pulcherrimæ fabulæ oportere esse nõ simplicem, sed implexã, & alibi; Implexæ totum esse peripetiã, & agnitionem. Iamuero cum agnitio fiat per syllogismum, aut tacitum, aut expressum, & de hoc syllogismo, ex quo existit agnitio, nihil præcipiatur in Rhetorica, operę precium fuit docere huiusmodi syllogismum, qui est proprius ipsius Poeticę. Itaque tradidit Arist. agnitionem fieri aut per syllogismum tacitum, aut

expressum. per syllogismũ tacitum, i. enthymema, tripliciter. Primum à signis, vt Hic habebat lanceam, i. maculam habentem figurã lanceæ in pelle infixam. ergo erat de illis, qui nati fuerant de dentib. serpentis seminatis à Cadmo. deinde per successionem rerũ, uel per inuentionem poetę, ut Hæc est græca, miseratur duos græcos, impetrat reditũ unius, uult scribere litteras, scribit, dat mihi, dicit se seruatam esse, dum immolaretur. ergo est mea soror. sic. n. Orestes agnouit Iphigeniã. & Hic scit me seruasse in thalamo lanceam. ergo est meus frater. sic. n. Iphigenia agnouit Orestem. Præterea à sensu, vt Hic audiens Demodoci cantũ de græcis, & Vlysse luget. ergo græcus est. Sic. n. agnitus Vlisses apud Alcinoũ Phæacũ Regem. Per syllogismum expressum, duob. modis, aut uerum, aut falsum. per syllogismũ verũ, vt Qui habet pedes eiusdem mensuræ cum meis, Orestes est. Hic, qui fuit circa sepulchrum patris mei, habet. ergo

Ore-

Oreſtes. Per ſyllogiſmū falſum, qui dicitur paralogiſmus, ut, Qui cognoſcit arcum Vlysſis, eſt verus nuncius de morte Vlyſsis. Hic cognoſcit. Ergo uerus nūcius. Plura quidem exempla attulit Ariſt. ad ſpecies agnitionis declarandas: ſed nobis ſatis ſit demonſtraſſe illud, quod uolebamus, Poeticā tradere uſum argumentandi potisſimum in agnitione, & hoc modo eſſe partem Logicæ. Nam tametſi multa habeat, quæ non pertinēt ad Logicā: tamē ſufficit, ut in aliqua re præcipua appellari Logica posſit; quēadmodū etiam euenit Rhetoricæ, quæ non ſolā continet oratoriam demonſtrationē, propter quam reducitur ad Logicam, ſed ſimul mores, & affectus, & præterea elocutionem, ac partium diſpoſitionem: tamen dicitur pars Logicæ propter unum artificium demonſtrationis. Sic Poetica præter ſentētiam, quā ipſa habet cum Rhetorica cōem, non unam fabulam tractat, cuius præcipua pars, quæ dicitur agnitio, indiget

get ſyllogiſmo; ſed mores quoque, & dictionem, & harmoniam, & apparatum: tamen propter unam ratiocinationem, quæ fit in fabula, cuiusque uſum docere ad ipſam potisſimū ſpectat, videtur ab Auerroe maximo philoſopho, & ab aliis fuiſſe pars Logicæ appellata.

VARIAE QVAEDAM LECTIONES.



RISTOTELIS liber de poetica] Hoc opus in arte Rhetorica ab ipſo Ariſtotele nominatur de Poetica, & De Poeſi, vnde colligunt quidam in hac inſcriptione poeticam, & poeſim idem eſſe.

Alij autem vtriſque] ſequuti ſumus correctionē ſubtiliſſimorum quorundam explicatorū vt maluerimus legere ἀμφοτέροις, i. colorib & figuris ſimul, quàm vt prius διὰ τῆς φωνῆς.

Et Nicocharis, qui Deiliada] Nobis placuit coniectura illorum, qui putarunt legendum eſſe Δειλιάδα, ideſt actiones timidorum, & peiorum, & non, vt ante, Δηλιάδα.

Et qui fecit Cyclopes Timotheus] legebatur ὡς πέρσας. Quidam legerunt ὡς ποιήσας, ſupplentes aliquot verba. Nos complexi ſumus huiuſmo

di

di lectionem:sed nihil addere ausi sumus :

Vt si decem millium stadiorũ sit animal] Quidam legunt non μυρίων, sed μῦ, ideſt quadraginta stadiorum, quæ quinq; millia passuũ continẽt.

Si enim termino opus esset, caussa Tragœdiæ recitandę] conuertimus secundum correctionem illorum, qui legendum existimarunt non ἕκατον sed ἕνεκα τοῦ τραγωδίας ἀγωνίζεσθαι.

Vt Achillem bonum etiam Homerus] Alij legunt, vt Achillem Agathon, & Homerus.

Secundæ sunt, quæ à poeta factæ sunt] Quidã corrigunt ita, Secundæ sunt, quæ factæ sunt. Ac ex ijs, quæ factæ sunt, alię à fabula, alię à poeta factæ sunt.

Itaq. ingeniosi poetica est, vel furore perciti] cum in multis probauerimus ingenium, & industriam subtilissimi cuiusdam explicatoris, eius tamen correctionem illam sequuti non sumus, vt legatur οὐ μανικοῦ. Nam etiam in Rhetorica Aristoteles appellat poesim ἔνθεον, ideſt rem diuinã.

Vt Euripides Hecubam] Sequimur illos, qui legunt Hecubam, & non Niobem.

Vrilia quidem quæcunque desinunt in ν, & ρ, & quæcunque ex aliquo eorum, quæ muta sunt, constant] Quidam corrigunt, in ν, & ρ, & σ, & quęcunque, ex σ, & mutis constant.

Nam ψ, & ξ eadem sunt] Nam σ, & ψ, ξ eadem sunt.

Eò quòd hac prohibitum sit] Quidam legunt non κωλυθῆναι, sed καὶ λυθῦναι. Vt hac parte quoque soluamus.

Errata grauiora.

pag. 433. ver. 3. commemorasset 437. 12. dignus. 443. 27. nec esse, 444. 29. in 445. 35. Qua.

ARISTOTELIS LIBER DE POETICA,

ANTONIO RICCOBONO Rhodigino interprete.



IN QVIBVS CONVENIANT, ET DIFFERANT FORMAE POESIS.



De poetica,& ipſa, & formis ipſius, quam vim habeat vnaquæque;& quomodo oporteat componi fabulas,ſi habitura ſit ſe recte poeſis; præterea vero ex quot, & qualibus conſtet partibus; ſimiliter autem,& de alijs quæ eiuſdem methodi ſunt; dicamus, incipientes ſecundum naturam primũ à primis. Iamuero Epopœia,& Tragœdiæ poeſis,præterea Comędia, & Dithyrambopoetica, & Auleticæ maior pars, & Cithariſticæ omnes exiſtunt in vniuerſum imitatio. *Propoſitio libri.* *Genus, & Formæ poeſis.*

Differunt autem inter ſe trib. rebus:aut enim quòd reb.genere diuerſis imitantur: aut quòd res diuerſas: aut quòd diuerſo,& non eodem modo. *Differentia triplex.*

Vt enim, & coloribus,& figuris multa imitantur aliqui effigiem exprimentes, partim quidem per artem, partim vero per consuetudinem; alij autem vtrisque: sic in dictis artibus omnes quidem faciunt imitationem in numero,& oratione & harmonia; atq. his separatim,aut mixtis.

Triplex instrumentũ, unde quinque species imitationis.

1 Vt harmonia quidem, & numero vtuntur solum, & Auletica, & Citharistica, & si quæ aliæ sunt tales potestate, vt fistularum.

2 Ipso autem numero imitantur sine harmonia, qui sunt inter saltatores. etenim isti per figuratos numeros imitantur, & mores, & perturbationes, & actiones.

Quidam exponunt, uel, pro Idest.

An Epopœia possit fieri soluta oratione.

An Epopœia sit diuersa ratione uersuum.

3 Epopœia vero solum sermonib. nudis, vel metris.& his siue mixtis inter se, siue vno aliquo genere vtens metrorum, qualis extitit vsque adhuc. Non enim pro re communi possemus nominare Sophronis, & Xenarchi Mimos, & Socratis sermones. Neque siquis per Trimetra, uel Elegos, uel alia quæda m talia conficeret imitationem. Nisi quòd homines coniungentes cũ metro ipsum fingere, alios quidem Elegorum fictores, alios vero Epicorum fictores nominant; non secundum imitationem, sed communiter secundum metrum appellantes poetas. Etenim si Medicinæ, aut Musicæ, aliquid per metra proferunt, sic appellare consueuerunt. Nihil autem commune est Homero, & Empedocli præter metrum. Quare illum quidem poetam iustum est appellare: hunc vero phisiologum magis, quàm poetam. Similiter vero etiam siquis omnia metra miscens non faciat imitationem, quemadmodum Chæremõ fecit Centaurum mixtam rapsœdiam ex omnib. metris; iam poeta nõ est appellandus. Atque hæc quidem hunc in modum explicata sint.

4 Sunt

4 Sunt autem aliquæ, q̃ omnib. vtuntur iis, quæ dicta sunt, nempe numero, & concentu, & metro, sicut Dithyrambicorum poesis.

5 Præterea Tragœdia, & comœdia. Differunt vero, quòd illæ quidem simul omnibus: hæ vero secundum partem. Atq; has quidem dico differentias artium, in quibus faciunt imitationem.

Quoniam autem ij, qui imitantur, agentes imitantur, necesse vero est eos aut studiosos, aut malos esse (mores enim ferme hos consequuntur solos: nam vitiositate, & virtute in moribus differunt omnes) aut meliores, quàm secundum nos, aut peiores necesse est imitari. vt ex pictoribus Polignotus quidem meliores: Pauson vero deteriores: at Dionysius similes pingebat. Manifestum autem est, quòd & ex ijs, quæ dictæ sunt, imitationibus vnaquæque habebit has differentias, & erit diuersa, eò quòd diuersa imitabitur. Nam in saltatione, & Auletica, & Citharistica possunt existere eiusmodi dissimilitudines. & circa sermones, & muda metra; vt Homerus quidem meliores, : Cleophon vero similes: at Hegemon Thasius, qui parodias, & Nicocharis. qui Deiliada, peiores. Similiter vero etiam circa Dithyrambos, & circa Nomos; vt & qui fecit Cyclopes Timotheus, & Philoxenus, posset aliquis imitari. In eadem vero differentia, & Tragœdia, & comędia separata est. hæc enim peiores: illa meliores imitari vult, quàm ij, qui nunc sunt.

Triplex materia personarum à similitudine pictorum, & specieb. imitationũ. secũdũ nos .i. quàm homines præsẽtis ætatis, uel quàm homines cõmunes, quales nos sumus.

Præterea vero in his tertia differentia est, vt singula hæc imitaretur aliquis. Etenim in ijsdem, & eadem imitari licet, interdum quidem exponẽtem, vel aliud quippiam factum, vt Homerus facit uel vt eundem, & non se immutantem: uel omnes ut agentes, & molientes aliquid, quos imitantur,

Triplex modus imitandi.

Cõclusio in strumenti, materiæ, et modi.

Iamuero in trib.his differentijs imitatio est,vt di cebamus in principio,tum in quib.tum quæ,tum quomodo.

Sophocles similis Homero & Aristophani.


Quare in vna quadam parte idem erit imitator cum Homero Sophocles, imitantur enim ambo studiosos: in altera vero cum Aristophane;moliẽtes enim aliquid,& agentes ambo imitantur.

Dorienses Megarenses Græciæ. Megarẽses Siciliæ. Doriẽses Peloponnesi.

Quamobrem sibi vendicant & Tragędiam, & Comędiam Dorienses.Comędiam quidem Megarenses,& qui hic sunt, tamquam in ipsorum Democratia natam:& qui sunt ex Sicilia. Inde enim extitit Epicharmus poeta multo prius,quàm Chõnides,& Magnetes.Ac Tragędiam aliqui eorum, qui sunt in Peloponneso,ducentes à nominib. signum. hi enim comas pagos appellare se dicunt: Athenienses vero demos,quasi comędi non à κωμάζειν dicti sint,sed nominati ab errore illo per pagos ex vrbe. Et facere ipsi quidem ostendunt se dicere δρᾶν; Athenienses vero πράττειν. Ac de differentijs quidem imitationis,& quot,& quæ sint, tam multa dicta sint.

DE ORIGINE POETICAE.

Probat imitationem esse naturalẽ quattuor argumentis.



IDENTVR autem genuisse in vniuersũ poeticã causę duę.

1 Nam imitari insitum hominib.à pueris est.

2 Et hac re differũt ipsi ab alijs animalib.quòd homo est animal maxime accommodatum ad imitandum.

3 Et perceptiones faciũt primas per imitationẽ.

4 Et gaudent omnes reb. imitatione expressis. Signum autem huius rei est id,quod contingit in operib.opificum.quæ enim ipsa moleste cernimus

operib.

horum imagines exactiſſime expreſſas dum ſpectamus, gaudemus, vt ferarum formas abiectiſſimarum,& cadauerum. Ac ſignum huius rei etiam eſt, ꝙ diſcere non ſolum philoſophis iucundiſſimum eſt,ſed etiam alijs ſimiliter, qui tamen parū in ipſo communicant. ob id enim gaudent cernentes imagines,quòd contingit ſpectantes diſcere, & ratiocinari,quid vnumquodque ſit,& hunc illū eſſe. Quoniam niſi contigerit eum prius vidiſſe, non propter id,quod imitatione expreſſum eſt,efficiet voluptatem,ſed propter artificium,aut colorem,aut talem aliquam aliam cauſſam.

Non probat harmoniam eſſe rem naturalem, tā quam rem manifeſtā.

Verum cum ſecundum naturam ſit in nobis ipſum imitari,& harmonia,& numerus(nam metra particulas eſſe numerorum manifeſtum eſt) à principio, qui natura apti erant ad hæc ipſa maxime, paullatim promouentes genuerunt poeſim ex ijs, quæ ſubito dicebantur.

Poeſis diuiſa in duas partes.

Diuiſa autē eſt ſecundū proprios mores poeſis. Nā grandiores honeſtas imitabantur actiones, ac huiuſmodi hominum, Humiliores vero malorum facientes primnm vituperationes, quemadmodū alteri hymnos,& encomia. Atq; eorum, quidē, qui ante Homerum, fuerunt, nullius poſſumus nominare poema tale. Veriſimile autē eſt multos exiſtere. At ab Homero exorſis licet, vt eſt illius Margites,& talia. Quib. ſecundum id, qđ conueniebat, iābicum acceſſit metrum. Itaq; & iambicum vocatur nunc, quod & in hoc metro conuicia inter ſe exercebāt;& fuerūt ex priſcis alij quidē heroicorum, alij vero iāborū poetę. Quēadmodū aūt & in grauib. maxime poeta fuit Homerus(ſolus. n. fuit, nō ſolū quia bene,ſed etiam quia imitationes dramatice fecit)ſic & Comœdiæ figuras primus ſubmonſtrauit, non vituperationem, ſed ridiculum

dramate complectens. Nam Margites proportionem habet, ut Ilias, & Odyssea ad Tragędias, sic, & ipse ad Comœdias. Cum autem apparuisset Tragœdia, & comędia, qui ad vtranque poesim ferebantur secundum propriam naturam, partim quidem pro iambis Comici facti sunt; partim vero pro Epicis Tragici, quia maiores, & honoratiores figuræ essent hæ, quàm illæ. Ac considerare quidem, vtrũ sufficienter se habeat iam Tragędia in formis ipsius, nec'ne, tum si res ipsa per se iudicetur, tum ad theatra; alia ratio est.

Quomodo Tragœdia aucta sit.

1 Nata igitur est à principio ex tempore, & ipsa, & Comœdia. Et vna quidem ab ijs, qui dithyrambum canebant: altera vero ab ijs, qui phallica, quæ præterea etiam nunc in multis ciuitatibus manent, legibus constituta, paullatim aucta est, pducentib. quantũ ipsius factũ est manifestũ.

vt una multitudo caneret, & sonaret, altera saltaret.

2 Et multas mutationes cum habuisset Tragœdia, conquieuit, quia consequuta est suam ipsius naturam. Ac histrionum multitudinem ex vno ad duos primus Aeschylus produxit.

3 Et ea, quæ ad chorum pertinent, minuit:

4 Et orationem primarum partium instituit.

5 Tres autem,

6 Et scenæ ornamentum Sophocles.

7 Præterea magnitudo ex paruis fabulis, & locutione ridicula, propterea quòd ex satyrico mutata est, tarde granditatem habuit.

8 Ac metrum ex tetrametro iambicum factum est. Nam primum tetrametro vtebantur: propterea quòd satyrica, & magis saltatoria erat poesis. Locutione autem nata, ipsa natura proprium metrum inuenit. Maxime autem sermoni accommodatum omnium metrorum iambicum est. signumque huius rei est, quòd plurima iambica

pro-

proferimus in colloquutione, quam inuicem habemus: hexametra vero raro, & exeuntes ex accõmodata sermoni harmonia.


9 Præterea vero episodiorum multitudines, & alia vt singula se habent, ornata esse dicuntur. Ac de his quidem tam multa à nobis dicta sint. plura n. fortasse dicẽda essent, si singula essent explicãda.

Comœdia vero est, vt dicebamus, imitatio peiorum, at non secundum omne vitium. Sed turpitudinis est particula ridiculum. *Quid sit comœdia.*

Etenim ridiculum est peccatum quoddam, & turpitudo sine dolore, & non habens vim interimendi, vt statim ridicula facies, turpisque, ac distorta sine dolore. *Ridiculum quid.*

Ac mutationes quidem Tragędiæ, & per quos factæ sint, non latent. Comœdia vero, quia in ipsa à principio positum studium non est, latuit. Etenim chorum comędorum sero magistratus dedit. sed illi voluntarii erant. Atq. cum figuras quasdam iam ipsa nacta esset, pauci ipsius poetæ commemorantur. Quis autem personas assignauerit, aut prologos, aut multitudines histrionũ, & quæcunque talia ignorantur. At fabulas facere Epicharmus, & Phormis cęperunt. Ac ex Sicilia quidem a principio venit. Eorum vero, qui Athenis orti sunt; cum abiecisset iambicam formam cœpit in vniuersum facere sermones, aut fabulas. *Non sunt obseruatæ mutationes comœdiæ. Chorus pro multitudine interloquutorum. Inuentores fabulæ comicæ.*

DE TRAGOEDIA.



EPOPOEIA igitur Tragędiam vsq; ad solum hũc terminũ consecuta est, quòd sit cum sermone imitatio studiosorum. In eo autem differunt, quòd illa quidem metrum simplex habet, & enarratio est, præterea *In quib. conueniant Tragœdia, & Epopœia. In quib. differant.*

longa est: hæc uero quàm maxime conatur sub uno ambitu solis esse, aut paullisper uariare, cum Epopęia indefinita sit tempore. Atque in hoc dif fert, etiamsi primis temporib. id similiter facie-bant, tum in Tragędiis, tum in Epicis.

Eædem sũt fabula, sententia, mores, dictio. Propriæ sũt Apparatus et Melodia. Proponit se dicturum de Epopæia, & de comœdia, sed prius de Tragœdia.

Partes autem quædam eędem sunt, quædam propriæ Tragędiæ. Quare quicunq; cognitionem habuerit Tragędię bonæ, & malæ, habuerit ẽt Epicorum. Quæ enim Epopœia habet, insunt in Tragœdia. Quæ uero ipsa:non omnino in Epopęia. Ac de imitatione quidem, quæ fit hexametro, & de Comœdia posterius dicemus. De Tragędia uero dicamus, assumentes ipsius definitionem, quæ ex ijs, quæ dicta sunt, nascitur, vnde pateat ipsius natura.

Quid sit Tragædia.

1 Est igitur Tragędia imitatio.
2 actionis probæ,
3 & perfectæ,
4 magnitudinem habentis,
5 suaui sermone,
6 separatim singulis formis in partib. agentib.
7 & non per enarrationem,
8 sed per misericordiam, & metum inducens talium perturbationum purgationem.

5 Iam dico suauem sermonem, habentem numerum, & harmoniam, & melodiam.

6 Illud auté, Separatim formis, propterea quòd quædam solum efficiuntur per metra, & rursus alia per melodiam.

Enumerantur sex partes qualitatis in Tragœdia.

Qm̃ aũt agentes faciunt imitationẽ, primum quidem ex necessitate erit aliqua pars Tragędię apparatus. Deinde melopęia, & dictio. ĩ his enim faciunt imitationẽ. Ac dico dictionẽ ipsam metrorum compositionem. Melopęiã uero id ipsum, quod manifestam habet uim omnem. Et quoniã actio-

actionis est imitatio, atque agitur à quibusdam agentib. quos necesse est cuiusdam modi esse & secundum mores,& sententiā, nā propter hæc ēt actiones dicimus esse cuiusdam modi: naturaliter sunt duæ caussæ actionum, sententia, & mores. Et secundum has tum fortunati, tum infortunati existunt omnes. Est autem actionis quidem fabula imitatio.

Dico enim fabulam hanc rerum compositionē.

Mores uero, secundum quos cuiusdam modi esse dicimus agentes.

At sententiā ea omnia,in quib. dicentes demōstrant aliquid,uel etiam enunciant mentem.

Necesse igitur est,omnis Tragœdiæ partes esse sex,secundum quas, cuiusdā modi est Tragędia. Atq; hæ sunt,fabula, mores, & dictio, & sententia, & apparatus,& melopœia.

Distinguũtur partes qualitatis.

Quibus enim imitantur,duæ partes sunt. Quomodo imitantur,una.Quas imitantur,tres.Ac his quidem non pauci ipsorū,ut ita dicā,usi sunt formis.Etenim apparatus habet omne & mores,& fabulā,& dictionē,& melos, & sentētiam similiter.

Agitur de dignitate partium.

1 Maxima uero harum rerum est compositio. Tragędia enim imitatio est nō hominū,sed actionum,& uitæ,& felicitatis,& infelicitatis.etenim felicitas in actione est.& finis actio quędā est,nō qualitas.Ac sunt quidē secundū mores cuiusdam modi:at secundum actiones felices, uel contra. Non igitur agūt,vt imitētur mores: sed pp actiones mores complectuntur.Quare res, & fabula finis est Tragœdiæ, ac finis maximū omniū est.

2 Nā sine actione nō fieret Tragędia.At sine morib.fieret. Recētiū.n.plurimorū Trag. sine morib. sūt;& oīno poetæ multi tales.sicut & ex pictorib. Zeuxis ad Polygnotū se hēt.Nā Polignotus bonus

morum descriptor. At Zeuxidis pictura prorsus caret moribus.

3 Præterea si quis posuerit collocutiones moratas, & dictiones, & sententias bene factas, non efficiet, quod est Tragędiæ opus. sed multo magis id efficiet Tragœdia, quæ his quidem deterioribus vsa sit, at habeat fabulam, & compositionem rerum bene factam.

4 Ad hęc maximę res, quib. capit aĩos Tragędia, sunt fabulæ partes, nēpe peripetiæ, & agnitiones.

5 Præterea signum est, quòd & qui conantur rē poeticam agere, prius possunt dictione, & moribus res exquisite tractare, quàm res componere, ut & primi poetæ ferme omnes. Ac principium quidē, & tamquam animus Tragœdiæ fabula est.

Secundum autem mores: assimile enim est in pictura. nam si quis illineret pulcherrimis coloribus fusim, non similiter delectaret, ac si quis albo describeret imaginem. est autem imitatio actionis, & per hanc maxime agentium.

Tertium vero sententia. Id autem est, dicere posse insita, & cōuenientia, quod in orationib. Politicæ, & Rhetoricæ opus existit. Nam Prisci Politice introducebant dicentes. qui vero nunc sunt Rhetorice. Iam mores sunt tale quiddam, quod aperit præelectionem, qualis sit in rebus illis, in quibus non est manifestum, vtrum dicens eligat, an fugiat. Sententia vero est in rebus illis, in quibus demonstrant aliquid aut esse, aut nō esse, aut enunciant aliquid in vniuersum.

Quartum est sermonū dictio. Ac voco, quemadmodum prius dictum est, dictionem per verba interpretationem. quod & in metris, & in orationibus eandem vim habet.

Reliquarum vero quinque Melopœia est maximum

mum condimentorum.

Et apparatus allicit quidem animos: sed maxime est artis expers. & minime proprius poeticæ. Nam Tragędiæ uis, & sine certamine, & histrionibus est. præterea vero potentior est circa fabricam apparatuum ars illius, qui scenam conficit, quàm ars poetarum.

Explicatis autem his, dicamus deinceps, qualẽ oporteat esse compositionem rerum: quoniam iam hoc & primum, & maximum Tragœdię est. *Proponitur agendum de fabula, cuius octo proprietates enumerantur. Vt sit tota:*
1 Positum autem est à nobis perfectæ, atque totius actionis imitationem esse, habentis aliquam magnitudinem. Totum autem est, habens principium, & medium, & finem. Ac principium est, quod ipsum ex necessitate post aliud non est; post illud vero aliud naturaliter est, aut fit. Finis contrarium, quod ipsum post aliud naturaliter est, aut ex necessitate, aut plerunq;, post hoc autem aliud nihil. Medium, quod & ipsum post aliud est, & post illud aliud, oportet igitur bene compositas fabulas, neque vnde libet incipere, neq; ubi libet finire, sed vti dictis formis.
2 Præterea vero quoniam pulchrum, & animal, & omnem rem, quæ ex quibusdam composita est, non solum hæc ordinata oportet habere, verum etiam existere magnam, sed non quomodolibet, nam pulchrum in magnitudine, & ordine consistit; vnde neque omnino paruum animal existere potest pulchrum, confunditur enim spectatio, quæ prope insensibili tempore fiat; neque omnino magnum, non enim simul spectatio fit, sed perit spectantibus vnum, & totum ex spectatione, vt si decem millium stadiorum sit animal: propterea oportet; quemadmodum in corporibus. & in animalibus inesse quidem magnitudinem, sed eam, *Magnitudinem habẽs.*

eam, quæ facile conſpici poſſit; ſic & in fabulis inueniri quidem longitudinem, ſed eam, quæ facile retineri memoria poſſit. Longitudinis autem terminus ad contentiones,& ſenſum,non artis eſt. ſi enim termino opus eſſet cauſſa Tragœdiæ recitandæ, ad clepſydras contenderent, quemadmodum quondam, & aliis tempotibus factum eſſe affirmant. Terminus autem rei ſecundum ipſam naturam ſemper quidem, qui maior eſt,quatenus ſimul paret, pulchrior eſt ſecundum magnitudinem. Verum, vt ſimpliciter re definita dicam, in quanta magnitudine ſecundum ueriſimile, & neceſſarium deinceps naſcentibus reb. contingit in proſperam fortunam ex aduerſa,aut ex proſpera in aduerſam mutari,ſufficiens terminus eſt magnitudinis.

Vna.

3 Fabula autem eſt una,non ut aliqui putant, ſi circa vnum ſit. multa enim,& infinita genere cõtingunt,ex quib. non nullis nihil exiſtit unum. ſic & actiones unius multę ſunt, ex quib. nulla actio exiſtit vna. Quare omnes uidentur peccare, quicunque ex poetis Herculeidem, & Theſeidem,& talia poemata fecerunt. putant enim, quoniam unus erat Hercules, vnam etiam fabulam conuenire.At Homerus, quemadmodum & in aliis excellit, ſic etiam hoc uidetur pulchre uidiſſe, ſiue propter artem, ſiue propter naturã. Odyſſeam enim faciens, non deſcripſit omnia, quæcunque ipſi contigerunt, ut eum accepiſſe vulnus in Parnaſſo, & ſimulaſſe inſaniam in coitione exercitus, ex quibus non erat neceſſarium, altero facto alterum factum eſſe. Sed circa unam actionem, qualem dicimus eſſe Odyſſeam, mãſit. Similiter & Iliadem. Oportet igitur vt in aliis imitatricibus una imitatio unius eſt; ſic & fabulam,

De quo uulnere agitur per accidens li. 19. odyſſ.

lã, qm̃ actionis imitatio eſt,& vnius eſſe,& huius totius, & partes conſtare rerũ ſic, ut tranſpoſita aliqua,aut ablata diuerſum reddatur, & moueatur totum, quod enim,cum adeſt, aut non adeſt, nihil facit, quod appareat; id nec pars quidẽ eſt.

4 Manifeſtum autem eſt ex iis, quæ dicta ſunt, non eſſe poetæ munus facta dicere, ſed qualia fieri debent, & quæ fieri poſſunt ſecundum ueri ſimile,vel neceſſarium. Nam hiſtoricus, & poeta non eo quòd aut cum metro dicant, aut ſine metro, inter ſe differunt. Liceret enim, quæ Herodoti ſunt, ĩn metra ponere; & nihilo minus eſſet hiſtoria quædam cum metro,quàm ſine metris. Sed in hoc eſt differentia, quòd unus quidem facta dicit: alter uero qualia fieri debent. Quamobrem & res magis philoſophica, & ſtudioſior poeſis eſt,q̃ hiſtoria.Nam poeſis magis uniuerſalia: hiſtoria ſingularia dicit. Eſt aũt uniuerſale,cum exponitur,quemadmodum tali talia contingat dicere,aut facere ſecũdum ueriſimile, aut neceſſarium, id quod ſpectat poeſis nomina imponens. Singulare uero,quid Alcibiades fecerit,aut paſſus ſit.Ac in Comędia quidem iam hoc manifeſtum factum eſt. Nam cum conſtituerint fabulã per veriſimilia,ſic q̃libet noĩa imponũt,& non ut Iãbici circa aliquem ſingularem faciũt.

Poſſibilis.

Munus poetæ.

Vniuerſalia intelligũtur, q̃ multis perſonis uidẽtur poſſe contingere.

De nominibus comicis.

In Tragędia autẽ factis nominib. hęrent. Cauſſa uero eſt, ꝙ perſuaſibile eſt poſſibile. Ac non facta quidem non credimus eſſe poſſibilia. Facta vero manifeſtũ eſt,poſſibilia eſſe. non enim facta eſſent,ſi impoſſibilia eſſent Nec tamen non in aliquib. Tragędiis unum, aut duo ſunt ex notis nominib. alia uero ficta. in quibuſdam autem nullũ, ut in Agathonis Flore. Similiter enim in hoc & res,& nomina ficta ſunt;& nihilo minus delectat.

De nominibus Tragicis.

Quare

Quare non omnino quærendum est, ut traditis fabulis hæreamus. nam est ridiculum hoc quærere: quoniam, & nota paucis nota sunt, & tamen delectant omnes. Manifestum igitur est ex his, poetam esse oportere magis fabularum effectorē, quàm metrorum, quatenus poeta secundum imitationem est; imitatur autem actiones. Quamuis igitur contigerit facta pangere, nihilominus poeta est. Factorum enim non nulla nihil prohibet talia eē, qualia verisimile est fieri, & possibilia esse, secundum quod ille ipsorum poeta est.

Non episodica. 5 Simpliciter aūt ex fabulis, & actionib. Episodicæ existunt pessimæ. Dico Episodicā fabulam, in qua Episodia post altera neque verisimile, neque necesse est existere, Ac tales efficiuntur à malis quidē poetis propter ipsos, à bonis vero propter histriones. Certamina enim facientes, & supra facultatem fabulam extendentes distorquere sæpenumero coguntur, quod ex ordine est.

Admirabilis. 6 Quoniam autem nō solum est perfectæ actionis imitatio, sed etiam terribilium, & miserabiliū atq; hæc fiunt maxime talia, & magis, cum fiant præter opinionem inter se; nam admirabile sic habebunt magis, quàm si à casu, & fortuna; quoniam, & eorum, quæ à fortuna sunt, hæc maxime admirabilia videntur, quæcunque tamquam ex industria apparent facta fuisse, sicuti statua Mityi Argis interfecit eum, qui fuit caussa interitus Mityi, cum incidisset in caput eius, dum ipse spectaret; videntur enim talia non temere facta esse: idcirco necesse est tales fabulas esse pulchriores.

Implexa. 7 Ac fabularum aliæ simplices sunt: aliæ implexæ. Etenim actiones, quarum imitationes fabulæ sunt, ne aliud quæramus, existunt tales. Appello

pello simplicem actionem,qua facta, ut definitũ est,cõtinua,& una,transitus fit sine peripetia,uel agnitione.Implexa est, ex qua cũ agnitione,aut peripetia,aut ambab. transitus fit.Hæc aũt oportet fieri ex ipsa constitutione fabulæ, ut ex anteactis,aut ex necessitate, aut secundum uerisimile hæc fieri contingat. differt enim multum, utrũ hæc propter hæc, an post hęc fiant. Est uero peripetia in contrarium,eorum, quæ aguntur,mutatio, ut dictum est. Atque hoc, ut dicimus,secundum uerisimile,aut necessarium. Vt in Oedipode, cum uenisset nuntius tamquam lætitiam allaturus Oedipo, eumq; metu liberaturus aduersus matrem, ut aperuit, quisnam esset, contrarium fecit. Et in Lynceo, cum ipse quidem duceretur, ut moriturus, Danaus uero persequeretur, ut interfecturus; hunc quidem contigit ex reb.gestis mori: illum uero seruari. Agnitio autem est,ut etiam nomen significat, ex ignoratione in cognitionem mutatio, aut ad amicitiam, aut inimicitiam eorum, qui ad prosperam fortunam,uel aduersam definiti sunt. Ac pulcherrima agnitio est,cum simul peripetiæ fiunt, ut se habet in Oedipode. Ac sunt quidem etiã aliæ agnitiones.Etenim ad inanimata pertinet agnitio,& ad quæcunque,ut dictum est, à fortuna aliquando esse contingit. Et si fecit aliquis, aut non fecit. Sed quæ maxime pertinet ad fabulam, & quæ maxime ad actionem, existit ea, quæ dicta est. Talis enim agnitio, & peripetia aut misericordiam habebit,aut metum, qualium actionum Tragędia imitatio supponitur. Præterea uero & aduersa fortuna uti, & prospera in talib. continget. Iam quoniam agnitio quorundam, aliæ quidem sunt alterius ad alterum solum, cum fuerit mani-

Peripetia quid.

Agnitio quid.

Agnitio personarum.

Agnitio rerum inanimatarum.

Agnitio facti.

Agnitio personarum duplex.

manifestus alter, quis sit: aliquando ambos oportet agnoscere, ut Iphigenia ab Oreste agnita est ex missione epistolæ: illi autem erga Iphigeniam alia opus fuit agnitione.

Affectum habens.

8 Ac duæ quidē fabulæ partes circa hæc sunt, peripetia, & agnitio. Tertia vero est passio. Atq; ex his peripetia, & agnitio expositæ sunt. passio vero est actio habens vim interimendi, aut graues dolores afferendi, ut quę in aperto existunt mortes, & eiulationes, & vulnerationes, & quæcunque talia.

Partes quantitatis ĩ Tragœdia.

Iam partes Tragędiæ, quib. ut formis oportet uti, prius diximus. At secundum quantitatem, & in quas ipsa diuiditur separatas, hę sunt, prologus, episodium, exodus, choricum; & huius quidem vna pars parodus: altera uero stasimum. Atque hæ quidem communes omnium. propriæ uero illæ à scena, & commi.

Prologus.

Ac prologus est pars integra Tragœdiæ ante Chori parodum.

Episodium.

Episodium pars integra Tragœdiæ interiecta inter integros choricos cantus.

Exodus.

Exodus pars integra Tragœdiæ, post quam nō est chori cantus.

Choricum.

Chorici autem parodus prima dictio integri chori. Stasimum uero cantus chori sine anapęsto, & trochęo. At commus lamentatio communis chori, & à scena.

Ac partes quidem Tragœdiæ, quibus oportet vti, prius dictæ.

At secundum quantitatem, & in quas ipsa diuiditur separatas, hæ sunt. Quæ uero oportet spectare, & quæ oportet cauere constituentes fabulas, & unde erit Tragœdiæ opus, sequitur, ut dicamus, post illa, quæ adhuc dicta sunt.

Quoniam

1 Quoniam igitur oportet constitutionem existere pulcherrimæ Tragędiæ non simplicem, sed nexam, & hanc terribilium, & miserabilium esse imitationem (hoc enim proprium huiusmodi imitationis est) *Sex traduntur obseruanda in cōstitutione pulcherrimæ Tragœdiæ.*

2 Primum quidem manifestū est, neque æquos viros oportere mutatos apparere ex prospera fortuna in aduersam, non enim terribile, nec miserabile hoc, sed sceleratum est; neque improbos ex infortunio in prosperam fortunam, hoc enim maxime omniū alienum est à Tragœdia, quia nihil habet eorum, quæ oportet, neq;.n. gratū hominib. neq; miserabile, neque terribile est, neque rursus valde malum ex prospera fortuna in aduersam cadere, quod.n. gratū est hominib. id quidem habet talis constitutio, sed neque misericordiam neque timorem habet, illa.n. est circa eum, qui indigne aduersa fortuna vtatur, hic vero circa similem, quare neque miserabile, neque terribile apparet, quod contingit. Reliquus igitur est inter hos interiectus. Est autem talis, qui neque virtute præstat, & iustitia.

3 Neque propter vitium, & prauitatem mutatur in aduersam fortunam, sed propter errorem aliquem.

4 Eorum, qui sunt in magna existimatione, & fortunæ prosperitate, cuiusmodi Oedipus, & Thyestes, & qui ex talib. familijs illustres uiri sunt.

5 Necesse enim est egregie se habentem fabulam simplicem esse magis, quàm duplicem, vt quidam dicunt. *intelligitur simplex, nō quatenus distinguitur ab implexa, sed quatenus a duplici.*

6 Et mutari non in prosperam fortunam ex aduersa, sed contra ex prospera in aduersam nō propter improbitatem, sed propter errorem magnū,

aut talis personæ, qualis dictum est, aut melioris magis, quàm peioris. Signum autem est & id, qđ obseruatur. Nam antea quidem poetæ quaslibet fabulas enumerabant. nunc vero circa paucas do mus pulcherrimæ Tragœdiæ componuntur, vt circa Alcmæonem, & Oedipum, & Orestem, & Me leagrum, & Thyestē, & Telephum, & quibuscunque alijs contingit aut pati atrocia, aut facere. Ac secundum artem quidem pulcherrima Tragędia ex hac constitutione est. Quare & errant, qui accusant Euripidem in eadem re, quòd hoc faciat in Tragœdijs, & multæ ipsius in aduersam fortunam terminent. Id enim est rectum, vt diximus. Ac signum maximum est, quòd in scenis, & certaminib. tales apparent maxime Tragicæ, si recte diri gantur. Et Euripides etsi alia non bene disponit, hac tamen in parte maxime Tragicus inter poetas apparet.

paucæ quædam familię Tragicæ

Defenditur Euripides.

Fabula duplex.

Iamuero secunda constitutio est, quæ à quibus dam prima dicta est, eius fabulæ, quæ duplicem constitutionem habet, vt Odyssea, & definit ex cō trarietate, meliorib. & peiorib. Videtur autē esse prima propter theatrorum imbecillitatem. Nam poetæ eam consequuntur, morem gerentes specta torib. Atque hæc non est ea, quæ proficiscitur à Tragœdia, voluptas, sed magis Comœdię propria. In ea.n. fabula si inimicissimi sint, vt Orestes, & Aegisthus, amici tandem facti exeunt, & nullus per alterum moritur.

Terribile, & miserabile debet ex constitutione rerum apparere.

Ac licet quidem terribile, & miserabile ex apparatu fieri, licet etiam ex ipsa constitutione. id quod est prius, & poetæ melioris. oportet enim & sine visu sic constitutam esse fabulam, vt audiēs res, quæ fiūt, & horreat, & misereatur ex ijs, quæ contingunt. in quas perturbationes cadet ille, qui

audiat

audiat Oedipodis fabulam. Facere autem hoc per apparatum, est magis artificij expers, & sumptus requirit. Atque qui non terribile propter apparatum, sed monstruosum tantum efficiunt, nihil cōmunicāt cum Tragœdia. non enim omnem oportet quærere voluptatem à Tragędia, sed propriā. Quoniam vero ex misericordia, & metu per imitationem oportet poetam efficere uoluptatē, manifestum est id in reb. efficiendum. Qualia igitur atrocia, aut qualia miserabilia appareant, ex ijs, quæ contingunt, assumamus. Necesse autem est, aut amicorum esse inter se tales actiones, aut inimicorum, aut neutrorum.

Quæ voluptas sit quærenda è Tragædia.

Quæ atrocia metum, & misericordiam nō moueant, & quæ moueant.

1 Si igitur inimicus inimicum occiderit, nihil miserabile, neque dum facit, neque dum facturus est, demōstrat, præterquā in illa ipsa ꝑturbatione

2 Neque qui se neutro modo habent.

3 Quando autem in amicitijs existunt perturbationes, vt si frater fratrem, aut filius patrem, aut mater filium, aut filius matrem occiderit, aut occisurus fuerit, aut tale aliquid aliud faciat, hæc quærere oportet.

Ac receptas quidem fabulas soluere non licet. dico autem, vt Clitæmnestram occisum ab Oreste, & Eriphylem ab Alcmæone. Ipsum autem inuenire oportet, & traditis vti recte. Ac id, quod dicimus se recte habere, exponamus apertius.

Non sunt mutandæ receptæ fabulæ aut nouæ inueniēdæ.

Constituēdæ Teagædiæ gradus.

1 Licet enim sic fieri actionem, vt antiqui faciebant, vt eam præstarent scientes, & cognoscentes, quemadmodum Euripides fecit occidentem filios Medeam.

2 Ac licet agere ita, vt ignorantes agant rem atrocem, postea vero agnoscant amicitiam, vt Sophoclis Oedipus. Atque hoc quidem extra actio-

nem in ipsa vero Tragœdia, vt Alcmæon Astydamantis, vel Telegonus in vulnerato Vlysse.

i. extra terminum præscriptum actioni Tragicæ, vel ante diē, cuius actio agitur

3 Præterea tertium est, cum quis facturus erat aliquid sæui propter ignorantiam, & agnouit, priusquam faceret.

4 Et præter hæc non licet aliter. Aut enim facere necesse est, aut non, & scientes aut non scientes.

Ex hac enumeratione, colligitur quartus gradus, cū quis sciens nō facit.

4 Horum autem pessimum est, cum quis facturus fuit, & non fecit. Sceleratum enim habet, & non Tragicum, sine affectu enim est. Quare nemo facit similiter, nisi raro, vt in Antigona Creōtem Aemon.

Iudiciū de gradibus cō stituendæ Tragœdiæ.

1 Nam fecisse secundum est.

2 Ac melius est ignorantem quidem fecisse, cū autem fecerit agnouisse, sceleratum enim non adest, & agnitio gignit stuporem.

3 Optimum vero est postremum. Dico autem, vt in Cresphōte Merope interfectura quidem erat filium, sed non interfecit, cum agnouisset. & in Iphigenia soror fratrem, & in Helle filius matrē dediturus agnouit. Quapropter quod pridem dictum est non circa multas familias Tragœdiæ existunt. Quærentes enim non ab arte, sed a fortuna inuenerunt huiusmodi confectionem fabularum. Itaque ad has domos coguntur occurrere, quibuscunque tales contigerunt pertubationes. Ac de constitutione rerum, & quales oporteat esse fabulas, dictum est satis.

De moribus Tragicæ personæ.

Ceterum circa mores, quattuor sunt, quæ spectare oportet. Vnum quidem, & primum, quomodo boni sint. Habebit aūt mores, si oratio, aut actio manifestam faciat prælectionem aliquam, malos quidem, si malam, bonos vero, si bonam.

Est autem hoc in vnoquoque genere. Etenim mulier est bona, & seruus. etsi fortasse ex his illud quidem peius, hoc omnino malum est.

Secundum est, quomodo sint conuenientes. Est enim virorum mos, sed non conueniens mulieri fortem, vel terribilem esse.

Tertium, quomodo sint similes. hoc enim aliud est ab eo, quod est bonos, & conuenientes mores facere, vt dictum est.

Similitudo refertur ad eos de quib. alij scripserunt.

Quartum, quomodo æquales. Tametsi enim inæqualis quidam sit, qui præbet imitationem, & talib. morib. suppositus sit, tamen æqualiter inæqualem oportet esse.

Aequalitas ad eos, de quibus nos primũ scribimus.

1 Est autem exemplum improborum morum, non ex necessitate, vt Menelaus in Oreste.

2 Eius verò, quod non deceat, & non conueniat, tum lamentatio Vlyssis in Scylla, tum Menalippæ dictio.

4 At inæqualium in Aulide Iphigenia: nullam enim in partem similis est orans ei, quæ apparet posterius. Oportet autem & in morib. vt etiam in rerum constitutione semper quærere vel necessarium, vel verisimile, & hoc post hoc fieri, vel ex necessitate, vel ex uerisimilitudine.

Attendendũ necessarium vel uerisimile.

Apparet igitur & solutiones fabularum ex ipsa oportere fabula contingere, & non vt in Medea à machina, & in Iliade ea, quæ sunt circa renauigationẽ. Sed machina vti opus est ad ea, quæ sunt extra actionem, aut quæcunque ante facta sunt, quæ fieri non potest, vt homo sciat, aut quæcunque postea, quæ egent prædicatione, & nuntiatione: omnia enim videre tribuimus deis. At sine ratione nihil esse oportet in rebus: sin minus, id extra Tragœdiam sit, vt quæ sunt in Oedipo Sophoclis.

De solutionib. fabularum.

De perfecto morum exẽplo, & idea

Quoniam autem Tragœdia est imitatio melio rum, oportet nos imitari bonos formarum fictores. Etenim illi, cum tribuant propriam formam, faciendo similes, pulchriores fingunt: Sic etiam oportet poetam imitantem & iracundos, & socor des, & alia talia habentes in morib. cum tales exi stant, probitatis facere exemplum, ac duritiæ, vt Achillem bonum etiam Homerus.

Intelligit harmoniã,

Iamuero hæc oportet seruare, & ad hæc ea, quæ sub sensum cadunt, consequentia poeticæ præter illa quæ sunt ex necessitate: etenim secundum ipsa sæpenumero licet peccare. Dictum autem est satis de ipsis in editis libris. Ac agnitio quid sit, dictum est prius.

De agnitione.

Species autem agnitionis prima est, quæ maxime expers est artis, & qua plurimi vtuntur propter penuriam, quæ per signa fit; eaque partim innata, vt lanceam, quam Terrigenæ ferunt, aut stellas, quales in Thyeste dicit Carcinus: partim aduentitia, aut in corpore, vt cicatrices, aut extra, vt monilia. & vt in Tirone per scapham. Ac licet his vti vel melius, vel peius, vt Vlysses per cicatricem aliter agnitus est à nutrice, aliter à subulcis. Et sunt quidem, quæ fidei caussa adhibentur, magis artis expertes, etiam huiusmodi omnes. Quæ vero ex peripetia, vt quæ in Niptris, meliores.

Secundæ sunt, quæ à poeta factæ sunt, Itaque expertes artis. vt Orestes in Iphigenia agnouit sororem agnitus ab ipsa. Hæc quidem agnita per epistolam: ille vero per signa. Ac ipse quidem dicit, quæ vult, poeta, sed non fabula Quare a dicto peccato non longe abest (licebat enim quædam interponere) etiam in Sophoclis Tereo radij vox.

Tertia agnitio est, quæ per memoriam fit, cum

quis sentit aliquid videndo, vt quæ in Cyprij Dicæogenis, cum enim inspexisset picturam, luxit, & quæ in Alcinoi Apologo, audiens citharoedum, & recordatus, lachrymauit, vnde agniti sunt.

Quarta, quæ ex syllogismo, vt in Choephoris, quia similis quidam venit, Atqui similis nullus præterquàm Orestes, ergo iste venit. Et quæ polyidis Sophistæ de Iphigenia, verisimile nanque est, Orestem ratiocinari, & sororem immolatum esse, & ipsi contingere immolari. Et in Tydeo Theodectis, quòd cum venisset, vt inuenturus filium, ipse perijt. Et quæ in phoenidib. cum enim vidissent locum, ratiocinatæ sunt fatum, quòd fato statutum ipsis moriendum esse. Etenim ibi expositæ sunt.

Est etiam quædam composita ex paralogismo theatri, vt in Vlysse falso nuncio. hic enim inquit se arcum cogniturum, quem nō viderat. ille vero, quasi is agnouisset, propterea paralogismū fecit.

Omnium autem optima agnitio est, quæ existit ex ipsis reb. facta consternatione per verisimilia, vt in Sophoclis Oedipo, & Iphigenia. verisimile enim est, eam velle dare litteras. tales enim solæ sine factis signis, & monilib. existunt. At secundæ sunt, quæ per syllogismum fiunt. *Duæ agnitiones præferūtur alijs.*

Fabulæ autem sunt constituendæ, & elocutione conficiendæ, quàm maxime ante oculos ponendo. sic enim euidentissime perspiciens, tanquā reb. ipsis præsens fuerit, dum gerebātur, inueniet, quod decet, & ipsum minime fallent sub cōtraria. Signum autem huius rei est, quod reprehenditur in Carcino. Amphiaraus enim è fano exijt. quod fefellit spectatorē non videntem in scena vero lapsus est, ægre ferentib. id spectatorib. *De fugiendis sub contrarijs.*

De perturbationibus animi.

Quantum vero fieri potest, oportet figuris exornando exercere poesim: maxime.n persuasibiles sunt ab eadem natura, qui in perturbationib. sunt. Quamobrē & fluctuare facit fluctuans, & ad iram concitat iratus uerissime. Itaque ingeniosi poetica est, vel furore perciti. Ex his.n. alij quidem facile formantur, alij vero extra se positi sunt.

De fabulis ī vniuersum spectandis & per episodia producēdis.

Hos autem sermones oportet esse factos, & ipsum facientem exponere in vniuersum: deinde episodijs vti, eaq; inserere. Dico uero sic vniuersum spectari, vt Iphigeniæ. Cū esset immolata quædā virgo, sublataq; immolantib. non manifesto, ac cōportata in aliam regionē, in qua lex erat, hospites immolare deę, hoc sacerdotiū obtinuit. Tpe autem sequēti fratri sacerdotis huc contigit venire propter nescio quid. qm̄ responsum dedit deus, pp aliquā caussam, quæ extra vniuersum est, eò venire. Sed quamobrem, id extra fabulam est. Cū autē venisset, & captus esset dum deberet immolari, agnouit, siue vt Euripides, siue vt Polyides fecit, dicens secundū verisimile, non solū sororē, sed ēt ipsum oportuisse sacrificari, & hinc salutem.

De episodiorum vsu.

1 Post hæc, cum quis iam supposuerit nomina, oportebit eum episodijs vti,

2 Et quando erunt propria episodia, considerare, vt in Oreste insania, propter quam captus est, & salus per expiationem.

3 Ac in dramatib. quidem episodia cōcisa sunt, Epopœia vero his producitur. Odysseæ enim longus sermo est; de peregrinante quodam annos multos, & obseruato à Neptuno, & dum solus existeret, & præterea sic se habentib. domesticis reb. vt fortunæ ipsius à procis consumerentur, & filius insidijs peteretur. ipse venit tempestatib. perturbatus, & cum agnouisset quosdam, ipsos

decipiens,

decipiens, ipse quidem seruatus est, inimicos uero perdidit. Ac proprium quidem est hoc: alia uero episodia.

Est autem omnis Tragœdiæ una quidem pars nexus: altera uero solutio. Ea quidem, quæ sunt extra, & aliqua eorum, quæ intra, sępenumero sunt nexus. Reliquum uero est solutio. Dico autem nexum esse eum, qui à principio est, usque ad hãc partem, quæ postrema est, ex qua transit in prosperam fortunam, uel aduersam. Solutionem uero, quæ est à principio transitus usque ad finem, ut in Lynceo Theodectis nexus sunt ea, quæ gesta sunt, & pueri sumptio. At solutio, quæ est ab obiectione mortis usque ad finem. *Tragœdiæ nexus, & solutio.*

Tragœdiæ species sunt quattuor: tot enim & partes dictæ sunt. *Tragœdiæ species*

Vna quidem implexa, cuius totum est peripetia, & agnitio.

Altera uero affecta, vt Aiaces, & Ixiones.

Tertia morata, ut Phthiodes, & Peleus.

Quarta, ut & Phorcides, & Prometheus, & quæcunque apud inferos.

Ac omnia quidem maxima conandum est, ut habeantur. *Quæ præstantia requiratur in poetis.*

Sin autem, maxima, & plurima, præsertim ut nunc criminationem obiiciũt poetis. Cum enim extiterint secũdum unamquamque partem boni poetæ, dignum existimant unum superare singulos in proprio bono.

Iustum autem est & Tragœdiam aliam, & eandem dicere, nihil fortasse ob fabulam. Hoc autem intelligitur in iis, quarum eadem plicatio, & solutio est. Multi uero, qui bene plicarũt, soluunt male. Ac oportet ambo semper cum plausu excipi. *Tragœdia alia, & eadem propter plicationem & solutionem.*

Et

Constitutio Dramatica non debet esse longa, ut Epica.

Et oportet, quod dictum est, sæpe in memoriã reuocare,& non efficere, ut Tragœdia sit Epopœica constitutio. Dico Epopœicam, quæ multas fabulas continet, vt siquis totam fabulam Iliadis conficiat. ibi enim propter longitudinem assumunt partes conuenientem magnitudinẽ in Dramatib. uero multum præter existimationem accidit. Signum uero est, quòd quicunque expugnationem Ilij totam fecerunt,& non secundum partem, ut Euripides Hecubam,& non ut Aeschylus, uel labuntur, uel male certant. Siquidem Agathõ lapsus est in hoc solo.

Admirabile.

In peripetiis autem, & in simplicibus rebus assequuntur, quòd uolunt, per admirabile. Tragicum enim hoc, & gratum hominib. Est autẽ hoc quando sapiens quidem, sed cum improbitate deceptus fuerit, ut Sisyphus.& fortis quidem, sed iniustus superatus sit. Atque hoc uerisimile est, ut Agathon dicit. Verisimile enim est fieri multa etiam præter uerisimile.

Verisimile Agathonis.

De choro, qui ĩseritur in actione.

Et existimandum est, chorum esse unum de histrionib.& partẽ totius, ac simul contendere, non ut apud Euripidem: sed ut apud Sophoclem. Quæ uero conceduntur aliis, magis sunt fabulæ,& Tragœdiæ alterius. Quamobrem embolima canunt, cum primus Agathõ rem talem inceperit. Atqui quid interest, siquis embolima canat, uel dictionem ex alio in aliud accommodet?

Canere embolima, i. res improprias, et diuersas.

Ac de aliis quidem iam dictum est. Reliquum uero est de elocutione, uel sententia dicere.

De sententia.

Ac quæ pertinent quidem ad sententiam, in libris de Rhetorica posita sunt: hoc enim magis est proprium illius methodi. Sunt autem secundum sententiam ea, quæcunque ab oratione paranda sunt. Et eorum partes existunt,

1 tum demonstrare,& soluere.
2 tum perturbationes parare, ut misericordiã, uel metum,uel iram,& quæcunque talia:
3 tum præterea amplificare,& diminuere.

Manifestum autem est,& in actionib.utendum esse iisdem formis, cum miserabilia, aut terribilia,aut magna,aut uerisimilia parare oportuerit. nisi quòd ea sola differentia est, quòd hæc quidẽ apparere sine doctrina oportet: quæ uero in oratione posita sunt,à dicente parari, & per orationem fieri. Quod enim esset dicentis munus,si apparerent iucunda,& non per orationem? *Eadem præstantur à fabula, & a sententia,diuerso modo.*

Eorum uero, quæ pertinent ad elocutionem una species est contemplationis, quę considerat figuras elocutionis, quas scire est histrionicæ,& eius, qui habeat talem architectonicam,ut quid sit mandatum, & quid precatio, & narratio, & mina, & interrogatio, & responsio; & siquid aliud huiusmodi. Ab horum enim cognitione, uel ignorantia nulla reprehensio in poeticam affertur,quæ curanda sit. Qui enim fieri potest, ut aliquis existimet errorem commissum esse in iis, quæ Protagoras reprehendit, quòd putans precari, præcipit,dicens, Iram diua cane? Nam iubere,inquit,ut aliquid faciat, aut non faciat, præceptio est. Quamobrem omittatur,ut alterius,& non poeticę existens contemplatio. *De actione, uel pronunciatione.*

Iamuero elocutionis omnis hæ sunt partes, elementum,syllaba,coniunctio, nomen,uerbum, articulus,casus,oratio. *De elocutione.*

Ac elementum quidem est uox indiuidua.non omnis,sed ex qua naturaliter fit uox, quæ intelligi possit. Etenim belluarum sunt uoces indiuiduæ,quarum nullum elementum uoco.Huius autem partes sunt, tum uocale, tum semiuocale, *Elemẽtum*

tum

tum mutum. Atque uocale est, quòd sine ictu uocem habet, quæ audiri potest. ut α, & ω. Semiuocale, quod cum ictu vocem habet, quæ audiri potest, ut σ, & ρ. Mutum, quod cum ictu per se quidem nullam habet uocem, sed cum habentib. aliquam uocem fit huiusmodi, ut audiri possit, ut γ, & δ. Atque hęc inter se differunt, tum figuris oris, tum locis, tum crassitudine, tum tenuitate, tum longitudine, tum breuitate, præterea uero acumine, & grauitate, & medio, de quibus singulis in metricis, conuenit contemplari.

2. *Syllaba*

Syllaba est uox significationis expers, composita ex muto, & uocem habente. Etenim γρ sine α syllaba est, & cum α, ut γρα. sed & horum intueri differentias Metricæ est.

3. *Coniunctio.*

Coniunctio est uox significationis expers, quæ neque impedit, neque facit vocem vnam significatiuam, quæ ex pluribus uocibus componatur; tam in extremis, quàm in medio, nisi congruerit in principio orationis ponere per se, ut μέν, ἤτοι, δή. uel uox non significatiua ex pluribus quidem uocibus vna, sed significatiuis idonea, quæ faciat vnam vocem.

4. *Articulus.*

Articulus est uox significationis expers orationis initium, aut finem, aut distinctionem indicans, ut τὸ φημὶ, τὸ περὶ, & alia. uel uox significationis expers, quę neque impedit, neque facit uocem unam significatiuam ex plurib. uocibus idoneam, quæ componatur & in extremis, & in medio.

5. *Nomen.*

Nomen est uox composita significatiua sine tẽpore, cuius pars nulla est per se significatiua. nam in duplicibus non utimur, ut etiam ipsum per se significet, veluti in Theodoro illud δῶ-

φον non significat.

Verbum est uox composita significatiua cum tempore, cuius per se pars nulla significat, ut etiã in nominibus. Illud enim homo, vel album non adsignificat quando. At illud, ambulat, uel ambulauit, adsignificat. alterum quidem præsens tempus: alterum uero præteritum. *6. Verbum.*

Casus est nominis, aut uerbi; unus quidem secundum id, quod est huius, uel huic significans, & quęcunque talia: alter uero secundum id, quod vni, uel multis, vt homines, uel homo: alius autẽ secundum ea, quæ ad gestum pertinent, ut per interrogationem, uel præceptionem. Nam ambulauit, uel ambulat, casus uerbi secundum has species est: *7. Casus.*

Oratio est uox composita significatiua, cuius aliquę partes per se significant aliquid. nec enim omnis oratio ex uerbis constat, & nominibus quemadmodum hominis definitio: sed contingit sine uerbis esse orationem. atqui partem sem per quampiam significantem habebit, ut in illo. Ambulat Cleon id ipsum Cleon. Vna autem est oratio duobus modis; aut enim quæ unum significat: aut quæ ex plurib. coniunctionibus existit, ut Ilias quidem est coniunctione una: hominis uero definitio eò ꝙ unum significet. *8. Oratio.*

Iam nominis species una quidem simplex est (uoco simplicem, quæ non constat ex significantibus) altera vero duplex. atque hæc partim ex significante, & non significante; partim ex significantibus constat. potest etiam esse & triplex, & quadruplex nomen, & multiplex, ut multa Megaliotarum, Hermocaicoxanthus. *Nominis species.*

Omne aũt nomen est aut propriũ, aut lingua, aut tran-

Per linguā intelligit nomē peregrinum, per ornatum, ut quidam putant, epitheton.

translatio, aut ornatus, aut factum, aut protractū, aut subtractum, aut immutatum.

1 Voco proprium, quo utuntur singuli. Linguā illud, quo diuersi. Quamobrem apparet fieri posse, ut lingua, & proprium sit idem.

2 Translatio est nominis alieni illatio, aut à genere ad speciem, aut à specie ad genus, aut à specie ad speciem, aut secundum proportionem.

Lib. ultimo Odyss.

Dico à genere ad speciem, ut Nauis autem mihi hæc stetit. Nā in portu esse stare quiddam est.

Lib. 2. Il.

A specie ad genus, Iam decem millia Vlysses bona egit. Nam decem millia multa sunt; quibus nunc vsus est pro multis.

A specie ad speciem, ut Aere animum cum haussisset, incidit indefesso ære. hic enim haurire pro incidere, & īcidere pro haurire dixit. ambo enim sunt quiddam auferre.

Proportionem dico, quando similiter se habeat secundum ad primum, ac quartum ad tertium. nam dicet pro secundo quartum, aut pro quarto secundum. & interdum apponunt pro quo dicit, ad quod est. Dico autem, ut similiter se habet poculum ad Bacchum, & scutum ad Martem. Dicet igitur & scutum poculum Martis, & poculum scutum Bacchi. Præterea similiter se habet uesper ad diem, & senectus ad vitam. Dicet igitur vesperam senectutem diei, & senectutem uesperam uitæ; uel, vt Empedocles, occasum uitæ. Non nullis vero non est nomen positum eorum, quæ sunt ex proportione: sed nihilo minus similiter dicetur ut illud, semen quidem iacere serere; flammam uero emitti à sole, sine nomine est. Sed similiter se habet hoc ad solem, & serere ad semen. Quamobrem dictum est, Serens à Deo conditam flammā. Ac licet uti hoc translationis modo, & aliter, ut

cum

cum appellauerit id, quod alienum est, neget aliquid eorum, quæ propria sunt; ut si scutum dicat poculum non Martis, sed sine uino.

3. *Omittitur ornatus.*

Factum est, quod ab aliquibus prorsus non appellatum ipse ponit poeta: uidentur enim aliqua esse talia, ut cornua ἐρνύτας, & sacerdotem ἀρητῆρα.

4. *ἔρνος ramus. ἀρᾶ pro prece.*

Protractum est, uel subtractum, illud quidem, si uocali longiore usum fuerit, quàm propria sit; vel syllaba inculcata: hoc uero, si sublatum fuerit quippiam uel ab ipso, uel ab eo, quod inculcatum est. Protractum quidem, ut illud, πόλεος πόληος. & illud, πηλεΐάδου πηληϊάδεω. Sublatum uero, ut illud κρὶ, & illud δῶ. & μία γίνεται ἀμφοτέρων ὄψ. Immutatum est, quod nominati unam quidem partem reliquerit, alteram uero fecerit, ut illud δεξίτερον κατὰ μαζὸν pro δεξιὸν.

pro κρίθη ordeum. δῶ pro δῶμα domus. ὄψ pro ὄψις uisus.

Præterea ex nominib. alia uirilia; alia muliebria: alia interiecta. Virilia quidem, quæcunq; desinunt in, ν. & ρ. & quæcunque ex aliquo eorum, quæ muta sunt, constāt. Atque ea sunt duo ψ, & ξ. Muliebria uero, quæcunque ex uocalib. in ea, quæ semper longa sunt, ut in η, & ω. & ex iis, quę producuntur in α. Quare euenit, vt æqualia sint multitudine, in quæcunque desinunt uirilia, & muliebria. Nam ψ, & ξ eadem sunt. In mutum autem nullum nomen desinit, neque in uocalem breuem, At in ι tria sola, μέλι, κόμμι, πέπερι. Et in υ quinque πῶυ, νάπυ, γόνυ, δόρυ, ἄστυ. Interiecta uero in hęc & ν, & σ.

Genera nominum.

Elocutionis autē virtus est, vt sit perspicua, & non humilis. Ac maxime quidem perspicua est, quæ ex propriis nominibus existit. sed humilis

Linguæ, & trāslationes temperādæ cū propriis.

Exem-

Propriorum uitium humilitas.

Exemplum vero est Cleophontis poesis,& Sthene li. At grandis, & immutans id, quod vulgare est, quę peregrinis vtitur. Peregrinum autem uoco linguam,& translationem, & protractionem, & quidquid præter proprium est. Sed siquis simul omnia talia fecerit, aut ænigma erit, aut barba rismus. Si igitur ex translationibus ænigma. Si ex linguis, etiam barbarismus. Aenigmatis autem forma hęc est,ut qui dicit,copulet ea, quæ fie ri nõpñt.Ac secũdũ cõpositionẽ quidẽ nominũ id fieri non potest, uerum secundum translationẽ contingit. ut Virum uidi igne æs uiro agglutinantem; & talia. Ex linguis uero barbarismus. Quamobrem aliquo modo his temperatur. Ac nõ uulgare quidem efficiet,neque humile lingua, & translatio, & ornatus,& alię formæ, quę dictæ sunt. Perspicuitatem uero proprium, At non minimam partem conferunt ad perspicuam elocutionem, & non uulgarem protractiones, & subtractiones,& immutationes nominum. Nam quoniam hoc aliter se habet, ac proprium: quod fa ctum est præter consuetum, uulgare efficiet. Quoniam autem communicat cum eo, quod est consuetum,erit perspicuum.

Translationum uitiũ ænigma. Linguarum barbarismus.

Licet vti omnib. formis non sine modo, sed cum modo.

Primus uersus in secundo loco habet iambum secundus in sexto.

Quare non recte uituperant, qui reprehendũt talem modum elocutionis, ac maledictis poetam insectantur, ut Euclides ille antiquus: quòd facile sit poetice agere, si quis concesserit protrahere, quantum uelit, eum, qui iambis usus sit in eadem elocutione, ut

ἢ τίχαριν εἶδον μαραθῶνα δὲ βαδιζόντα

& ὀυκ ἂν γειναμενος τὸν ἐκείνου ἔξελε βορὸν.

Ac cum appareat quidem aliquo modo,aliquẽ sequi hunc ipsum usum,id ridiculum est. Mensura autem communis est omnium partium. Etenim qui

qui translationibus, & linguis, & aliis formis vteretur, idem efficeret.

Id autem, quod congruit, quantum excellat in heroico carmine, consideretur, iniectis nominib. in metrum. Et certe in linguis, & in translationibus, & in aliis formis, si quis posuerit propria nomina, uidebit à nobis dici ea, quæ uera sunt. ut cum eundem iambicum fecit Aeschylus, & Euripides. & unum solum nomen immutauit. & posuit linguam pro proprio consueto. Atque unum quidem apparet pulchrum: alterum uero humile. Nam Aeschylus in Philoctete fecit.

Seruãdum id, quod conuenit.

pro proprio minus conueniẽti trãslatum cõueniens.

φαγέδαινα ἥ μου σάρκας ἐσθίει ποδὸς

Phagedæna quę mei carnes comedit pedis.

Hic uero pro ἐσθίει posuit θοινᾶται epulatur.

Et νῦν δὲ μ᾽ ἐὼν ὀλίγος τε, καὶ οὐτιδανὸς, καὶ ἀεικὴς.

Nũc aũt me existẽs paucusq;, & nihili, & indecẽs.

Si quis dicit positis propriis.

νῦν δὲ μ᾽ ἐὼν μικρός τε, καὶ ἀσθενικὸς, καὶ ἀειδὴς.

Nunc autem me existens paruusq;, & imbecillis, & deformis.

Lib. 9. Odyss. Tria translata conuenientia pro trib. pprijs non conuenientib.

Et δίφρον ἀεικέλιον καταθεὶς, ὀλίγην τε τράπεζαν

Sedile non cõueniẽs cũ posuisset, paucãq; mensã.

δίφρον μοχθηρὸν καταθεὶς, μικράν τε τράπεζαν.

Sedile abiectum cũ posuisset, paruamq; mensam.

Et illud ἠϊόνες βοόωσιν ἠϊόνες κράζουσιν.

Littora uociferantur littora clamant.

li. 20. odyss. Duo translata.

Vnum trãslatum.

Præterea uero Ariphrades Tragœdis maledicebat, quòd quæ nemo diceret in sermone, his vterẽtur, quale illud est, δωμάτων ἄπο Domib. ab, sed non ἀπὸ δωμάτων Ab domib. & illud σέθεν sui. & illud ἐγὼ δὲ νιν Ego autem ipsum. & illud, Ἀχιλλέως πέρι Achille de, sed non περὶ Ἀχιλλέως De Achille. & quæcunque alia talia. Nam quoniam non sunt in propriis, faciunt id, quod non

Poetæ efficiunt, quod non est uulgare.

vulgare est hæc omnia in elocutione, ille vero hoc nesciebat. Iam magnum est vti congruenter vnoquoque de ijs,quæ dicta sunt,& duplicib.nominib.& linguis.At maximum est,metaphoricum esse:solum enim hoc neque ab alio licet assumere,& boni ingenij signum est,bene enim transferre est simile intueri.

Maximum est metaphoricum esse.

Ex nominib.autem duplicia quidem maxime conueniunt dithyrambis: linguæ vero heroicis, at translationes iambicis. Et in heroicis quidem omnia vtilia,quæ dicta sunt:verum in iambicis, quia quàm maxime collocutionem imitantur ex nominib.illa congruunt,quibuscunque etiam in sermonib.aliquis vteretur.sunt autem talia proprium,& translatio,& ornatus. Ac de Tragœdia quidem,& de imitatione, quæ in agendo posita est,nobis sufficiant,quæ exposita sunt.

Duplicia quib.conueniant. linguæ Translationes.

ppria Trāslatio ornatus.

DE EPOPOEIA.



E narratiua autem, & in metro imitatione oportet fabulas cōstituere,quemadmodum dramaticas in Tragœdijs,& circa vnā actionem,totam, & perfectam, habentem principium & medium, & finem, vt quemadmodum animal vnum totum,efficiat propriam voluptatem, nec similes esse historijs consuetis,in quib.necesse est non vnius actionis efficere expositionem,sed vnius temporis, quæcunque in eo euenerunt circa vnum,vel plures,quorum vnum quoque,vt sors tulit, alterum respicit.Quemadmodum.n.secundum eadem tempora & in Salamine facta est naualis pugna,& in Sicilia Carthaginien-

Epopœia est 1 2. imitatio narratiua in metro. 3. 4. actionis vnius. 5. totius. 6. nec similis historijs consuetis,

giniensium pugna, nequaquam ad eundem tendentes finem : sic & in temporib. consequentib. aliquando fit alterum cum altero , ex quib. non existit vnus finis. Ac ferme id faciunt poetarum multi. Quamobrem vt iam dicebamus , & in hac parte diuinus apparere Homerus pręter ceteros potest, & quia neque bellum , quamuis habens principium, & finem aggressus est. versib. describere totum. valde enim magnum, & quod non facile conspici poterat, euasurum erat. vel magnitudine se habens modice intertextum varietate . nunc autem cum abstulisset vnam partem, episodijs vsus est ipsorum multis, vt nauium catalogo, & alijs episodijs quib. distinguit poesim. Alij vero circa vnum canunt, & circa vnum tempus, & vnā actionem multarum partium, vt qui Cyprica fecit & paruam Iliadem.

Igitur ex Iliade, & Odyssea vna Tragœdia fit ex vtraque, vel duæ solæ. At ex Cyprijs multi. & ex parua Iliade plus quàm octo, vt Armorum iudicium, Philoctetes, Neoptolemus, Eurypilus, Mēdicatio, lacæna, Ilij direptio, & Reditus classis, & Sinon, & Troiades.

Præterea vero Epopœiam oportet habere formas easdē cū Tragœdia, aut enim simplicem, aut implexam, aut moratā, aut affectam oportet esse. *Epopœia, & Tragœdia inter se conueniunt.*

Et partes extra Melopœiam, & Apparatum easdem. Etenim ei opus est peripetijs , & agnitionibus, & affectibus, præterea sententias, & elocutionem recte habere.

Quib. omnib. vsus est & primus, & satis . Etenī poematum vtrunque constitutum est, Ilias quidē simplex, & affectum: Odyssea vero implexum agnitio enim per totum, & moralis est. Adhæc dictione, & sententia omnes superauit . *laus Homeri*

Epopœia, & Tragœdia differunt inter se.

Differt autem Epopœia & constitutionis longitudine, & metro. Ac longitudinis quidem terminus sufficiẽs dictus est. Debet enim esse eiusmodi, ut simul conspici & principium, & finis possit. Id sane esset, si priscis minores constitutiones existerent, & peruenirent ad multitudinem Tragędiarum, quæ in unam auditionem ponerentur. Habet uero multum quiddam Epopœia, & quiddem proprium, ut extendere magnitudinem possit. Propterea quòd non cõtingit in Tragędia imitari multas partes, quæ eodem tempore gerantur: sed eam solum, quæ geritur in scena, & histrionum est. At in Epopœia, quia narratio existit, licet efficere, ut simul multę partes ad finem perducantur, quę cum propriæ existant, augent poematis molem. Quare hoc habet, quod bonum est. ad magnificentiam, & ad mutationem audientis, & ad incrementum, quod fit dissimilib. episodiis. Simile enim, quod cito satietatem affert, efficit, ut Tragœdiæ displiceant. Metrum autem heroicum ex experientia quadrauit. nam siquis aliquo alio metro narratiuam imitationem efficeret, aut multis, indecorum certe appareret. heroicum. n. firmissimum, & tumidissimum est metrorum. Quamobrem & linguas, & translationes maxime recipit. Superuacanea enim est narratiuæ aliorũ motio. Iambicum uero, & Tetrametrum mobilia sunt; hoc quidem ad saltationem accommodatũ: illud uero rebus agendis idoneum. Præterea uero absurdius sit, siquis ipsa misceat, ut Chęremõ. Quamobrem nemo fecit longam constitutionem alio, nisi heroo. Sed, ut diximus, ipsa docet natura, ut illud ipsum partiamur, quod congruit.

De reb. proprijs Epopœiæ.

Homerus autem & in alijs multis dignus est, qui laudetur, & in hoc etiam, quòd solus inter

poętas

poetas id non ignorat;quod ipsum facere oportet. ipsi enim poetæ quàm paucissima dicenda sunt.Etenim ipse non est secūdum hęc imitator. Ac alij quidem ipsi per totum in actione versantur,& pauca imitantur,ac paucis in locis. At hic, cum pauca præfatus sit statim inducit virum,aut mulierem,aut aliquos alios mores,& nihil morū expres,sed habens mores.

Poetæ quàm paucissima dicenda.

Ac oportet quidem in Tragœdijs efficere id, quod admirabile est:sed magis in Epopœia contingit id,quod ratione vacat. Quamobrem contingit maxime id,quod admirabile est, quia non spectant in agentem.Quoniam, quæ euenerunt circa Hectoris insectationem, in scena certe apparerent ridicula, hi quidem stantes,& non insectantes, hic vero renuens.At in Epicis latent.

Epopœiæ magis propria admiratio.

Iam admirabile iucundum est. Ac signum est, quòd omnes addentes nunciant;tamquam gratificantes.Et docuit maxime Homerus alios falsa dicere, vt oportet.Atque hoc,naturam habet paralogismi.existimant enim homines,quando vno existente,aut facto alterum fit,si posterius est, etiam prius esse,vel fieri.Hoc autem mendacium est. idcirco primum iam certe mendacium est. Sed necesse non est,vno existente, vt alterum sit, vel fiat,vel apponatur.

Homerus docuit alios visum paralogismi.

Nā,quia scit,hoc verum esse,falso ratiocinatur animus noster etiam primum, tamquā existens.

Eligenda autem sunt,quæ fieri non possunt, & verisimilia sunt,magis, quàm quæ fieri possunt, & parum apposita sunt ad persuadendum. Ac sermones non constituendi ex partib.carentib.ratione,sed maxime quidem, vt nihil habeant, quod careat ratione.Si vero non sint tales, at certe habeant extra fabulā,vt Oepidus illud habet, quòd

De vitijs cōmunis epopegiæ, & Tragœdiæ.

nesciat, quomodo Laius mortuus sit. Non autem in dramate; ut in Electra, qui Pythia nunciāt; aut in Mysis, qui sine uoce ex Tegea in Mysiā uenit. Quare ridiculum est dicere, fabulam interituram: quia à principio non oportet constituere tales. Quòd si quis constituerit, & apparuerit magis consentaneum recipere, erit etiam absurdum. quoniā & quæ sunt in Odyssea sine ratione, nempe quæ circa expositionem, nullo modo tolerabilia esse manifestum foret, si ipsa malus poeta faceret. nunc autem aliis bonis poeta obscurat, iucundum reddens absurdum. Dictione autem oportet laborare in partib. ociosis, & non moratis, neque sententiarum plenis, contra enim occultat dictio valde splendida tum mores, tum sententias.

Li. 13. odiss.

DE ACCVSATIONIBVS, ET EXcusationibus Poetarum.



AM de quæstionibus & solutionibus tum ex quot, tum ex qualibus formis existant, hoc pacto contemplantib. fiet sine dubio manifestum: Quoniam enim poeta est imitator, quemadmodū etiam pictor, uel quis alius imaginum effector, necesse est imitari de tribus existentib. numero unum aliquod semper.

Primum caput solutionum.

1 Aut enim qualia erant, aut sunt.
2 Aut qualia aiunt, aut videntur.
3 Aut qualia esse oportet.

Hæc autem exponuntur dictione *Secundum caput,*
1 Vel & linguis.
2 Et translationib.
3 Et multę affectiones sunt dictionis.
hæc enim poetis concedimus.
1 Prętcrea uero non est eadem rectitudo Politicæ;& poeticæ.neque aliarum artium,& poeticæ. *Tertium caput.* Ipsius autem poeticæ duplex erratum. Nam unũ per se: alterum per accidens est.etenim aut præeligit imitationem rei, quæ ultra facultatem est: quod erratum ipsius est, aut præeligit non recte, quod per accidens est. sed fecit equum mouentẽ vtramque dexteram partem.
2 Aut erratum est secũdum unamquamq; artem, quemadmodũ secundũ Medicinam,aut aliã artẽ.
3 Aut quæ fieri non possunt,ficta sunt.

Quare reprehensiones in quæstionib. ex his cõsiderando soluendę sunt. Primum enim,si quę aduersus ipsam artem sunt,ficta sint huiusmodi, ut fieri non possint, erratum sit. Sed recte se res habet,si consequitur finem ipsius. finis enim dictus est; quemadmodum si sic magis ad consternandum uel ipsa accommodetur,uel alteram partem accommodet. Exẽplum Hectoris insectatio. Nam si finis, uel magis, uel minus contingebat inesse,& secundum eam artem,quæ de his est,peccatum est non recte. oportet enim si fieri potest, omnino nusquam errari. Præterea utrorum est peccatum maius, eorum'ne; quæ sunt secundum artẽ,an eorum,quæ sunt secundũ aliud accidens? Minus.n.est, si nesciebat in ceruorum specie fœminam cornua non habere, quàm si mala imitatione describeret. *Hòcpertinet ad tertium caput. Si per res, quæ fieri non possunt, finis magis attingatur, illæ tolerabiles sunt. leuius peccatum per accidẽns.*

Ad hæc, si opponitur, non esse uera, at qualia oportet, ut & Sophocles inquit. ipse quidẽ,se *Hòcpertinet ad primum caput.*

facere, quales oportet: Euripides uero, quales
1 sunt. Quamobrem hac ratione soluendum est. Sin
2 autem neutro modo, quòd sic aiunt, ut quæ de
deis dicuntur.

Adduntur primo capiti duo modi.

4 Fortasse enim neq; licet dicere, Melius sic: neque uera sunt: sed casu accidit, quamadmodū Xenophanes, sed non Aiunt hęc.

5 Fortasse autem non melius quidem, sed sic se res habebat, quemadmodum, quæ de armis dicuntur. Lanceæ autem ipsius rectæ in saurotere. id. n. tunc institutum habebant, quemadmodum etiam nunc Illyrici.

Subintelligendum ét Vbi.

3 De illo autem, quod bene, aut non bene, aut dictum est ab aliquo, aut factum, non solum considerandum est, in ipsum, quod factum est, aut dictum, intuendo, utrum ipsum laude, an reprehēsione dignum sit. sed etiam in agentem, aut dicentem, ad quem, aut quādo, aut quo, aut cuius caussa, quemadmodum, aut maioris boni, ut fiat, aut maioris mali, ut ne fiat.

Hoc pertinet ad secundum caput.

Hæc aūt intuendo ad elocutionē soluenda sūt.

Lib. 1. Il.

1. quemadmodū per linguam ὀυρῆας μὲν πρῶτον. fortasse enim non mulos, sed custodes dicit.

Lib. 10.

& in Dolonem, specie quidem erat malus non corpore incomposito, sed facie turpi. Nam Cretēses, pulchritudinem faciei uocant ἐυειδὲς.

Lib. 9.

Et illud ζωρότερον δὲ κέραιρε, non meracius, ut temulentis, sed citius.

Lib. 2.

2 Illud autem per translationem dictum est, Α῎λλοι μὲν ῥ῎α θεοίτε, καὶ ἀνέρες εὖδον παννύχιοι Alii quidem diiq;, & homines dormiebant totam noctem.

Lib. 10.

& illud ἤτοι ὅτ᾽ ἐς πεδίον τὸ τρωικὸν ἀθρήσειεν, καὶ αὐλῶν συρίγγοντ᾽ ὁμαδὸν, siue hic in campum Troianū respiceret, & tibiarū, fistularumq. uocē.

Nam

Nam πάντες omnes pro hac uoce πολλοὶ multi ſecundum translationem dictum eſt, quia πᾶν omne eſt πολύτι multum quiddam.

&illud οἴη δ' ἄμμορος ſola expers ſecundum tranſlationē. quod enim notiſſimum eſt, ſolum eſt. Li.5.Odyſſ. Lib.2. Il. qui uerſus non extat.

3 Et ſecundum accentum, quemadmodum Hippias Thaſius ſoluebat illud, δίδομεν δὲ οἱ.

Et τὸ μὲν ὃυ καταπύθεται ὄμβρῳ. Lib. 23.Il.

Hæc autē diuiſiōe, ut Empedocles αἶψα δὲ θνητ' ἐφύοντο τὰ πριν μάθον ἀθάνατα εἶναι. ζῶρά τε πρίν ἄκρητα. Intelligendum eſt, cū eſſent prius mixta, & immortalia, facta eſſe pura, & mortalia. non pura prius.

4 Hæc uero per ambiguitatem: Additur quartus modus ſecundo capiti. lib. 10. Il.

παρῴχηκε δὲ πλέον νὺξ. Nam illud πλέων ambiguum eſt.

Atque hæc ſecundum conſuetudinem locutionis. ut aqua temperatum vinum dicunt eſſe. vnde factum eſt, κνημὶς νεοτεύκτου κασσιτέροιο ocrea recens fabrefacti ſtanni. & vocant χαλκέας ærarios, qui ferrum exercent. unde dictus eſt Ganymedes Ioui οἰνοχοεύειν uinum miniſtrare non bibentib. uinum diis. Atque hoc profecto non eſſet ſecundum translationem. Quando autem nomē aliquod uidetur ſubcontrarium aliquod ſignificare, attendendum eſt, quotupliciter ſignificet hoc in eo, quod dictum eſt, ut τῇ ῥ' ἔσχετο χάλκεον ἔγχος, eò quòd hac prohibitum ſit. Illud autem Lib.20. Il. Lib.19. Il. Lib.20. Il.

Quo-

Quotupliciter contingit sic quodammodo. maxime uero siquis suspicetur per eam rationem, quę è regione est. uel, ut Glauco dicit, quòd non nulla sine ratione præsumunt. & ipsi, cúm iam alterum condemnauerint, syllogismo concludunt, & tamquam eos, qui dixerint, quod uidetur, reprehendunt, si subcontrarium extiterit ipsorum existimationi. Atque hoc patiuntur, quæ de Icario dicũtur. Existimant enim ipsum Laconem esse. Absurdum igitur, aiunt, est non congressum esse cum eo Telemachum, cum Lacedæmona iuit. Idque fortasse se habet, ut Cephalenes aiunt; à se enim uxorem duxisse dicunt Vlyssem, & esse Icadium, non Icarium propter erratum.

Hæc referuntur ad superiora capita.

Quęstio autem res uerisimilis est. Omnino uero, quod fieri non potest uel ad poesim, uel ad melius, uel ad opinionem oportet redigere. Nam qđ attinet ad poesim, magis eligendum est appositũ ad persuadendum, quod fieri non potest, quàm non appositum ad persuadendum, quod fieri potest. Ac fieri non potest, ut tales existant, quales Zeuxis pingebat. verum spectatur etiam melius. nam exemplum debet exuperare.

Ad ea, quæ dicunt, reducuntur ea, quę sine ratione sunt. & sic etiam dicendum, quòd aliquando non est præter rationem. uerisimile enim est etiam pręter verisimile fieri.

Subcontraria uero, ut dicta sunt, oportet considerare, quemadmodum in sermonib. refutationes, si idem, & ad idem, & simili modo. Quare & ipse respicit aut ad ea, quę ipse dicit, aut ad id, quod prudens supponat.

Quæ sit recta reprehensio.

Iam recta reprehensio est & uacare ratione, & prauum apparere, quando non existente necessitate usus fuerit aliquo, quod uacet ratione. quemadmodum

admodum Euripides illo Aegeeti.prauum,vt Menelai in Oreste. Atque has quidem reprehésiones ex quinque formis afferunt.

1 Nam sunt aut tamquàm ea, quæ fieri non possunt. *Quinque reprehensiones*

2 Aut tamquàm sine ratione.


3 Aut tamquàm perniciosa.

4 Aut tamquàm subcontraria.

5 Aut tamquàm præter eam rectitudinem, quæ secundum artem est.

Solutiones vero ex dictis numeris consideran dæ.& duodecim sunt. *Numerus solutionum. Quinque primi capitis. Quattuor secundi. Tres tertij.*

VTRVM EPICVM POEMA PRAESTET TRAGICO, AN TRAGICVM EPICO.



IAMVERO, vtrum sit melior Epopœica imitatio,an Tragica, dubitare aliquis posset.

1 Nam si quæ minus onerosa est, melior est, & talis pertinet ad spectatores meliores, manifestum est, quæ omnia imitatur, onerosam esse. Quasi enim non sentientibus, nisi ipse poeta adiunxerit motionem multam,mouentur, vt mali tibicines voluētes se,si discum oporteat imitari, & trahētes coryphæum,si Scyllam cecinerint. Ac Tragędia quidē *Duæ rationes, quibus præfertur. Epopæia Tragædiæ.*

 talis

talis est,quemadmodum etiam,qui prius fuerunt existimabant posteriores histriones. Nam Mynniscus Callipedem vocabat tanquam nimis exuperantem simiam. Ac talis etiam opinio de Pindaro erat. Vt autem isti se habent inuicem, sic tota ars ad Epopœiam se habet.

2 Atque hanc quidem circa spectatores probos aiunt esse. Quamobrem nihil egent figuris. Tragicam vero ad improbos. Igitur onerosa peior profecto erit.

Respõsio ad primam rationem.

1 Ac primum quidem accusatio non est artis poeticæ,sed histrionicę.

2 Quoniam potest vti signis etiam, qui recitat Epopęiam,id quod faciebat Sosistratus, & qui canit,id quod faciebat Mnasitheus Opuntius.

3 Deinde non omnis motio improbanda,siquidem neque saltatio, sed motio improborum. id quod etiam Callipidi vitio dabatur,& nunc alijs, tanquàm non ingenuas mulieres imitantib.

Respõsio ad secundam rationem.

1 Præterea Tragœdia etiam sine motione facit illud,quod habet proprium,vt Epopœia. Nam per lectionem manifesta est,qualis sit.

2. Si igitur est in alijs melior,hoc certe, vt ipsi insit,necessarium non est.

Quæ habeat Tragœdia præter illa, quæ habet Epopœia.

1 Deinde,quoniã habet omnia,quæ habet Epopœia. etenim metro licet vti.& quòd non paruam partem habet Musicam, & apparatum, per quam voluptates constituuntur euidentissime.

2 Deinde & euidens habet & in lectione, & in actibus.

Quæ meliora habeat Tragœdia, quàm Epopœia.

1 Accedit quòd finis imitationis est in minore longitudine.

Nam strictius est iucundius,quàm id,quod multi temporis mixtionem habet. Dico autem, quẽadmodum siquis componeret Oedipum Sophoclis

clis in quot versib. Ilias est.

2 Præterea minus vna est qualiscunque imitatio Epicorum. Signum autem est, quòd ex qualicunque imitatione plures Tragœdiæ conficiuntur. Quare si vnam fabulam faciant, necesse est, vel vt breuiter ostensa appareat cauda muris, vel vt sequeus metri longitudinem appareat aquea. Sed si faciant plures, quemadmodum si ex plurib. actionib. fuerit composita, non erit vna, vt Ilias habet multas tales partes, & Odyssea, quæ etiam per se habent magnitudinẽ, etiam si hęc poemata constituta sint, quantũ fieri potest, optima, & quã maxime sint imitatio actionis vnius.

3 Si igitur & propter hæc omnia præstat, & propter artis etiam opus, (oportet enim ipsas non quamlibet efficere voluptatem, sed eam, quæ dicta est) apparet eam, quæ magis finem consequitur, meliorem sine dubio esse Epopœia.

Ac de Tragœdia quidem, & epopœia, & ipsis, & formis, & partib. ipsarum, & quot sint, & quid differant, & quæ caussæ existant eius, quod bene est, & quod bene non est, & de reprehensionib. & solutionib. tam multa dicta sint. *Epilogus.*

AVGVSTINO NANIO, PATRITIO VENETO,

Antonius Riccobonus Rhodiginus S. D.



OLVNTATIS tuæ significatio eò me adduxit, Augustine Nani, iuuenis magnifice, vt non solum id præstiterim, quod à me per litteras depoposcisti, sed plus etiam curauerim, quàm tu postulasti. Cum enim superioribus diebus de re Comica publice disputauerim, quibus disputationibus adesse non potuisti, rogasti me propter flagrans harũ rerum studiũ, quo mirabiliter exardescis, vt tibi seruarẽ eas, quas memoriæ caussa soleo conficere annotationes. ego vero nõ solũ ipsas seruaui, vt tibi gratificarer, quæ in aduersarÿs iacẽtes facile interÿssẽt, verũ ẽt,

quia

quia gestit animus meus magnificentiæ tuæ morē gerere, aliquantisper dilataui: propterea quòd si eas informes, & inchoatas misissem, verebar, ne plus incommodi tibi afferrem in ipsis legendis, quàm vtilitatis in cōtemplandis. Itaque scripsi totā comicam rationem; eamq; volui in tuo potißimum nomine apparere, ut siquid commodi ex ea ad studiosos poeticæ facultatis manauerit, id ei acceptum referatur, cuius caussa confecta est; quæ si tibi placuerit, gaudebo: sin minus, illud saltem consequar, quòd me uoluisse tibi obsequi, ut soleo tui similibus, intellexeris. Vale, Patauij kal. Mart. M D LXXIX.

DE RE COMICA EX ARISTOTELIS DOCTRINA.



ANTONII RICCOBONI disputatio.



VM in principio artis Poeticę quinque poematum genera Aristoteles Cmmemorasset, Epicũ, Tragicum, comicum, Dithyrambicum, Auleticum, Citharisticũ; de Tragœdia quidem, & de Epopœia quæ ipse scripsit, ad nos peruenerunt: de Comędia uero, & de ceteris formis poesis, iniuria temporum magni philosophi scripta interierunt. Non enim dubitandum est, quin de illis multa conscripserit, & maxime de Comędia, cum de ea proposuerit se tractaturũ, posteaquàm de Tragędia, atque de Epopœia disputasset; & in Rhetorica etiam citauerit tractationem de ridiculis, quæ sine dubio ad Comœdiã pertinebat; quamque fuisse in libro secundo artis Poeticę doctissimorum hominum coniectura est. Nobis igitur consilium accidit, tum de Comœdia ea colligere omnia, quæcunq; apud gra-

cerum suum est insectatus, quia sibi filiam despõ satam uxorem non daret, ut illum ad laqueum cum filia compulisse dicatur. In vetere Comœdia nominabantur ij, in quos maledicta conijciebantur, ut in Pluto Aristophanis Patrocles ille, qui tota uita nunquam lotus est. & in Nephelis eiusdem Aristophanis Socrates, quam Comœdiã scripsit Aristophanes, vt gratificaretur Anito, & Melito inimicis Socratis, introducens Strepsiadem patrem Philippidis, mittentem filium ad gymnasium Socratis, qui inuenit eum cum Cherephonte disputantem de rebus minimis, de saltu pulicis, & de similibus; ac disputationes eius esse nebulas, quæ non consistunt, sed facile dissol uuntur. Formam accepit, ut putat Donatus, ab Odyssea, ubi est duplex constitutio fabulæ, quæ complectitur meliores, & peiores, &, ut testatur Aristoteles, est magis Comœdiæ propria, ubi etiã inimicissimi, ut Orestes. & Aegisthus, amicissimi fiunt, & nullus per alterum moritur. Vel potius à Margite; cuius stultissimi hominis meminit Plato in Alcibiade, scribens auctoritate Homeri, Margitem multa quidem scire, male au tem scire omnia, id est, in perniciem suam. & Aristoteles libro sexto Ethicorum comprobans uerum sapientem diuersum esse ab eo, qui quodammodo est sapiens, Homeri de Margite testimonio; quem alii scribunt fuisse ita stultum, vt ignoraret, quis'nam maiore ætate esset, ipse'ne, an mater ipsius, & quis ipsum peperisset, pater'ne, an mater. Præterea matrem habuit Iambicam, unde manauit ridiculum conuicium, carmen iam bicum & quoddam uerborum genus: nutricem Phallicam, ἀπὸ τοῦ φαλλοῦ id est à priapo dictã, unde sumpta est turpitudo, saltatio, harmonia.

2 Constat uero Comœdiam inuẽtam esse apud Dorienses : sed apud quos Dorienses, incertum est. Nam inter se dissenserunt ij, qui Megaram Græciæ incoluerunt, & ij, qui Megaram Siciliæ, & ij, qui Peloponnesum. Nam qui Megaram Græciæ habitarunt, Comœdiæ inuentionem sibi uendicarunt propter antiquam suam libertatem popularem, vbi illa potuit exerceri: non enim habuit locum Comœdia uetus sub tyrannide, nec sub oligarchia, sed sub democratia, in qua multum proderat moribus ciuitatis, cum vnusquisque sequi uirtutes studeret, ne publice eius vitia reprehenderentur. Qui vero Megaram Siciliæ, quòd Epicharmus Siculus fuerit uetustior Chonnide, & Magnete antiquis Comicis Græcis.

At, qui Peloponnesum, quòd Comędia dicta sit à uoce Peloponnesiaca, ut ἀπὸ τῶν κωμῶν, id est à vicis, per quos uagabantur poetæ ueteres comici, notando uitia singulorum hominum: non à voce Attica κωμάζειν, idest comessari, & comessare. significat etiam κωμάζειν amicæ laudes noctu canere. Præterea quòd δρᾶν, id est agere, & repræsentare, unde dramata, sit uox Pelopõnesiaca.

3 Quomodo autem Comœdia aucta sit, non satis apparet; quia primis temporib. in honore non fuit. Cur autem in honore non fuerit, afferuntur ab Aristotele duæ caussæ; quòd sero magistratus concesserit chorum comœdorum, vbi chorus accipitur pro multitudine interloquutorum, & quòd pauci poetæ eam tractauerint. Quidam afferunt aliam caussam, ꝙ esset composita ex maledictis non asperis, & seueris, qualia iambico poemate exprimebantur, sed scurrilib. & ridiculis. Alij dicunt Comœdiam fuisse contemptam non propter se, sed propter malos poetas. Ignoratur ergo quis

Co-

Comœdiæ aſſignauerit perſonas, & prologos, & multitudinem hiſtrionum. Ac ceterarum rerum comicarum inuentio obſcura eſt præter fabulæ comicę inuentionem. Nam apud Græcos, uel Athenienſes fabulam inuenit Crates: apud Siculos Epicharmus,& Phormis. Comœdiæ ueteris auctor uetuſtiſſimus nominatur Sãnyrio. Floruerũt aũt belli Pelopõneſiaci tẽporib. circiter Olympiadem 87. illi, de quib. ſic Horatius lib. 1. Sat. 4.

Eupolis, atq; Cratinus, Ariſtophanesq; poetæ
Atque alij, quorum Comœdia priſca uirorũ eſt,
Siquis erat dignos deſcribi, ꝙ malus, aut fur,
Aut mœchus foret, aut ſicarius, aut alioquin
Famoſus multa cum libertate notabant.

Ciceronis uerba ſunt ad Atticum lib. 6. Εὔπολιν τῆς ἀρχαίας quis non dixit ab Alcibiade nauigante in Siciliam deiectum eſſe in mare? Plutarchus in uita Periclis ſcribit Periclem ab eo dictum eſſe κεφαληγερέταν, id eſt, capite oblongo, & amplo, ac quaſi congregato. Hæc poſtea fuit mutata, & nomen obtinuit mediæ, quę diſſimulato nomine uitia tantum exagitabat. Horatius;

- - ſed in uitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. lex eſt accepta, chorusque
Turpiter obticuit ſublato iure nocendi.

Hãc ſequuta eſt Comędia noua, in qua primas tenuit Menãder, potiente rerũ Alexãdro Magno. Cicero in Bruto memoriæ prodit Liuium primũ fabulam dediſſe C. Claudio Cæci F. qui in Catone Cẽtho nominatur,& M. Tuditano coſ anno ante q̃ natus eſt Ennius, poſt Romã conditã quartodecimo,& quingenteſimo. In præfatione primę Tuſculanię aut corrupte leguntur anni D X. pro DXIIII. aut eſt Ciceronis μνημονικὸν ἁμάρτημα: aut numerus rotundatus eſt. De poetis comicis

Latinis legendi sunt uersus Volcatij Sedigiti apud Gellium libro 15.cap.24.in quibus Plautus quidem præfertur Terentio,quoad sermones comicos, & ridiculos, etiam si inferior sit quoad mores,& proprietatem sermonis.quod confirmat Varro apud Nonium in hunc modum; In argumentis Cæcilius poscit palmam : in ethesin Terentius : in sermonibus Plautus. & Seruius in primum Aeneidos sic : Sciendum est Terentium propter solam proprietatem omnibus comicis esse præpositum,quibus est,quantum ad cetera spectat,inferior. Hactenus de origine Comędię sequitur,vt,quid Comœdia sit,exponamus.

DEFINITIO COMOEDIAE.



Efinitur Comœdia, vt sit imitatio,quæ fit sermone,saltatione, harmonia, per modum actiuū, in materia eius vitij, quod mouet risum.

1 Est imitatio : quia omnis poesis est imitatio, ut probatur ab Aristotele initio Poeticæ.

2 Cum fiat triplici instrumento, distinguitur ab Epopœia, quæ fit sermone tantum; ab Orchestica,quæ saltatione tantum, ab Auletica, & Citharistica,quæ saltatione, & harmonia. Primum autem instrumentum Comœdiæ est sermo, de quo quæritur, an ipsa possit fieri soluta oratione. Nam Sophron, Xenarchus, & Plato imitati sunt soluta oratione. ergo uidetur etiam comica imitatio posse fieri sine versu. Respondet Aristoteles,agens de Epopęia,id commune non esse, id est communiter receptum. Itaque si esset com.

muniter

muniter receptum, admitti posse uideretur. At nostris temporibus est communiter receptum. ergo admitti potest. Nam ita postulat usus;

Quem penes arbitrium est & ius,& norma loquendi, ut nobilis Poeta ait. Quòd si non vsum, sed rationem attendamus,profecto uidebitur Comœdia, & omnis poesis, uersu esse conficienda; non quòd versus constituat naturam poesis, sed quia sit proprium instrumentum, uel uestimentum eius. Non constituit naturam poesis: quia versus sublatus diuersam non reddit poesim. Nam Oedipus Sophoclis soluta oratione scriptus adhuc est poesis quædam. & uersus additus historiæ, ipsam historiam non efficit poesim. historia enim Herodoti uersibus conscripta adhuc est historia quædam. Est tamen proprium eius instrumentum,uel uestimentum. Quare, quemadmodum, si historia uersibus scribatur,est quidem historia, ut inquit Aristoteles, sed historia quædam,id est, ut ego interpretor,quodammodo deformis: sic poesis si soluta oratione conficiatur, erit poesis quædam, id est deformior, quia proprio instrumento non utatur; vel proprio careat uestimento, perinde ac uir indutus ueste muliebri,& mulier induta ueste uirili. atque hoc modo erit reprehendenda; ut reprehensi sunt Mimi. Xenarchi, & Sophronis,ac sermones Socratici. Accedit quòd, vt quidam subtilissime notarunt, soluta oratio scenæ est minus accommodata propter submissionem suam: uersus accommodatior propter elationem. in soluta enim oratione non conuenit vocem extollere, nisi quantum necesse sit, ut alter alterum audiat; alioquin aut surdi, aut stulti existimarentur: at in uersu indecorum non est extollere ita uocem, ut à

ſpectatorib. audiatur. Secundum inſtrumentum eſt ſaltatio, quæ adhibebatur in choris. Saltatores autem, ut inquit Ariſtoteles, per figuratos numeros imitabantur mores, & perturbationes, & actiones. Tertium inſtrumentum eſt harmonia cantus, & ſoni. Nam quidam cantabãt: quidam etiam ſonabãt, ut tibicines. Ac tibiæ uel dextræ, uel ſiniſtræ fuerunt. Siniſtræ habuerunt grauiorem ſonum: dexteræ acutiorem. probatur ex Pli. li.6.c.36. de materia tibiarum legẽdus eſt Iulius Pollux lib. 4. Præterea tibiæ aut erant pares, aut impares. pares habebant cauernam foraminis parem, ideoque ſonum parem reddebant, & dicebantur Saranæ. Impares cauernam imparem; ideoq́, ſonum imparem, & Phrygię. Legendus eſt Seruius in librum nonum Aeneidos.

3 Comędia habet modum actiuum. Sic diſtinguitur à Dithyrambica, quæ modo narratiuo utebatur. & ab Epopęia, quæ utitur mixto.

Triplex eſt materia poeſis; meliorum, peiorum, mediocrium. Tragędia eſt imitatio meliorum: Epopęia meliorum, peiorum, mediocrium. Comœdia peiorum, non in omni uitij genere, ſed in eo, quod mouet riſum.

Ergo conuenit Comœdia cum aliis partibus poeſis, quia eſt imitatio.

Cum Epopœia in genere tantum:
quia ambæ imitationes.

Cum Tragędia { in genere / inſtrumento / tempore / modo,

quia ambæ imitationes ſunt: ambæ imitantur ſermone, ſaltatione, harmonia, ambæ vnico ſolis circuitu clauduntur. ambæ fiunt per modum actiuum

actiuum.

Cum Auletica,& Cithariſtica in genere tantũ.

Differt ab Epopœia { in inſtrumento / modo / materia / tempore

quia Comœdia vtitur triplici inſtrumento, vt ſuperius declaratum eſt; Epopœia ſimplici, nẽpe ſermone tantum, illa modum actiuum habet, hæc narratiuum mixtum.illa in ſimplici materia verſatur,nempe peiorum:hæc in triplici, meliorum,peiorum,mediocrium.illa vnico ſolis circuitu comprehenditur:hæc tẽpore indefinita eſt.

A Tragędia in materia.


quia Comędia habet materiam peiorum: Tragœdia meliorum.

A' Dithyrambica. { in materia / in vſu inſtrumentorum.

quia Comędia ſimplicem materiam tractat: Dithyrambica triplicem,quemadmodum etiã Epopœia.illa vtitur tribus inſtrumentis in diuerſis temporibus:hæc in eodem tempore.

Ab Auletica, & Cithariſtica in numero inſtrumentorum.Comœdia enim habet tria inſtrumenta,ſermonem,ſaltationem,harmoniam:Auletica,& Cithariſtica ſaltationem, & harmoniam.

PARTES COMOEDIAE QVAE DIcuntur qualitatis.



SATIS explicata est definitio Comœdiæ. Nunc ad partes qualitatis veniendum est, quæ eædẽ sunt in Comędia, ac in Tragędia, idest fabula, mores, sententia, dictio, harmonia, apparatus. Fabula est rerum compositio, quæ actiones extra scenam habitas imitatur. Mores sunt, secundum quos agẽtes cuiusdammodi apparent. Sententia est enunciatio mentis vel in vniuersum; vel in parte, quę uel confirmat aliquid, vel refellit, vel cõcitat, vel sedat, vel amplificat, vel diminuit. Dictio est per verba interpretatio. Harmonia est compositio cãtus, vel soni. Apparatus est pars, quæ allicit animus ex ipso prospectu. Ex quibus partibus tres existunt, quas poetæ imitantur, fabula, mores, sententia: duæ quibus imitantur, dictio, harmonia: vna, in qua imitantur, apparatus. Iam de singulis breuiter agamus.

Fabula Comica est principium, & finis Comœdiæ. principium in poeta, qui primum in fabulã debet intueri. finis in alijs partib. quę ad fabulam tamquàm ad finem referuntur. præterea est animus Comędiæ, vt quẽadmodum corpus per animam viuit, sic Comœdia per fabulam animetur. Fabulæ autem proprietates enumerantur octo.

1 Nam debet esse tota, quod tamen non nullã habet dubitationem. In Menęchmis. enim Plauti hęc res agitur, quemadmodum mercator Siculus habens duos filios geminos Menæchmum, & Sosiclem, Tarentum profectus sit cum Menæchmo

&

& Menæchmus surreptus sit,& auectus Epidamnum, & adoptatus à raptore, ac factus hæres ei mortuo,& pater mortuus sit Tarenti, & auus habito nuntio de ea re immutarit nomen Sosicli,& eum nominarit Menæchmum, & hic quæritans fratrem per omnes oras venerit Epidamnum, & habitus sit pro vero Menæchmo à meretrice, ab vxore,à socero. Iamuero hæc tota actio non repræsentatur:sed tantum pars vnius diei,quo fratres congressi sunt.Sic dici potest de actionibus aliarum Comędiarum,quæ non totæ,sed secundum partem,repræsentantur.Ad quam dubitationem quidam responderunt,& recte,nostro quidē iudicio,responderunt, duplex esse totum, vnum magnum,vt corpus humanum: alterum paruum vt caput hominis.& in actione comica intelligi totum paruum, vt repræsentetur non tota actio multorum dierum, sed tota actio vltimi diei, in qua seruetur principium, medium, & finis.

2 Debet congruentem magnitudinem habere ut nec perexigua, nec permagna sit, sed accommodata ad eius temporis prospectum, quod fert commodum spectatorum,cum ratio commodi popularis habeatur,& necesse habeat populus post aliquot horas de theatro propter humanas necessitates discedere.Itaque tp̄s fabulæ comicæ accōmodatum necesse vnius, aut duarum horarum, nec duodecimam præterire censendum est.

3 Debet esse una,tametsi enim quandoque duæ actiones exprimantur,vt in Andria Terētij actio Pamphili amantis Glycerium,& Charini amantis Philumenam,tamen vna est præcipua, altera aduentitia, & episodica. Tempus antem duodecim horarum,& angustia loci non permittit in Comędia multitudinem actionum.

4 Debet

4 Debet esse verisimilis. & hæc verisimilitudo spectatur in vniuersalibus, in singularibus, in nominibus. Nam vniuersalia tractantur, quæ contingere multis personis possunt: singularia vero, si sumantur, tractanda sunt in vniuersum ita, vt multa in eis fingantur ex verisimilitudine. Nomina autē ponenda sunt ex morū qualitate, vt Chremes auarus, Phœdria hilaris, Sophrona prudens, Mitio mitis, Demea demens. Thraso audax, & similia, in quibus decet consuetudinē loci, obseruare, qui repræsentatur. Quamobrē non possumus non probare illos, qui tametsi nouitas nominum soleat delectare: tamē propter verisimilitudinē in conuersionib. mutant nomina, & illa adhibēt, quæ sunt vsitata in ea lingua. in quam fit conuersio, ac simul mutant locū. Nā parū verisimile videtur esse, personas græcas in vrbibus græcis latine agere, vt apud Plautum, & Terentium, Nisi dicamus supponi populum ita rudem, vt putet omnes gentes, & nationes vno vti sermone. quod magis probaretur, si Comœdia non ageretur illis in vrbibus, in quibus diuersæ linguæ quotidie audiuntur.

5 Non debet esse episodica, idest contaminata superuacaneis episodijs Intelligunt hic subtiliores explicatores episodia res inuentas ad ostendendam naturam facti, quod summatim tantum cognoscitur, quæ verisimiliter, aut necessario nectenda sunt. vt summatim cognoscitur iu Menæchmis Plauti Menæchmum Sosiclem agnouisse Epidamni Menæchmū surreptū, fratrem suū. quæ inuenta sunt ad ostendendam naturā huius facti dicuntur episodia, quæ verisimilitur, aut necessario nexa sunt, vt cū Peniculus loquitur, superuenit Menæchmus surreptus increpans vxorem suā

inde

inde exit Erotium meretrix,& mittit Cylindrum ad emendum obsonium, postea venit Menæchmus Sosicles cum seruo, & falso accipitur à Cylindro, deinde ab Erotio, post à Peniculo, tũ àb ancilla, deinceps ab vxore. sic fit progressus in ceteris partibus, quæ verisimiliter, aut necessario nexæ sunt.

Debet esse admirabilis, vt per ridiculam deceptionem inducat huiusmodi deceptionis purgationẽ: admiratio enim rerum malarum,& turpiũ, quæ in Comœdijs irridentur, ac vituperantur, docet spectatores, ne in illas incurrant. Nam, quemadmodum Tragœdia mouet admirationem in rebus miserabilibus,& metuendis: sic Comœdia in turpibus,& irridendis. vt cum in Adelphis Terentij Demea pater decipitur,& credit Ctesiphonem esse filium probum, Aeschinum improbum, ex huiusmodi deceptione oritur admiratio, quæ cõmonefacit spectatores, ne similiter decipiantur, & hæc purgatio est propria Comœdiæ.

7 Debet esse implexa, vt sit pulcherrima, quę habeat mutationẽ aduersæ in prosperã fortunã. Nã simplex est, quæ habet vnũ fortunæ tenorẽ, ita vt progressus actionis sit semper felix, quemadmodum Prometheus Aeschyli fingitur semper infelix. Implexa, cũ fit mutatio fortunæ per peripetiam, & agnitionem, vtcum fit conuersio turbarum in nuptias, pacem,& tranquillitatem.

8 Debet esse affecta, vt moueat lętitiam,& molestiam. lętitiam ex turpitudine occultata, vel cessante, ex persona recuperata, ex amore expleto. molestiam ex turpitudine accepta, vel perdurante ex persona amissa, ex amore impedito, ex eiusmodi rebus, quæ cum repræsentantur in scenis, simul mouent animos spectatorum. Quia in re-

mira

similitudo refertur ad eos, de quib. alij scripserunt. Cum autem in Comœdijs nomina propria fingantur, & non sint antiqua, vt fere in Tragœdijs, ualebit hoc præceptum nostris temporibus ad exprimendos mores quarundam personarum tales, quales iam communiter sunt recepti, vt Pantaleonis Veneti, Ioannis Bergomatis, Gratiani Francolinensis, & aliarum huiusmodi personarum, quas alij introduxerunt.

Postremo sunt exprimendi mores æquales, de quib. Horatius.

Seruetur ad imum,

Qualis ab incepto processerit, & sibi constet,

Quamquam hoc videtur habere dubitationem, quia quandoque fit mutatio in Comœdijs, vt in Demea, & in Mitione apud Terentium, Demea enim in principio durus, in fine lenis, in principio auarus, in fine prodigus apparet. Mitio vero ad extremum multum remittit de natura sua. Responderi tamen videtur posse, aut mutationem morũ fieri sine vlla caussà in poemate expressa, quæ valeat ad efficiendam huiusmodi mutationem, & tunc cum reprehensione poetarum, aut cum caussa, & tunc sine reprehensione, quemadmodum cum Demea mutatur, exprimens caussam mutationis suę multis verbis, & illam sententiã proferens; Re ipsa repperi.

Facilitate nihil homini esse melius, neque clementia.

Mitio etiam aliquantisper mutatur propter nimiam profusionem Demeæ, sed apparet quoque mitis.

Tertia pars qualitatis est sententia, quæ intelligitur esse omnis inuentio demonstrationis, concitationis, amplificationis, vt in Adelphis.

Venit ad me sæpe clamitans, quid agis Mitio?
Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumptus suggeris?
Vestitu nimium indulges, nimium ineptus es.
Nimium ipse durus est prçter æquumque, & bonum.
Et errat longe, mea quidem sententja,
Qui imperium credat grauius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quàm illud, quod amicitia adiungitur.

Hoc in loco est sentẽtia demonstrationis, qua probatur Mitionẽ perdere adolescẽtẽ, & nimis ineptum esse, propterea quòd amorib. & compotatio nibus adolescẽtis sumptus suggerat, ac vestitu nimium iudulgeat. & Demeam nimis durum errare, quia qui credit imperium esse grauius, & stabilius per vim, quàm per amicitiam, errat. Præterea est sententia concitationis, qua ostenditur, Demeam mouere pudorem Mitioni ab imprudentia, Mitionem autem non recipere pudorem propter prudentiam suam. Postremo est sententia amplificationis, qua malum, & incõmodum augetur ex facilitate Mitionis.

Quarta pars qualitatis est dictio. de dictione autem Comica colligitur ex Aristotele Comœdię congruere idiotecismum. qua in re valde laudatur Plautus, non valde Terentius, qui vitauit vulgarem elocutionem. Atque huius rei culpa reiecta est in Scipionem, & Lælium, homines nobiles eleganti sermone vtentes, qui ei auxiliati sunt in Comędijs componendis. Qua de re ita in prologo Adelphorum.

Nã quod isti dicũt maleuoli, homines nobiles

Eum

Eum adiutare, assiduéque vna scribere.
Quod illi maledictum vehementes existimant,
Eam laudē hic ducit maximā, cum illis placet,
Qui vobis vniuersis, & populo placent,
Quorum opera in bello, in ocio, in negocio,
Suo quisque tempore vsus est sine superbia.

Elegantior igitur visus est Terētius, quàm ferre natura Comędiæ videatur, quē Cicero ad Atticum citat, tanquā bonū latinitatis auctorem propter elegantiam sermonis, cum appellet Cœciliū malum auctorem latinitatis. Probatur autem ab Aristotele in Iambicis, & sic etiam in Comicis, qui vtuntur iambis, formæ omnes elocutionis, quæ ad communem sermonem sunt accommodatæ, vt propria, translata, epitheta.

Quincta pars qualitatis est harmonia, & appellatur ab Aristotele maximum condimentorum, ac intelligitur per id, quod sub aurium sensum cadit; consequens poeticæ, non proprium, nec necessarium, quia sine eo potest poesis existere.

Sexta pars qualitatis est apparatus, qui sub visum cadit. primus autem Sophocles voluit scenā depingi, & fieri prospectum ad agendas Tragœdias. quod postea ad Comędias trāslatum est. Donatus scribit in Comędia omnes seruos fuisse eodem modo vestitos, sic puellas, & alias personas. De vestib. comicarū personarum legendus est Iulius Pollux lib. 4. cap. 18. Nam senum vestis erat purpurea, vel nigra. Iuniorum purpurea. Seruorum vestis erat exomis, idest tunica alba ignobilis, in sinistro latere sutelam non habens. Parasiti vestis nigra, pullave, vel alba, cū nuptias esset celebraturus. Parasitus aūt ferebat pectinē, & lecythum. Coqui duplex, & rudis vestis. Lenones tincta tunica, & amiculo splendido induebantur; virgamque rectam gerebant, quæ ἄρεσκον no-

minatur. Pera, ideſt, ſacculus ad lumbos pendens; & dipthera, ideſt indumentum ex pellib. cōfectum ad ruſticos pertinens, qui ferebant pedū. Anuum veſtis erat melina, vel cærulea. ſi erant ſacerdotes, alba. Iuuenum alba, uel byſſina. Nonnullæ mulieres habebant armillam, & ſymmetriam, quæ erat tunica talaris purpuream fimbriam habens. Lenæ, vel meretricum matres vittam quandam purpuream in capite gerebant.

Hactenus de partibus qualitatis.

PARTES COMOEDIAE QVAE DIcuntur Quantitatis.



ARTES quantitatis, ex quibus Comœdia componitur, duorum generum ſunt, aut extra actionem: aut in actione. Extra actionem duæ, prologus ſeparatus non adhibitus in Comœdia veteri, ſed in noua: & chorus adhibitus in veteri, non in noua. In actione quinque, prologus coniūctus, epiſodium primum, epiſodiū ſecundū, epiſodiū tertiū, exodus.

In prologo ſeparato inducitur perſona, quæ non eſt in alijs Comœdiæ partibus, vt apud Plautum fere deus aliquis, apud Terentium conſiliarius, aut defenſor poetæ. Videtur autem quibuſdam ſubtiliſſimis Ariſtotelis explicatoribus, melius induci deus, quàm homo, cum res futuras aperiat, quod magis ad deum, quàm ad hominem pertinet. Ac iiſdem videtur huiuſmodi prologus conuenire Comœdiæ propter eius materiam obſcuram ex conditione perſonarum, non conuenire Tragœdiæ propter eius materiam no tam ex conditione perſonarum, quæ propter dignitatē ſuam altiſſimo loco ſitam ab omnibus obſeruātur. Ac huius quidē prologi præcipua mune

ra

ra existunt tria, vt fabulæ argumentũ exponat, vt fabulam, vel poetam commendet, vt maledictis aduersariorum pro poeta respondeat. Primũ munus præstatur à Plauto, non à Terentio. habet tamen illud rationis, quòd si factum summatim nõ cognoscatur obscurior est actio Comędiæ, & hoc modo minus iucunda. Quare nõ est reprehẽdendus Plautus, apud quem narratur in vniuersum actio, non modi actionis. Quanquã nec factũ quidem Terentij est improbandum, in cuius prologis non exponitur argumentũ fabulæ, ea fortasse ratione, quia magis afficit improuisa delectatio, quàm prouisa, cum præsertim in singulis partib. Comœdiæ ita vitetur obscuritas, vt singillatim ipsas cognoscere facillimũ sit, etiam si factum in prologo non narretur.

Chorus dupliciter accipitur, vt alij quoq; obseruarunt. primum pro multitudine interloquutorum tum in Tragędia, tum in Comœdia, vt apud Platonem de Rep. & apud Aristotelem, cũ dicitur in Poetica, sero magistratum concessisse chorum comędorum, quem Terentius appellat gregem. & hic chorus sine dubio est in Comędia. Deinde pro multitudine personarum, quæ repræsentat vniuersitatem, vel populũ aliquẽ. Atq; hic dupliciter consideratur, aut quatenus per aliquã personã loquentẽ ducit fabulã ad finẽ ipsius, & est pars actionis, nec ꝓprie dicitur chorus; aut quatenus canit, & iudicat de actionib. Regis, ac proprie dicitur chorus. atque habet locũ in Tragędia, nõ in Comędia noua: quia in actiones regias, quales sunt Tragicæ. populus intuetur, cum præsertim sint admirabiles, vt possit de illis iudicium facere, non sic in actiones priuatas, quales sunt Comicæ. Chorus autẽ Tragicus, vt testatur Iulius Pollux lib. 4. continebat quindecim personas, Comicus quattuor & viginti. pro choro nunc adhibentur mimi, & harmonia, vel saltatio.

Prologus coniunctus in Tragędia, & Comędia tã veteri, quàm noua, est primus actus, vt in Tragędijs Sophoclis, & Comędijs Aristophanis, ac Plauti, & Terentij. A'recentioribus hæc pars dicitur protásis, idest propositio, & initium dramatis, ac actionis.

Episodium in Poetica Aristotelis ex obseruatione subtilissimorũ explicatorũ accipitur quadrupliciter, primo modo pro reb. quæ principalẽ actionem antecesserunt, & inseruntur in actione, vt cũ dicitur Homerũ impleuisse poema suũ episodijs. Secundo modo pro reb. quæ euenerunt tẽpore actionis in loco longinquo, & sunt pars actionis; ac per nuntiũ exponuntur, quas Arist. appellat episodia própria fabulæ. Tertio pro reb. inuentis à poeta ad ostendẽdã naturã facti, quod summatim tantũ cognóscitur, quæ episodia necti oportere, docet Arist. ne fabula sit episodica, & quidẽ necti secundũ verisimilitudinẽ, ac necessitatẽ. Quarto pro secũdo, tertio, & quarto actu, qui replentur superiorib. trib. episodijs, & idcirco merito appellãtur episodia. A' recẽtiorib. hoc triplex episodiũ dicitur epitasis, i. incremẽtum, processusque turbatum, ac totius nodus erroris.

Exodus est vltima pars, quæ cõtinet catastrophẽ, & conuersionem rerum ad iucundos exitus.

Quæritur autẽ, cur tantũ sint quinq; actus, nec plures, nec pauciores. Quidã scribũt esse qũinq; ꝑꝑ auxiliũ memoriæ, quia naturaliter diuisio non debet quinariũ numerũ præterire, cũ quinq; digitos natura fecerit in manu, in quib. solemus partes diuisas collocare, vt faciebat Hortensius, qui partes caussæ in digitos diducebat. vnde Græci dicunt πεμπάζειν perfecte narrare. Nos dicimus esse quinq; hac rõne, vt arbitramur, satis probabili, ꝙ partes actionis aut pertinẽt ad summã facti, aut contiñẽt incrementa. Si pertinent ad summã facti, aut valent ad ingressum actionis, aut ad exitũ, vt prologus coniunctus,

&

& exodus.Si cõtinẽt incrementa,vt maiorẽ iucũdita tem afferant,nec debent esse paucæ(absurdũ.n. esset,congregari populũ ꝑ breuissimi tꝑis delecta tionẽ)nec multæ,quia lõgitudine actionis populus læderetur.paucæ essent, si duæ; multæ, si plures, quàm tres.ergo seruata mediocritate congruenter sunt tres,& tria episodia.

DE RIDICVLO.


ELIQVVM est,vt, cũ ꝓpria materia Comœdiæ sint personæ peiores in eo vitij genere,quod est ridiculũ,quæramus, quid sit ridiculũ, de quo tametsi multi doctissimi homines conscripserunt, tamẽ ab re non erit colligere quàm breuissime illa,quæ eius naturam declarent.

Ac ridiculi quidem definitio ex Aristotele colligitur,vt sit,quod mouet risum, ex turpitudine aliqua aut corporis,aut animi, aut rerum extrinsecus positarum,quæ turpitudo placeat.

1 Dicitur,quod mouet risum. Sic cognoscendum est;quid sit risus.Nihil.n.aliud est risus,nisi signum lætitiæ,qđ facit animus ꝑ dilatationẽ cordis ex spirituũ resolutione,qui vincẽte imagine rei lætæ cõtineri non possunt.Ex hac definitione à viris doctissimis tradita apparet,quid sit risus. Apparet simul, quo pacto concitetur,i,quæ sit caussa risus effectrix. nã est lætitia,ac voluptas.Apparet,vbi sit. nã est in animo tãquã in re præcipua,quæ recipit risum, ac in corde,tãquã in instrumento animi. Apparet qũo fiat,nẽpe ex spirituũ resolutione.Apparet qũo latera,os,venæ,vultus,oculi occupentur, vincente imagine rei lætæ vim illã, quę spiritus continet tũ in thorace,tũ in facie,tũ etiã qñq; in cerebro, ita vt eius humiditas ex oculis erũpat,quæ lachryma nuncupatur.vnde Syrus de Demea,Homini illico lachry

me cadunt,quaſi puero,gaudio.

2 Dicitur ex turpitudine,quia,nō omnis res,quæ mouet riſum,appellatur ridicula,vt perſonæ, & res charæ,quib.occurrimus aut primū,aut poſt aliquod t ps.Perſonæ charæ,vt mater,pater,filij, amatores, amici,& eiuſmodi.Rex charæ,vt honores,magiſtratus,lapilli pretioſi, poſſeſſiones,læti nuntij, deniq; res omnes,quæ pōſt diuturnū,& vehemens deſiderium obtinentur.In ridiculo ergo requiritur turpitudo aliqua. Definitur autē turpitudo à Platone in Sophiſta,vt ſit receſſus q̀dā ab eo,ꝙ naturę cōgruit.

3 Dicitur corporis,aut animi,aut rerū extrinſecus poſitarū. Nā quædā eſt turpitudo corporis, cuius exemplū affert Ariſto.ridiculā faciē,turpéq́;, ac diſtortam,qualis fuit facies Therſitis,vnde θέρσιτιον βλέμμα.de quo Homerus lib 2.Il.φολκὸς ἔην,χωλὸς δ᾽ ἕτερον πόδα, & quæ ſequūtur. Quædā eſt turpitudo animi,vt Margitis,de quo ſupra.Alia eſt turpitudo rerū extrinſecus poſitarū,vt generis,rei familiaris,conſuetudinis impudicæ.Suetonius in Veſpaſiano,Flauia gens obſcura,ac ſine vllis imaginibus. Samnites obtulerunt C.Fabricio imperatori dono grandem pecuniam,ꝙ viderent multa ad ſplendorē domus,atq; victus deſieri,neq; pro magnitudine,dignitateq; lautū,paratūq; eſſe. Fabricius non accepit,deducens planas manus ab aurib. ad oculos, ad nares,ad os,ad gulam,ad ventrem,& dicens,dū illis omnib.mēbris,quæ attigiſſet,obſiſtere, atq; imperare poſſet,nunquā quicquā defuturū. auctor Iulius Higinus lib.6. de vita, rebusque illuſtriū virorum Sal.Iam primum adoleſcens Catilina multa nefanda ſtupra fecerat cū virgine nobili,cū ſacerdote Veſtali,& alia huiuſcemodi contra ius,faſque.

4 Dicitur,quæ placet.Nam ſi non placeat, non poteſt eſſe ridicula.Turpitudo n. corporis cū dolore non mouet riſum,ſed miſericordiā, vt quæ in aper

to existunt mortes,& eiulationes,& vulnerationes, & quæcunque talia, queadmodũ cũ Oedipus pp scelus cõmissum sibi eruit oculos, & Iocasta laqueo se suspendit,& Aeolus pp incęstũ Canacis,& Macarei nepotem feris deuorandũ tradidit, & filiã occidit, & Aiax post occisas in furore bestias resipiens se occidit. Ac turpitudo animi cũ improbitate non mouet risum, sed odiũ, vt sceleratus animus Catilinæ, Clodij,& aliorũ. Et turpitudo rerũ extrinsecus positarum sine iactatione,& insolentia, non mouet risum, sed misericordiã. At contra, turpitudo corporis sine dolore ridicula est. & turpitudo animi magis cum stultitia, quàm cũ improbitate coniuncta. Cic. lib.2.de orat. Aderat contra Aculeonẽ Gratidiano L. Aelius Lamia, deformis, vt nostis, qui cũ interpellaret odiose, Audiamus, inquit, pulchellum puerum Crassus. cum esset arrisum, non potui mihi inquit, Lamia, formã ipse fingere, ingenium potui. Tũ hic Audiamus, inquit, disertum, multo etiam arrisum est vehemẽtius. Et turpitudo rerum extrinsecus positarum cum insolentia. Cic. in eodem lib. C. Lælius cum ei quidã malo genere natus diceret indignum esse suis maioribus, vt hercle inquit tu tuis dignus. Hæc triplex turpitudo egregie expressa est apud Terentium. in vero Eunucho, de quo ita Pythias; Hic ẽ vetus, vietus, veternosus, senex, colore mustellino. in Thrasone, qui se stulte iactat, Est istuc datum profecto mihi, vt sint grata, quæ facio omnia in Dauo, cum inter cetera inquit, Omnia habeo, neque quid quam habeo, nil cum est, nil desit tamen.

Iã uero turpitudo, quæ placet, ab ijs, qui de ridiculis scribunt, tripliciter consideratur, vera, ficta, fortuita. Turpitudo animi vera est, vt cũ quidã, qui ferebat arcã, postquã Catonẽ percusserat, dixit, Caue. Ficta, vt cũ Cato simulauit, se nescire, an ille aliud ferret præter arcã. Fortuita, vt cũ accidit aliquem

dicto, aut facto animi errorem patefacere. Turpitudo corporis vera est, vt nasi grypitas, vel simitas à primis natalib. Ficta, vt cum quis claudicat, vt claudicantem irrideat. Fortuita, vt cum quis ita cecidit, vt nihil mali ei contigisse videatur. Turpitudo rerum extrinsecus positarum vera est, vt vera paupertas. Ficta, vt ficta paupertas. Fortuita, vt cũ quis in periculo fuit amittendi bona sua, sicut Sannio in Adelphis.

Praeterea turpitudo, quae placet in Comoedijs, est deceptio, pp quã aliquis dicit, aut facit, aut patitur res, quas nec diceret, nec faceret, nec pateretur, si nõ deciperetur, & quadruplex commemoratur.

1 Quae euenit ex ignorantia earũ rerũ, quae ad cõmunẽ pertinent intelligentiã, qualis fuit ignorantia Margitis, aut ex ebrietate, somnio, phrenesi.

2 Quae ex falsa opinione, cum quis falso putat se excellere in artib. quibusdam, & in virib. corporis, aut animi, atque in his inaniter se iactat, qualis ostentatio Thrasonis apud Terentium.

3 Quae ex eo, ꝙ res in aliam partem accipiantur, aut retorqueantur in ipsarum auctorem. Cato Nobiliorẽ mobiliorẽ appellauit. Tiberius Nero dictus est Biberius Mero. Cum quidã dixisset, Laua os, & non manus, illud responsum tulit, de te non sum loquutus. Cum Q. Optimus consularis, qui adolescentulus male audierat, festiuo homini Egilio, qui videbatur mollior, nec erat, dixisset, Quid tu Egilia mea,


Quando ad me venis, cum tua colu, & lana?
Non pol, inquit, audeo.
Nam me ad famosas vetuit mater accedere.

4 Quae ex alterius insidijs, aut casu, dummodo eũ, qui deceptus est, magnum damnum non consequatur, vt cum maritus ille ab vxore insidijs sociorum cum meretrice deprehensus est. & cum casu à patre deprehensa est filia cum amante dormire, quae cantu

tu luſciniæ delectabatur.

Huius turpitudinis, quæ ridiculum nominatur, explicatio aut eſt εἰρωνεία, aut βωμολοχία. ideſt aut iocus, aut ſcurrilitas. vnum genus, inquit Ariſt. lib. 3. artis Rhetoricæ, libero homini conuenit, alterũ vero ſecus. Eſt autem iocus ſcurrilitate liberalior. nam qui iocatur, ſui cauſſa ridiculum fingit. Scurra vero alterius. libro 2. Ethicorũ legitur εὐτραπελία habere duo extrema, quorum vnum dicitur βωμολοχία, alterum ἀγροικία. Lib. 2. Rhet. definitur ἡ εὐτραπελία πεπαιδευμένη ὕβρις. Ad εὐτραπελίαν pertinẽt τὰ ἀστεῖα, καὶ τὰ εὐδοκιμοῦντα. Elocutionem autem vrbanam fingere Ariſt. lib. 3. Rhet. ſcribit eſſe ingenioſi, aut exercitati. demonſtrare vero methodi, ita vt urbana dicta ſpeciatim à natura pendeant, & exercitatione, generatim arte demonſtrentur, & hoc modo tollatur difficultas illius quæſtionis à Cicerone propoſitæ, vtrum ridicula pertineant ad artẽ, an ad ſolã naturam, quod eruditiſſimus Vincentius Madius notauit in ſua de ridiculis diſputatione, quæ legenda eſt illis, qui copioſiorem hac de re doctrinam habere cupiunt, cum tractatione Ariſtot. li. 3. Rhet. de urbana elocutione. & Ciceronis lib. 2. de orat. vbi ſub perſona Cæſaris diſputat de facetijs. & Macrobij lib. 2. Saturnaliorum, vbi multorum iocos, ac dicteria colligit. & Balthe ſaris Caſtilionei. & aliorum.

INDEX RHETORICAE.



RHetorica ars pag. 1. 201
Rhetorica imperfecte tradita ab aliis. 2
Rhetorica utilis 4
Rhetorica scientia 6.202
Rhetorica facultas 17. 202
Rhetoricę finis persuadere 204
Rhetoricæ munus uidere, quæ pertinent ad persuadendum 206
Rhetoricæ materia, uel res considerata. 208
Rhetoricæ modus considerandi. 212
Rhetoricæ definitio. 6.214
Rhetorica considerat nō omne probabile, sed illud, quod est persuasibile 214
Rhetorica cōposita ex Analytica, & Politica 17.219
Rhetorica agnatum Dialecticæ, & Politicæ 8.220
Rhetorica similis Dialecticæ, & Sophisticæ. 17.221
Rhetorica ἀντίστροφος Dialecticæ. 1.222
Rhetorica particula, & similitudo Dialecticæ. 8.224
Rhetorica pars Logicę 224
Rhetorica an percipi sine Logica possit 245
Rhetoricę minus exacta cōtēplatio, q̃ Politicę. 248
Rhetorica quomodo consideret affectus, an tamquàm suos, an tamquàm alienos 248
Rhetoricę an liceat mouere affectus. 252
Rhet. tres partes, fides, elocutio, partium dispō. 149
Fides duplex artificiosa, non artificiosa 7
Fides artificiosa triplex, demonstratio, mores, affectus, 7
Fides non artificiosa quotuplex, leges, testes, pacta, quæ-

quæstiones, iusiurandum. 65
Demonstratio oratoria, quę est prima fides artificiosa, fit enthymemate, & exemplo. 8
Enthymema quid sit 9.254
Exemplum quid sit 9.265
Enthymematum uarietas 12.255
Enthymematis materia, 9 255. forma 10.255
Exempli materia, pag. 9.262. forma 12.262
Enthymema constat ex uerisimilib. & signis 11
De verisimili 11.267
De signo 11.267
Verisimilia, & signa ducūtur ꝑtim ex formis, ꝑtim ex ꝓpositionib. cōib. ꝑtim ex locis Topicis 274
Formę sunt propōnes singulorū generū. 14.274.280
Genera orationum oratoriarum tria, deliberatiuū, demonstratiuum, iudiciale 14
Deliberatiui generis auditor, partes, tempus, finis. pag. 14. Demonstratiui 14. Iudicialis 14
An oīa contineantur sub trib. generib. caussarū. 275
Quo in gñe sint ecclesiasticę orationes. 278
Formę deliberatiuæ, sunt de reb. cōtingentib. 16. potissimū de quinque. 17. ducuntur ex iis, quæ pertinent ad felicitatē. 20. sunt aut bonorū confessorū. 25. aut controuersorū. 27. aut comparatorū. 29. sunt accommodandæ ad fines Rerump. 36
In formis deliberatiuis quædam explicata. 281
Formæ demonstratiuæ sunt de quattuor reb. 38. ducuntur ab honesto 38. aut sunt generaliores. 38. aut minus generales. 39
In formis demonstratiuis quædam explicata. 284
Formæ iudiciales colliguntur ex triū rerum inspectione, Quæ sint caussæ iniuriarum, Qui faciant iniuriam, Quib. 41
Iniuriam facere quid 45
Quarum rerum caussa fiant iniuriæ. 46
A quibus fiant iniuriæ 55

Iniu-

Iniuriæ,& iustæ susceptæ actiones distinguũtur. 60
Maiores,& minores iniuriæ 63
In formis iudicialib. quædam explicata. 285
Cũ formis coniũgendę sunt propositiones cões. 16.
Propositiones cõmunes sunt quattuor generũ; possibilis, impossibilis: futuri, non futuri: facti, non facti: magni, parui. 16.116
Propositiones possibilis, & futuri cõueniunt magis deliberatiuo 117. propositiones magni demõstratiuo. ibidem. propositiones facti iudiciali. ibidẽ.
Propositiones possibilis 117.288
Propositiones futuri 119.289
Propositiones magni 119.289
Propositiones facti. 118.288
Locus generatim, uel speciatim acceptus. 130.289
Locus selectionis 128.129.296
Locus quid 130.274
Locorum duæ species: una enthymematũ uerorum: altera adumbratorum 130.275
Enthymema uerum aut ualet ad demonstrandum, aut ad refellendum 130.275
Loci enthymematum uerorum ad demonstrandũ. 130.276. ad refellendum. 138.281
Enthymema adumbratum aut spectatur in dictione aut in re 141.142.282
Loci enthymematum adumbratorum in dictione, 141. in re. 142.
Enthymematum dissolutio fit duob. modis 145
Enthymema ducitur ex quattuor reb. uerisimili, exẽplo, tecmerio, signo 146
Quomodo dissoluatur uerisimile 146
Quomodo soluantur signa 147
Quomodo soluantur exempla 147
Tecmeria an possint dissolui ibidem
Enthymematis pars est sententia 123.282. sententia quid sit 123

Quot ſint ſpecies ſententiæ 123
Quomodo utendum ſit ſententiis 124
Sententiæ dictio quàm utilis 126
Exemplum poteſt reduci ad enthymema 282
Exemplum eſt aut rei factæ, aut rei fictæ 120 282
Exēplū rei fictæ eſt, aut parabola, aut logus 121, 283
Exemplorum vſus 122
Mores, in quibus poſita eſt ſecunda fides artificioſa, uarie conſiderantur 283
Mores in Rhetorica ſpectantur trib. rationib. oratoris, auditoris, elocutionis 284
Mores oratoris ſunt tres, prudentia, probitas, beneuolentia 74 284
Mores auditorum conſiderantur quattuor modis, ſecūdū affectus, habitus, ętates, fortunas 107. 285
Mores affectuum ibidem
Mores habituum ibidem
Mores ætatum, vt iuuenum. 108. ſeniorum. 110. virorum. 112
Mores fortunæ; vt nobilium, 113. diuitum. 113. potentium 114 fortunatorum 115
Mores elocutionis ſecūdū genus, & habitū. 163. 286
Moratæ orationis uſus 286
Affectus, in quib. ineſt tertia fides artificioſa, qui ſint. 75. 293
Ad quam animi facultatem pertineant 295
Vnde originem habeant ibidem
Quomodo quidam ēt uirtutes nominentur. 297
Sūt quattuor præcipui voluptas, libido, metus, ęgritudo 297
De uoluptate, & eius partib. 49. 297
De libidine, & eius partib. 298
De metu, & eius partib. 301
De ægritudine, & eius partib. 302
Fidei nō artificioſæ prima pars eſt in legib. de quibus. 63. ſecūda in teſtib. de quib. 66. tertia in pactis,

ctis, de quib. 68. quarta in quęstionib. de quib. 69. quincta in iureiurando, de quo 70
Secunda pars Rhet. est de elocutione 149. 150. 309
An elocutio curanda sit in aliis disciplinis 151. 310
Elocutionis ratio est duplex de uerbis simplicibus, de coniunctis. 311
Simplicium ratio est de propriis, & immutatis, & domesticis. 152. de metaphoris, 153. de epithetis, 156. de diminutiuis. ibid. de frigida elocutione, ibidem, de imagine 158
Coniunctorum ratio est de elocutione emendata, 160. tumida. 161. decora, 162 numerosa. 164. fusa, aut uersa. 1′6. urbana. 170. conuenienti. 177.
Tertia pars Rhetoricæ est de dispositione partium orationis 149. 312
Partes orationis necessarię propositio, & fides. 180. 312. non necessariæ procemium, & peroratio. ibidem. Ad propositionem refertur narratio. ad fidē refutatio 181. 313. 314
De procemio demonstratiuo 181. 319
De narratione demōstratiua 187. 318
De fide demonstratiua 191. 320
Peroratio nō cōuenit generi demōstratiuo 180. 319
De procemio iudiciali 182. 333
De narratione iudiciali 188. 339
De fide iudiciali 191. 335
De peroratione iudiciali. 196. 344
De procemio deliberatiuo 115. 350
De narratione, quæ fieri solet in orationibus deliberatiuis. 190. 351
De fide deliberatiua. 191. 359
De peroratione, quæ fit quandoque in genere deliberatiuo. 181. 348

GENVS poesis imitatio pag. 385
Species imitationis quinque, Epopœia, Tragœdia, Comędia, Dithyrambopoetica, Auletica, Citharistica. 385. 386
Triplex instrumentũ poesis. 386
Triplex materia poesis. 387
Triplex modus imitandi. 387
Poeticæ caussæ duæ imitatio, & harmonia. 388
Imitatio naturalis. 388
Harmonia naturalis. 389
Poesis una grauior, altera humilior. 369
De incrementis Tragœdiæ. 390
De incrementis Comœdiæ. 391
Quomodo inter se conueniant, & differant Tragœdia, & Epopœia. 391
Tragœdiæ definitio 392
Tragędiæ partes qualitatis Apparatus, Melopœia, Dictio, Mores, Sententia, Fabula 392. 393
Fabula præfertur ceteris partib. qualitatis, 393. 394
Ordo partiũ qualitatis secundũ dignitatẽ 394. 395
Fabulæ Tragicæ proprietates. 395. ut sit tota. ibidem magnitudinem habens. ibidem. una. 396. possibilis. 397. non episodica. 398. admirabilis. ibid. implexa. ibid. affectum habens. 400
Disposita per partes quantitatis, quæ sunt prologus, episodiũ, exodus, choricũ, 400. de choro, qui inseritur in actione 410
Quæ sit pulcherrima fabula Tragędiæ 401
De terribili, & miserabili fabulæ Tragicę. 402
De receptis fabulis, & nouis 403
De constituendæ Tragicæ fabulæ gradib. 403
De solutionib. 405. de nexu, & solutione 409
De agnitione 406
De fugiendis subcontrariis 407

De

De perturbationib. animi exprimēdis ī fabulis. 408
De fabulis in uniuersum ſpectandis, & per epiſodia producendis 408
Quattuor fabulæ Tragicæ ſpecies. 409
Fabula Tragica non debet eſſe longa, vt Epica 410.
De moribus Tragicę perſonæ. 404
In morib. attendendum neceſſarium, uel ueriſimile. 405
De perfecto morum exemplo, & idea. 406
De ſententia 410
De dictione 411
De harmonia, & apparatu 406
Epopęia quid ſit. 418
Epopęia, & Tragœdia inter ſe conueniunt, & diffe runt. 419. 420
De reb. proprijs Epopœiæ, 420
De uitijs communib. Epopęiæ, & Tragędiæ. 421. 427
Solutiones obiectionum, quæ fiunt poetis 422
Primum caput ſolutionum. 422. 423. 424
Secundum caput. 423. 424. 425
Tertium caput 423
Epopœia præfertur Tragœdiæ duab. rationib. 227
Reſponſio ad duas rationes 428
Quæ habeat Tragœdia præter illa, quæ habet Epopœia. 428
Quæ meliora habeat Tragędia, quàm Epopęia 428.



Finis Indicis.